

LIBRARY OF PRINCETON
OCT 2 1900
THEOLOGICAL SEMINARY.

INSTITUTIONES
THEOLOGIAE DOGMATICAE.

TRACTATUS

DE VERBO INCARNATO

AUCTORE

PETRO EINIG

S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
EIUSDEM S. THEOLOGIAE IN SEMINARIO TREVERENSI PROFESSORE.

TREVERIS
EX OFFICINA AD S. PAULINUM.
1899.

IMPRIMATUR.

Treveris, die 15. iunii 1899.

REUSS
Vicarius Generalis.

INDEX.

CAPUT III.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM.

PARS II.

SOTERIOLOGIA.

CAPUT I.

DE PRAECIPUIS VITAE CHRISTI GESTIS.

CAPUT II.

DE VIRTUTE EORUM QUAE A CHRISTO GESTA SUNT.



DE VERBO INCARNATO.

„Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ), cuius gratia estis salvati, et conresuscitavit et consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu, ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Iesu." Eph. 2, 4 sq.

„Συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ, convivificavit nos Christo": verba haec Apostoli universam de Verbo Dei incarnato tractationem perfecte non minus comprehendunt ac breviter. Est enim, auctore S. Bonaventura [1]), „Christo convivificari" idem ac convivificari et in Christo et cum Christo et per Christum et secundum Christum. Convivificamur autem *in* Christo, quia Christus, cum vitam habeat in semetipso, nostram sibi naturam assumens vitae suae sociavit mortalitatem nostram; convivificamur *cum* Christo, quia, dum in terris apparuit et cum hominibus est conversatus, nos cum ipso, qui vita erat, Deus vivere concessit; convivificamur *per* Christum, ponendo enim vitam suam pro nobis per mortem suam a morte nos eripuit sempiterna; convivificamur denique *secundum* Christum, nam cum ipse et verbis et exemplis viam nos docuerit vitae, gratiarum praeterea adiumento, quas promeruit, inopiae nostrae opitulatus, nos discipulos imitatoresque suos ad vitam dirigit habendam aeternam. De his itaque in praesenti tractatione nobis erit agendum.

Ad duo autem capita omnia reduci posse videntur. Alterum est, ut ait S. Bonaventura, „de vita, quam Verbum pro nobis assumpsit", alterum „de vita, quam nobis contulit"; seu, ut loquitur S. Thomas, „de ipso incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo, et de his, quae per ipsum Salva-

[1]) S. Bonav. Prooem. in 3 l. sent.

torem nostrum i. e. Deum incarnatum sunt acta et passa"; breviter: de *Christologia* et de *Soteriologia.* [1])

Quanti vero haec de Dei Verbo incarnato tractatio sit *momenti* quamque *sublimis*, per se patet. Est enim „magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne" (1 Tim. 3, 16). Mysterium est, „quod inter divina opera maxime rationem excedit; nihil enim mirabilius excogitari potest divinitus factum, quam quod verus Deus Dei Filius fieret homo verus: et quia inter omnia mirabilissimum est, consequitur quod ad huius maxime mirabilis fidem omnia alia mirabilia ordinentur, cum id quod est in unoquoque maximum causa aliorum esse videatur." [2])

AUCTORES CONSULENDI:

Patrum doctrina: Petavius, Theolog.; Thomassinus, Dogm. theol.; Werner, Gesch. der apolog. Litt. I & II; Schwane, Dogmengesch. I & II.

Scholastici: Anselmus, Cur Deus homo; Hugo Vict. De sacr. chr. fid. 2, 1; Magister 3 dist. 1—22; Comment. in Magistr.: S. Thomas, S. Bonaventura. — S. Th. 3 q. 1—51; QQ. disp. de unione Verbi, de scientia Chr., de gratia Chr.; Opusc. 3 c. Graecos, Armenos etc.; C. gent. l. 4. — Comment. in S. Th.: Sylvius, Gonet, Salmant., Valentia, Tanner, Suarez, Frassen, Maranus, Divin. D. N. I. Chr.; Berulle, Des grandeurs de I. Chr. — Bach, Dogmengesch. des Mittelalters vom christolog. Standpunkte.

Recentiores: Franzelin, De Verbo incarnato; Stentrup, De Verbo incarnato; Billot, De Verbo incarnato; Kleutgen, Theol. der Vorzeit III; Bade, Christotheologie; Scheeben, Dogm. lib. 5; Heinrich-Gutberlet, Dogm. vol. 7; Doerholt, Die Lehre von der Genugthuung Christi.

[1]) Tota haec de Christo doctrina a Graecis οἰκονομία vocatur. Est enim generatim οἰκονομία „provida quaedam rei alicuius administratio ac gestio ex occulto consilio profecta, quod ad utilitatem et commodum spectat eorum, quibus ea re consulitur"; speciatim vero in oppositione ad doctrinam de Deo, quae θεολογία vocatur, significat „liberalem ac benignam providentiam, quae in Christo eiusque vita, passione ac morte potissimum eluxit" (Petavius, De incarn. 2, 1).

[2]) S. Th. C. gent. 4, 27.



PARS I.

CHRISTOLOGIA.

Mysterium, de quo in priore huius tractationis parte agitur, a Graecis θεοφάνεια, ἐνανθρώπησις, σωμάτωσις, σάρκωσις, a Latinis inhumanatio, incorporatio, vulgo vero *incarnatio* dicitur, ac definitur: naturae humanae cum natura divina in una persona Verbi coniunctio.

Errores contrarii et doctrina catholica.

Errores, qui decursu temporis circa incarnationis mysterium exorti sunt, omnes simul cum *doctrina catholica* Eugenius IV decreto pro Iacobitis sic breviter complectitur: „Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter *credit*, profitetur et praedicat unam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem et coaeternum, in plenitudine temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis, veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariae Virginis assumpsisse et sibi in unitatem personae copulasse tanta unitate, ut, quidquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum, et quidquid est hominis, non sit a deitate divisum, sitque unus et idem indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, immortalis et aeternus ex natura divinitatis, passibilis et temporalis ex conditione assumptae humanitatis. *Anathematizat* autem, exsecratur et damnat omnem haeresim contraria sapientem. 1) Et primo damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photinum omnesque similiter blasphemantes, qui, percipere non valentes unionem personalem humanitatis ad Verbum, Iesum Christum Dominum nostrum

verum Deum esse negaverunt, ipsum *purum hominem* confitentes, qui divinae gratiae participatione maiori, quam sanctioris vitae merito suscepisset, divinus homo diceretur.[1] 2) Anathematizat etiam Manichaeum cum sectatoribus suis, qui, Dei Filium *non verum corpus*, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt; nec non Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine Matre cepisse, sed corpus *coeleste* sumpsisse atque transisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit. 3) Arium etiam, qui asserens corpus ex Virgine assumptum *anima caruisse* voluit loco animae fuisse deitatem; Apollinarem quoque, qui intelligens, si anima corpus informans negetur in Christo, humanitatem veram ibidem non fuisse, *solam* posuit *animam sensitivam*, sed deitatem Verbi vicem rationalis animae tenuisse. 4) Anathematizat etiam Theodorum Mopsuestenum atque Nestorium asserentes, humanitatem Dei Filio unitam esse per gratiam et ob id *duas* esse *in Christo personas*, sicut duas fatentur esse naturas, cum intelligere non valerent, unionem humanitatis ad Verbum hypostaticam extitisse, et propterea negarent Verbi subsistentiam accepisse; nam secundum hanc blasphemiam non Verbum caro factum est, sed Verbum per gratiam habitavit in carne, hoc est, non Dei Filius homo factus est, sed magis Dei Filius habitavit in homine. 5) Anathematizat etiam, exsecratur et damnat Eutychem archimandritam, qui, cum intelligeret iuxta Nestorii blasphemiam veritatem incarnationis excludi et propterea oportere, quod ita Dei Verbo unita esset humanitas, ut deitatis et humanitatis una esset eademque persona, ac etiam capere non posset stante pluralitate naturarum unitatem personae, sicut deitatis et humanitatis in Christo unam posuit esse personam, ita *unam* asseruit esse *naturam*, volens ante unionem dualitatem fuisse naturarum, sed in unam naturam in assumptione transiisse, maxima blasphemia et impietate concedens aut humanitatem in deitatem aut deitatem in humanitatem esse conversam. 6) Anathematizat etiam, exsecratur et damnat Macarium Antiochenum omnesque similia sapientes, qui licet vere de naturarum dualitate et personae unitate sentiret, tamen circa Christi operationes enormiter aberravit dicens in Christo utriusque naturae *unam* fuisse *operationem unamque voluntatem;* hos omnes cum haeresibus suis anathematizat sacrosancta Romana Ecclesia affirmans in Christo duas esse voluntates duasque operationes."[2] — „Revera quasi inter duos

[1]) Quam impietatem et Sociniani et ex recentioribus protestantibus permulti amplexi sunt.

[2]) Plura de his erroribus dicentur cum singuli refutabuntur. Cf. interea Petav. De incarn. Verbi l. 1.

latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est: et ita excipit haereticorum istorum ex utroque latere sacrilega convicia."[1])

In priore hac tractationis parte, quae inscribitur Christologia, S. Thomam secuti tria considerabimus: *convenientiam* incarnationis, *unionem* Verbi incarnati, ea quae ad hanc unionem *consequuntur*.

Caput I.

De Convenientia Incarnationis.

De incarnationis *possibilitate* non est quod quaeramus Cum enim fide doceamur, Verbum Dei carnem assumpsisse, etiam constat fieri potuisse ut carnem assumeret. Possibilitas vero haec ea est, ut quamvis nulla ratione ostendi possit incarnationem impossibilem esse, nequeat tamen ratione evidenter cognosci eam fuisse positive possibilem; mysterium enim est omnino supernaturale, nec ullo modo in causis vel effectibus continetur naturalibus.[2]) At fide

---

[1]) Novatian. De Trinit. 30.

[2]) *Schell* (Dogm. 3 p. 66 sq.) incarnationis *possibilitatem* probare nititur ex conceptu, quem tradit, „positivae aseitatis" (de quo conceptu cf. tract. de Deo trino p. 200 sq.). Inter alia haec habet: „Wenn Gott mit seinem hl. Willen der ewige und notwendige Selbstand des Unendlichen ist, das er selbst denkend als das vollkommenste Wesen gestaltet, *kann* er auch mit freiem Willensentschluss *das Endliche werden*, das er als Abbild des Unendlichen denkend gestaltet . . . Gott *kann* sein und werden, was er erdenkt, nämlich die endliche Vollkommenheit, sei es in ihrer Gesamtheit, sei es eine einzelne endliche Natur: weil er das, was er ist, mit vollkommener Selbstmacht ist. Wer nämlich das, was er ist, nicht ohne eigene Verursachung, sondern ausschliesslich kraft eigener That und Ursächlichkeit ist, kann auch alles werden, was er in seinem Denken ideal gestaltet, wenn er will. So gut Gott dem Endlichen, das er denkend ersonnen hat, eine Wirklichkeit ausser sich und in einem eigenen Selbstand geben kann, ebensogut *kann er selbst das Endliche werden*, die ganze Welt seiner Denkgebilde, oder eine ganze Welt, oder ein endliches Einzelwesen, etwa ein Mensch; kurz alles, was durch sein Denken etwas ist. Die Möglichkeit der Menschwerdung ist ebenso begründet, wie die Möglichkeit der Schöpfung des Endlichen durch Gott: durch die Aseität." Breviter: Deus cum sua se producat voluntate, quodcunque conceperit, etiam fieri potest: ergo poterat incarnari. — Ut modum dicendi („Gott *wird* eine endliche Natur etc.") ineptum taceamus, argumento allato hoc solum efficitur, naturam Christi humanam libere creari potuisse, non secus ac reliqua quae creata sunt, id quod ceteroquin etiam absque illa „positiva aseitate" probatur; nullo autem modo ostenditur, potuisse Deum humanam naturam assumere in unitate hypostaseos, in quo proprie incarnationis mysterium situm est.

supposita ratio naturalis eiusdem fidei lumine adiuta coniecturis et exemplis uti poterit, quae mysterium hoc verosimile reddant eiusque summam ostendant convenientiam. — Quaestio igitur est de incarnationis *convenientia*, quae quidem *necessitatis* quoque quaestionem complectitur [th. 1].

Thesis 1.

Incarnatio 1. non erat necessaria vel absolute vel in hypothesi creationis et lapsus et reparationis nostrae; 2. necessaria tamen erat aliqua Dei actio in hypothesi reparationis nostrae, imo ipsa incarnatio in hypothesi condignae satisfactionis; 3. conveniens erat genus humanum redimi idque per incarnationem.

Conveniens dicitur esse alicui rei quod naturae eius est consentaneum, sive rem ipsam aliquo modo perficiat, sive solum aliquem secum afferat rei decorem, uti v. g. mundi creatio Deo dicitur fuisse conveniens. *Necessarium* ad finem aliquem aliquid dicitur dupliciter: „uno modo, sine quo aliquid esse non potest, sicut cibus est necessarius ad conservationem humanae vitae; alio modo, per quod melius et convenientius pervenitur ad finem, sicut equus necessarius est ad iter“ [1]), quae necessitas potius congruentia et convenientia est. Necessitas porro eiusmodi est, ut quod necessarium dicitur vel omni in casu sit necessarium seu *absolute*, vel *hypothetice* tantum, ita sc. ut facta aliqua hypothesi contingenti aliter esse nequeat.

Absolute necessariam fuisse incarnationem docuit *Wicleffus*, ratus Deum in omnibus suis ad extra operibus constringi necessitate. *Raymundus Lullus*, *Malebranche*, *Leibnitius* ex systemate, quo Deum, quamvis liberum in mundo creando, in non eligendo mundo optimo non liberum fuisse statuunt, in *hypothesi creationis* dixerunt incarnationem necessariam. *Guentherus* in *hypothesi lapsus* et *propagationis generis nostri* saltem *redemptionem* necessariam fuisse existimat. — Theologi denique aliqui *catholici* decreto saltem redemptionis supposito incarnationis necessitatem affirmant: inter quos dicuntur esse *Anselmus* [2]), necessarium putans, ut Dei honor peccato violatus restituatur, *Richardus Victorinus* [3]), qui talem existimat requiri divinae maiestatis placationem; quos postea secuti sunt *Tournely* et *Dieringer*. Verum poterunt theologi hi ita fortasse explicari, ut non necessitatem, sed summam decentiam incarnationis urgere dicantur.

1) S. Th. 3 q. 1 a. 2.
2) Anselm. Cur Deus homo 1, 4 sq.
3) Rich. Vict. De incarn. 5—8.

Doctrina *catholica* est: Deum et liberrime voluisse genus humanum restaurari et liberrime voluisse id fieri per incarnationem Verbi; eum porro, cum homines ex sese reparari non possent, et generatim debuisse eis succurrere, imo et ipsum quoque incarnari, si condignam satisfactionem sibi exhiberi voluerit; ipsam vero incarnationem, quantumvis non necessariam, esse tamen convenientissimam.

DEMONSTRATUR: **1.** Incarnatio non erat *necessaria.*

1. Nec *absolute* nec etiam in *hypothesi creationis et lapsus.*

a. Deus α. in omnibus, quae ad extra operatur, est *liberrimus,* quemadmodum in tractatibus de Deo probatur [1]); nec β. magis tenetur homines lapsos reparare atque ad statum prorsus indebitum restaurare, quam *angelos* quibus *non* pepercit.

b. Speciatim opus redemptionis universae atque etiam incarnationis semper tribuitur α. actui divinae voluntatis *liberae:* „Sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo" (Eph. 1, 9); β. imo *misericordiae:* „Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret" (Ioan. 3, 16). Cf. Rom. 3, 24; 5, 8; Eph. 2, 4; Tit. 2, 11; 3, 4. — „Universa massa poenas debet, et si omnibus damnationis supplicium redderetur, non iniuste procul dubio redderetur . . . Quis igitur usque adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiae quos voluit liberantis, qui recte nullo modo posset culpare iustitiam universos omnino damnantis?" [2])

2. *Neque* in *hypothesi,* quod Deus genus humanum voluerit *reparare,* incarnatio dicenda est *necessaria.*

„Sine ullo eius (Christi) adventu poterat Deus tantummodo dicere atque ita solvere maledictionem. Verum attendere oportet, quid sit hominibus utile, non autem quid in omnibus possit Deus." [3]) „Sunt stulti, qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur ex femina et a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus: poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret." [4]) — Et re quidem vera: „Non est limitanda divina potentia, imo etiam sicut solo nutu mentis et imperio voluntatis potuit creare, ita potuit etiam reparare." [5])

2. *Necessaria* erat 1. aliqua Dei *actio,* si Deus hominem lapsum voluit *reparari.*

[1]) Cf. tract. de Deo uno th. 15 et de Deo creante th. 2.
[2]) Augustin. De nat. et grat. 5.
[3]) Athanas. Or. 2 c. Arian. 68.
[4]) Augustin. De agone christ. 11.
[5]) S. Bonav. 3 dist. 20 a. 1 q. 6.

Nam homines, cum ex sese nihil valeant supernaturale, multo minus lapsi viribus suis poterant a peccato resurgere. Audiatur Concilium Tridentinum (Sess. 6 cap. 1): „Cum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent, facti immundi et, ut Apostolus inquit, filii irae . . . usque adeo servi erant peccati et sub potestate diabolicae mortis, ut non modo gentes per vim naturae. sed ne Iudaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari et surgere possent, tametsi liberum arbitrium minime esset exstinctum, viribus licet attenuatum et inclinatum."

2. Necessaria erat *incarnatio* in hypothesi, quod ad restaurandum genus humanum divina iustitia postularet *satisfactionem condignam.*

„Neque igitur fratrem in redemptionem quaere, sed aliquem, qui tuam excedit naturam; neque hominem nudum, sed hominem Deum, Iesum Christum, qui solus pro nobis omnibus dare potest placationem."[1]) — Et sane: „Ad hoc, quod satisfactio esset condigna, oportebat, quod haberet virtutem *infinitam*, quia peccatum, pro quo fiebat satisfactio, infinitatem quandam habebat ex tribus. Primo ex infinitate divinae maiestatis, inquantum offensa fuerat per contemptum inobedientiae: quanto enim maior est, in quem peccatur, tanto est gravior culpa; secundo ex bono, quod per peccatum auferebatur, quod est infinitum, id est ipse Deus, cuius participatione fiunt homines beati; tertio ex ipsa natura, quae corrupta est: quae quidem infinitatem quandam habet, inquantum in ea possunt supposita in infinitum multiplicari. Actio autem purae creaturae non potest habere infinitam efficaciam: et ideo nulla pura creatura poterat sufficienter satisfactionem facere."[2])

3. *Conveniens* erat incarnatio.

1. Conveniens erat ut genus humanum *redimeretur.*

„Absque dubio congruum est reparari genus humanum . . . non

---

[1]) Basil. in illud Ps. 48: „Frater non redimit, redimet homo."

[2]) S. Th. 4 dist. 20 q. 1 a. 2; cf. 3 q. 1 a. 2 ad 2. — Solum ad restaurandum genus humanum atque peccatum delendum per satisfactionem adaequatam necessitas probatur incarnationis. Quamobrem *Hermes* et *Guenther*, quorum prior solum ideo satisfactionem necessariam esse docet, ut homo a peccato perpetrando deterreatur, alter ideo, ut libertas, qua homo male usus erat, bene exerceatur, veram incarnationis necessitatem probare nequeunt. Cf. Kleutgen Bd. 3 n. 411.

Ex illa porro, quam affirmant theologi, hypothetica incarnationis necessitate minime consequitur, quemadmodum opinatur *Schell* (Dogm. 3 p. 17), Deum a creatura sua constitui dependentem, sed manet Dei perfectissima libertas, sive sponte peccata condonet sive exigat eorum satisfactionem; in utroque enim casu illud, quo Dei voluntas ut nobis ignoscat moveatur, non est tandem aliquando aliud quam sua ipsius bonitas infinita.

solum ex parte Dei, sed etiam ex parte hominis. Et ex parte *Dei*, quia decet Dei potentiam, sapientiam, misericordiam . . . Ex parte vero *hominis* congruentia est similiter, si consideretur dignitas hominis conditi et modus labendi et status lapsi. *Dignitas* namque *hominis* conditi tanta erat, ut propter ipsum facta sint universa: si ergo homo careret suo fine, iam omnia essent suo fine defraudata.[1] *Modus* vero *labendi* fuit, quod humana natura totaliter cecidit alio peccante et alio suggerente; et ideo decens fuit ipsam per alium relevari, ut sicut filii peccaverunt in parente, et parens peccavit diabolo suggerente, sic etiam homo repararetur Domino relevante. *Status* etiam *hominis lapsi* reparationi congruit, quia in illo statu simul fuit poenitentia cum miseria; et poenitentia quodam modo placabat divinam iustitiam, miseria vero provocabat misericordiam." Breviter: „homo poenituit, angelus obstinatus fuit; homo particulariter, angelus totaliter cecidit; homo per alium, angelus per semetipsum."[2]

2. Conveniens erat ipsa *incarnatio*.

„Parum est, ut istum modum, quo nos per mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonum et divinae congruum dignitati; verum etiam et ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subiacent, sed sanandae nostrae miseriae *convenientiorem* modum alium *non fuisse* nec esse oportuisse."[3] — Atque vere: incarnatio et a. Deum decebat et b. homini conveniebat reparando.

a. *Deum* decebat incarnatio, cum splendidissime inde refulgeant eius perfectiones. „Nam *bonitas* hinc elucet, quod figmenti sui imbecillitatem non despexit, sed lapsi vicem doluit eique manum porrexit (maxime vero divina bonitas in eo manifestatur, quod nostram sibi coniungens naturam modo, quo perfectior nullus est, sese nobis communicavit); *iustitia* item, quod victo homine non per alium tyranno victoriam extorquet nec vi hominem a morte eripit, sed quem mors olim propter peccatum servituti suae addixerat, hunc bonus ille iustusque victorem rursum fecit, quodque nulla arte fieri posse videbatur, simile similis opera liberavit; *sapientia*, quod rei perquam difficili congruentissimum exitum invenit; . . . impletur opus novorum omnium maxime novum, imo quod unum sub sole novum est.

[1]) „Indecorum et divina bonitate indignum prorsus erat, res a Deo factas ob fraudem, qua homines diabolus circumvenit, destrui" (Athanas. De incarn. 6).

[2]) S. Bonav. 3 dist. 20 a. 1 q. 1; cf. Lessius, De div. perfect. 12, 3.

[3]) Augustin. De Trin. 13, 10.

infinitamque Dei *potentiam* declarat: quid enim maius quam Deum hominem fieri!“ [1])

b. *Homini* redimendo incarnatio conveniens erat. „Et hoc quidem considerari potest quantum ad promotionem hominis in *bonum*. Primo quidem quantum ad fidem, quae magis certificatur ex hoc quod ipsi Deo loquenti credit. Unde Augustinus dicit: «Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas, Dei Filius, homine assumpto, constituit atque fundavit fidem». [2]) Secundo quantum ad spem, quae per hoc maxime erigitur. Unde Augustinus dicit: «Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis quam diligeret nos Deus. Quid vero huius rei isto indicio manifestius quam quod Dei Filius naturae nostrae dignatus est inire consortium?» [3]) Tertio quantum ad caritatem, quae maxime per hoc excitatur. Unde Augustinus dicit: «Quae maior est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?» et postea subdit: «Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat». [4]) Quarto quantum ad rectam operationem, in qua nobis exemplum se praebuit. Unde Augustinus dicit: «Homo sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homini et qui videretur ab homine et quem homo sequeretur, Deus factus est homo». [5]) Quinto quantum ad plenam participationem divinitatis, quae vera est hominis beatitudo et finis humanae vitae; et hoc collatum est nobis per Christi humanitatem. Dicit enim Augustinus: «Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus». [6]) Similiter et hoc utile fuit ad remotionem *mali*. Primo enim per hoc homo instruitur, ne sibi diabolum praeferat et eum veneretur, qui est auctor peccati. Unde Augustinus dicit: «Quandoquidem sic potuit Deo coniungi humana natura, ut fieret una persona, superbi illi maligni spiritus non ideo se audeant homini praeponere, quia non habent carnem». [7]) Secundo per hoc instruimur, quanta sit dignitas humanae naturae, ne eam inquinemus peccando. Unde Augustinus dicit: «Demonstravit nobis Deus, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit». [8]) Et Leo Papa dicit: «Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam; et divinae consors factus naturae, noli in veterem

---

[1]) Damasc. De fide orthod. 3, 1.
[2]) Augustin. De civ. Dei 11, 2.
[3]) Augustin. De Trin. 13, 17.
[4]) Augustin. De cat. rud. 4.
[5]) Augustin. Serm. 22 de temp.
[6]) Augustin. Serm. 13 de temp.
[7]) Augustin. De Trin. 13, 17.
[8]) Augustin. De vera rel. 16.

vilitatem degeneri conversatione redire». [1]) Tertio, quia «ad praesumptionem hominis tollendam gratia Dei, in nobis nullis meritis praecedentibus, in homine Christo commendatur.» [2]) Quarto, quia «superbia hominis, quae maxime impedimento est ne inhaereatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui potest atque sanari.» [3]) Quinto ad liberandum hominem a servitute peccati: quod quidem «fieri debuit sic, ut diabolus iustitia hominis Iesu Christi superaretur;» [4]) quod factum est Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus satisfacere non poterat pro toto humano genere; Deus autem satisfacere non debebat: unde oportebat Deum et hominem esse Iesum Christum. Unde et Leo Papa dicit: «Suscipitur a virtute infirmitas, a maiestate humilitas, ab aeternitate mortalitas, ut, quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei et hominum mediator et mori ex uno et resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset verus homo, non praeberet exemplum.» [5]) Sunt autem et aliae plurimae utilitates, quae consecutae sunt supra apprehensionem sensus humani.“ [6])

SCHOLION **1.** Quaeritur, utrum, *si homo non peccasset,* Deus incarnatus fuisset. Quidam affirmant, in quibus Albertus M., Scotus, S. Bernardinus, S. Franciscus Salesius, Suarezius iuxta quos adaequata ac praecipua incarnationis causa non fuit nostra a peccatis redemptio, sed multiplex perfectio ex incarnationis opere oriens. S. Thomas cum plerisque negat. „Ea, sic Angelicus, quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, *convenientius* dicitur, incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum; ita quod, peccato non existente, incarnatio non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur; potuisset enim etiam peccato non existente Deus incarnari.“ [7]) S. Bonaventura rem in medio relinquit; magis tamen ad S. Thomae inclinans sententiam, utpote „magis consonantem pietati fidei“, haec sapienter monet: „Quis horum modorum melior sit, novit iste, qui pro nobis incarnatus est; quis etiam horum alteri praeponendus sit, difficile est videre pro eo quod uterque modus catholicus est et a viris catholicis sustinetur.“ [8]) — Atque haec de quaestione hac satis sint dicta. [9])

2. Conveniens non fuit, Deum *a principio humani generis* incarnari, sed genus humanum ad Verbum incarnatum suscipiendum prius *praeparari.*

[1]) Leo M. Sermo de Nativ. 1.
[2]) Augustin. l. c.
[3]) Augustin. l. c.
[4]) Augustin. De Trin. 13, 13.
[5]) Leo M. Sermo de Nativ. 1.
[6]) S. Th. 3 q. 1 a. 2.
[7]) S. Th. 3 q. 1 a. 3.
[8]) S. Bonav. 3 dist. 1 a. 2 q. 2.
[9]) Cf. ‚Pastor bonus‘ 1891 p. 553 sq.

„Cum opus incarnationis principaliter ordinetur ad reparationem humanae naturae per peccati abolitionem, manifestum est, quod non fuit conveniens a principio humani generis ante peccatum Deum incarnatum fuisse. Non enim datur medicina nisi iam infirmis. Sed nec etiam statim post peccatum conveniens fuit Deum incarnari. Primo quidem propter *conditionem humani peccati*, quod ex superbia provenerat, unde eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret se liberatore indigere. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturae suae cognosceret: ubi cum deficeret, legem accepit; qua data invaluit morbus, non legis, sed naturae vitio: ut ita cognita sua infirmitate clamaret ad medicum et gratiae quaereret auxilium. Secundo propter *ordinem promotionis in bonum*, secundum quem ab imperfecto ad perfectum proceditur. Tertio propter *dignitatem Verbi incarnati*, quia super illud Gal. 4: At ubi venit plenitudo temporis, dicit Glossa: Quanto maior iudex veniebat, tanto praeconum series longior praecedere debebat. Quarto ne *fervor fidei* temporis prolixitate tepesceret, quia circa finem mundi refrigescet caritas multorum.“ [1])

Caput II.

De Unione Verbi Incarnati.

„Duplex est, ita breviter S. Athanasius, in sacra Scriptura de Salvatore nostro praedicatio, illum sc. Deum semper fuisse et Filium esse utpote Verbum . . . ipsumque postea propter nos carne sumpta ex Virgine Dei genitrice Maria hominem esse factum: atque hunc quidem scopum per universam inspiratam Scripturam inculcari, deprehendere est.“ [2]) — Duplicem hanc Scripturarum de Salvatore praedicationem singillatim prosequemur. Agendum igitur nobis erit 1. de *persona assumente* 2. de *natura assumpta* 3. de *unionis indole*.

Articulus I.

De Persona Assumente.

De Christo quaeritur: 1. utrum ipse sit Dei legatus ac *Messias*, de qua quidem quaestione in theologia apologetica dicitur [3]); 2. utrum

[1]) S. Th. 3 q. 1 a. 5. — Quomodo ipsa *lex Mosaica* praeparaverit Christi adventum, cf. S. Th. 1, 2 q. 98 sq.; Becan. Analog. V. et N. Testamenti. De Christi, qui in V. Testamento occurrunt, *prophetis* et *typis* cf. Scheeben, Dogm. lib. 5 § 210 et 211, et qui ibi citantur auctores.

[2]) Athanas. Or. de incarn. 29.

[3]) Cf. Wilmers, De relig. christ. l. 3; Disteldorf, Theol. fund. p. 2 sect. 2 c. 2; Schanz, Apologie des Christent. II § 22 sq.

sit plus quid quam homo a Deo missus, quales reliqui quoque prophetae erant, utrum sc. sit ipse *Deus;* atque haec huius tractationis est quaestio propria [th. 2], in qua illud in tractatu de Deo trino probatum supponitur, in Deo plures esse personas.

Thesis 2.

Iesus Christus verus Deus est.

Res nobis est cum Ebionitis, Cerintho, Samosateno, Arianis, Socinianis, Rationalistis, Protestantibus nostri aevi plurimis; qui omnes Christi veram divinitatem infitiantur.[1])

---

[1]) Cf. Hoensbroech, Christ und Widerchrist, ubi infelix hic homo ad protestantes apostata factus de protestantibus theologis haec scribit: „Die protestantische Theologie in ihren hervorragendsten Vertretern bekennt sich nicht mehr zum Christentum, sondern zum Antichristentum; was sie lehrt, ist nicht Christus, sondern ein Antichrist.“ — Verum quidem est, etiam protestantium horum plerosque non vereri Christum vocare Deum eique quae Dei sunt aliquo modo tribuere. At Christi divinitatem non intelligunt propriam ac quam omnium aetatum christifideles intellexerunt, sed impropriam atque adeo falsam. Quo autem sensu Christus dici queat Deus, sic explicant: *Lobstein* Christi divinitatem sitam esse declarat in summa eorum quae *operatus* est („Für uns ist die Gottheit Christi die Gesamtwirkung seines Werkes“. Christolog. Studien 1890, p. 33). Similiter *A. Ritschl* („Die Gottheit Christi besteht in dem Verdienst, der Wohlthat, dem Heilswerk Christi“); neque tamen ideo Christum putat *purum hominem* dici posse, cum eiusmodi homo non sit nisi qui omnium prorsus expers sit proprietatum spiritualium ac moralium („Unter einem blossen Menschen würde ich den Menschen als Naturgrösse mit Ausschluss aller Merkmale geistiger und sittlicher Persönlichkeit verstehen. Ich halte noch nicht einmal einen meiner Gegner für einen blossen Menschen, da ich bei ihnen immer irgend ein Mass von Erfolg der Erziehung und von sittlichem Charakter voraussetze . . . Es ist also mindestens ein Beweis von Urteilslosigkeit und Unüberlegtheit, wenn Gegner behaupten, ich hielte Christus für einen blossen Menschen und leugnete seine Gottheit“. Rechtf. und Versöhn. 1888, III, p. 375, 376). *Lipsius* statuit Christi personam essentialiter humanam, at *spiritu divino unctam* fuisse („die wesentlich menschliche, aber mit göttlichem Geist gesalbte Messiaspersönlichkeit“. Dogm. 1876, § 554), nomine vero *filiationis divinae* nihil aliud intelligit quam *vivendi amandique cum Deo societatem* („die Lebens- und Liebeseinheit mit dem himmlischen Vater“, ibid. § 553). Eodem modo *H. H. Wendt* declarat Christum ipsum, cum Filium se esse Dei diceret, aliud non voluisse significare quam se esse non secus ac discipulos eius omnes *obiectum divinae dilectionis ac sollicitudinis ac Deo filiali pietate deditum* („Er erzeugte die seiner Absicht entsprechende Vorstellung, dass er in einem Sohnesverhältnis solcherart zu Gott stehe, wie es auch für alle seine Jünger Bestand haben solle, d. i. dass er der Gegenstand der väterlichen heilverleihenden Liebe Gottes sei und hinwiederum selbst ein Verhalten kindlich liebenden Vertrauens und Gehorsams Gott gegenüber bewähre“. Die Lehre Iesu, 1890, II, 429). *Weizsäcker* filium

Probandum igitur nobis est, illum Iesum Christum, qui ab omnibus his admittitur fuisse legatus divinitus missus, secundam Ss. Trinitatis personam fuisse, verum Deum proprioque sensu Dei Filium Patri consubstantialem. Quamvis autem duplex veritas his contineatur, Christi sc. divinitas et eius filiatio, utramque, cum iisdem fere argumentis efficiatur, simul complectemur, maxime tamen prae oculis habituri illud quod in hac quaestione praecipuum est, sc. Christi divinitatem. Argumenta porro velut per gradus quosdam proponemus, ita quidem, ut et singula seorsim ad rem evincendam plene possint sufficere et singula singulis maiorem afferant splendorem maiusque robur. „Materia vero cum nulli alii ob Spiritus Sancti loquentis maiestatem secunda tum numero testimoniorum et rerum ubertate prorsus immensa, nisi iustis finibus coerceatur." [1])

DEMONSTRATUR: Christus *verus Deus* est.

I. *Scriptura* id probat.

1. Eius, qui in tempore filius hominis natus est, praedicatur *origo divina.*

a. Temporariae suae nativitati rerumque omnium creationi *praeextitit;* id quod testantur praecursor Christi, Apostoli, Christus ipse.

Christus dicitur Filius a Patre *missus* ut homo fieret, ergo ante

Dei pro eodem habet ac *Dei legatum* („über die Vorstellung eines Menschen führt die Bezeichnung des Gottessohnes nicht hinaus . . . Diese Bezeichnung bedeutet gar nichts anderes als den von Gott erwählten Boten". Das apost. Zeitalter, 1886, p. 109). *Harnack* prae christiana praeferendam censet doctrinam Adoptianorum, iuxta quam Christus nihil est aliud quam *homo a Deo electus et spiritu plenus.* („Diejenigen waren im Vorteil, welche in Iesus den von Gott erwählten und mit dem Geist erfüllten Menschen sahen". Dogmengesch. I, 609); idemque duas in Christo naturas hypostatice unitas irridet ac uti absurdum quid traducit („So ist Christus die zusammengesetzte Hypostase. Der ‚Centaur' und ‚Bockhirsch', vor dem Apollinaris gewarnt hatte, ist nicht vermieden worden". Ibid. II, 411). *Pfleiderer* porro filiationem Christi non aliam existimat esse quam aliorum hominum *adoptivam* („das personificirte Ideal der menschlichen Gotteskindschaft". Das Urchristent. 1887, p. 222). *Kaftan* divinitatem Christi eam esse dicit, quod in ipso *amor,* qui propria Dei vita est, manifestatus fuerit et quod ipse *perfecta Dei revelatio* sit (Dogm. 1897, § 41 sq.). *Hase* Christi divinitatem non agnoscit nisi quae posita sit in *proprio virium exercitio ac progressu mere humano* („freie menschliche Entwickelung, eigne freie That". Geschichte Iesu 1891, p. 229). *Beyschlag* Christum eatenus tantum Deum esse dicit, inquantum, quamvis purus homo, sit *homo idealis* („Ich habe im Idealmenschen den Gottmenschen, den Menschen, welcher kraft absoluter Hingabe an Gott der vollkommnen Einwohnung Gottes teilhaftig wird". Leben Iesu 1893, I, p. 47 sq.). — Quaeres fortasse, cur omnes illi Christi divinitatem re negantes nolint negare et verbis. Videlicet, ut esse adhuc videantur quod esse prorsus desierunt sc. christiani, simplicibus ac credulis fucum se facere posse existimant.

[1]) Maran. Divin. D. N. I. Chr. 1 prooem.

incarnationem exstitit: „Mittens Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati“ (Rom. 8, 3; cf. Gal. 4, 4). Dicitur *descendisse* de coelo, ita quidem ut etiam in coelo esse perseveraret: „Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo“ (Ioan. 3, 13; cf. 6, 52). Dicitur *ante praecursorem* suum iam fuisse, unde eius prae illo infertur potior dignitas: „Hic erat, quem dixi: qui post me venturus est, ante me factus est (ἔμπροσθέν μου γέγονεν i. e. supra me), quia prior me erat“ (Ioan. 1, 15). Dicitur fuisse *ante Abrahamum*, ita quidem, ut esse non coepisse significetur: „Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum“ (Ioan. 8, 58).[1] Dicitur apud Deum fuisse *in principio*, antequam essent, *quaecunque facta* sunt: „In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum . . . et omnia per ipsum facta sunt“ (Ioan. 1, 1 sq.). Dicitur *gloriam habuisse apud Patrem, priusquam esset mundus*: „Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te“ (Ioan. 17, 5).[2]

b. Christus creaturis omnibus originis est *sublimioris* atque adeo *divinae.*

Angelus ad vaticinium Is. 7 de partu virgineo clare alludens Virgini annuntiat, fore ut filium pariat, Iesum, magnum futurum et Altissimi Filium agnoscendum, possessurum regnum Davidi promissum regnumque „mittendi“ aeternum. Virgini de mysterio sciscitanti distinctius deinde aperit et modum conceptionis prorsus *supernaturalem* et hinc filii sibi promissi sanctitatem atque excellentiam talem, quae sit *Filii Dei.* En verba: „Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et *Filius*

---

[1]) Quibus auditis Iudaei „tulerunt lapides ut iacerent in eum.“

[2]) Ut eludant Christi realem *praeexistentiam* Sociniani et ex recentioribus Protestantibus plurimi (Grotius, Schleiermacher, H. Wendt) hunc textum ad sensum detorquent claritatis in consilio divino *praedestinatae.* Inepte prorsus. Nam Christi hic exhibetur gloria ut quid *proprium* ac *singulare*, cum, ut ait Novatianus (De Trin. c. 16), „multus numerus hominum in gloriam est praedestinatus“, et praeterea Christus, cuius existentia cum mundi existentia comparatur reali, gloriam *habuisse* (ἧ εἶχον) dicitur, quin quidquam addatur de praedestinatione. Audiatur idem Novatianus: „Si antequam mundus esset, gloriam habuit apud Deum et claritatem tenuit apud Patrem, ante mundum fuit: nec enim habuisset gloriam, nisi ipse prius fuisset qui gloriam posset tenere . . . Sed enim homo gloriam ante mundi institutionem habere non potuit, qui post mundum fuit: non igitur homo tantum fuit, qui ante mundum fuit . . . Deus est igitur, quoniam ante mundum fuit. Nec praedestinatio ista dicatur, quoniam nec posita est, aut addant hoc, qui hoc putant; sed vae est adiicientibus sicut et detrahentibus positum: non potest ergo dici quod non potest adiici. Sublata ergo praedestinatione, quae non est posita, in *substantia* fuit Christus ante mundi institutionem.“

Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis . . . Quomodo fiet istud . . .? *Spiritus Sanctus* superveniet in te, et *Virtus Altissimi* obumbrabit tibi[1]): ideoque et, quod nascetur ex te *Sanctum* (τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον), vocabitur *Filius Dei*." (Luc. 1, 31 sq.). Audiantur in hunc textum aliqui Patres: „Ne quaeras, sic Chrysostomus, naturae modum et ordinem, quando super naturam sunt quae fiunt." [2]) „Nec iam caro ad carnem, sic Chrysologus, sed Spiritus Sanctus superveniet in te. Quia quod de carne natum est, caro est; et quod de Spiritu, Spiritus est: qui ergo de Spiritu nascitur, sine controversia Deus est, quia Spiritus est Deus." [3]) „Nemo, sic idem Chrysologus, hic communiter accipiat «sanctum». sed illa singularitate, qua clamatur in coelestibus: sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth." [4]) Et Bernardus: „Ut quid ita simpliciter «sanctum» et absque additamento? Credo, quia non habuit, quid proprie digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima Unico Patris erat uniendum. Si diceret: sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite «sanctum», quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit et per Spiritus sanctificationem et per Verbi assumptionem." [5])

2. Christo tribuuntur *potentia* et *opera* divina.

a. Vis *creatrix* solius Dei propria et est et in Scriptura exhibetur. „Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum" (Is. 44, 24; cf. Is. 37, 16; 48, 12).

Atqui haec eadem vis creatrix in iisdem Scripturis Christo tribuitur: „Ad *Filium* . . .: *Tu* in principio, Domine, *terram fundasti*, et opera manuum tuarum sunt coeli; ipsi peribunt . . . tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient" (Hebr. 1, 10 sq.). Quae verba ex Psalmo 101 desumpta sunt, ubi ad Iahve diriguntur. (Cf. Coloss. 1, 16 sq.) Eiusdem praeterea rationis ac vis creatrix

---

[1]) Hoc verbo „obumbrandi" alludi videtur ad illud Is. 45, 8: „Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem." Nubes est sinus aeterni Patris, ex quo velut ros sanctus Salvator dicitur mitti in Virginis sinum. „Obumbrat Dei virtus, ne portatura fragilitas humana succumbat" (Chrysol. Sermo 142).

[2]) Chrysost. in h. l.

[3]) Chrysol. Sermo 142.

[4]) Chrysol. l. c.

[5]) Bernard. Hom. 4 super ‚Missus est'.

est potestas omnia *conservans*. Atqui haec quoque Christo tribuitur: „Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius *portansque omnia verbo virtutis suae*" (Hebr. 1, 3). In quae verba audiatur S. Thomas: „Deus portat omnia quantum ad operari . . . Sed per quid portat? Verbo virtutis suae . . . Ideo dicit Apostolus, quod portat ‚Verbo virtutis suae', quia cum idem sit causa essendi et conservandi, cum dicit, quod Filius virtute sua est causa conservationis, ostendit, quod etiam est causa essendi . . . Verbo virtutis suae, i. e. seipso, qui est Verbum virtuosum."

b. Generatim *virtus eadem* Christi esse declaratur, quae est *Patris*.

Ipse enim Christus suam cum Patre unitatem ex virtutis unitate sic demonstrat: „Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et *non rapiet eas quisquam de manu mea*. Pater meus, quod dedit mihi, *maius* omnibus est[1]), et nemo potest rapere de manu Patris mei; ego et Pater *unum* sumus" (Ioan. 10, 27 sq.). „Pater meus usque modo operatur, et ego operor . . . Quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit . . . Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat" (Ioan. 5, 17 sq.). Simpliciter dicuntur „omnia per ipsum facta" (Ioan. 1, 3).

c. Vitae nostrae *supernaturalis causa efficiens, finalis, exemplaris* non est nisi Deus.

Atqui causa huiusmodi exhibetur esse Christus: Christus a Ioanne praedicatur esse „vita (ἡ ζωή)", „lux vera (τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν)", „plenus gratia et veritate", de cuius „plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia" (Ioan. 1, 4 sq.). Ipse Christus haec de se enuntiat: „Ego sum via et veritas et vita (ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή); nemo venit ad Patrem nisi per me; si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis" (Ioan. 14, 6 sq.). „Omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum" (Ioan. 11, 26). „Ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis" (Ioan. 15, 26). „Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quaecunque habet Pater mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis" (Ioan. 16, 14 sq.). „Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum . . . et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus" (Ioan. 14, 21 sq.). „Ut omnes

[1]) Illud „maius" ipsa est potestas, imo natura divina a Patre Filio ab aeterno data. Concilium Lateranense ad hunc locum provocat dicens: „Pater ab aeterno Filium generando suam substantiam ei dedit."

unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint . . . Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus“ (Ioan. 17, 21 sq.). „Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso“ (Ioan. 5, 25 sq.). In quae ultima verba haec habet Augustinus (in h. l.): „Unde vivent? De vita. De qua vita? De Christo. Unde probamus quia de vita Christo? Ego sum, inquit, via, veritas et vita. Ambulare vis? Ego sum via. Falli non vis? Ego sum veritas. Mori non vis? Ego sum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus: non est quo eas nisi ad me; non est qua eas nisi per me . . . Habet enim Filius vitam, unde vivant credentes. Et quomodo habet? Sicut habet Pater . . . Quare addidit: in semetipso? . . . Paulus ubi habet? Non in semetipso, sed in Christo (Gal. 2, 20). Tu fidelis, ubi habes? Non in temetipso, sed in Christo . . . Filius autem Dei non quasi primo fuit sine vita, et accepit vitam. Si enim sic illam acciperet, non eam haberet in semetipso. Quid est enim ‚in semetipso‘? Ut ipsa vita ipse esset . . . Ergo quod dicitur ‚dedit Filio‘, tale est ac si diceretur: genuit Filium, generando enim dedit.“

3. Ipsa *natura* divina, quemadmodum in hactenus dictis iam continetur, Christi esse explicite affirmatur.

a. Dicitur Christus, antequam fieret homo, fuisse *in natura divina:*

„Cum in forma Dei esset (ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων) . . . formam servi (μορφὴν δούλου) accipiens in similitudinem hominum factus“ (Phil. 2, 6 sq.). ‚Forma servi‘ certe est natura humana: ergo ‚forma Dei‘ natura intelligenda est Dei.

b. Dicitur Christus habere *plenitudinem* divinitatis:

„In ipso (Christo) inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς)“ (Col. 2, 9). „Corporaliter: Ego vero id dictum esse arbitror pro *essentialiter*“, ait Isidorus Pelusiota.[1] „Si iuxta Apostolum, sic Ambrosius, plenitudo omnis corporaliter divinitatis in Christo est, aut unius divinitatis Patrem et Filium fatebuntur, aut si Patris et Filii divinitatem cupiunt separare, cum omnem plenitudinem divinitatis corporaliter Filius habeat, quid est quod Patri aestimant amplius adscribendum, cum amplius nihil sit plenitudine et plenitudo perfectio sit? Ergo una divinitas.“[2]

c. Diserte praedicatur *unitas naturae* Christi et Patris:

---

[1]) Isid. Pel. Epist. 4, 166.
[2]) Ambros. De fide 3, 6.

„Ego et Pater *unum* sumus" (Ioan. 10, 30). Atqui his unitas asseritur substantialis. Consequitur hoc tum ex verbis ipsis tum ex contextu. [1])

4. Christo *cultus* vindicatur *soli Deo* debitus. Est nimirum aliquis cultus, quo nefas est colere quemquam nisi Deum solum. „Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo" (Is. 42, 8). Atqui cultus hic in Scripturis Christo vindicatur. Et sane:

a. Christo tribuitur cultus *idem* quo colendus est *Pater:*

„Ut omnes honorificent Filium, sicut (καθώς) honorificant Patrem . . . qui misit illum" (Ioan 5, 23). Ergo, inquit Augustinus, „non inferius, sed sicut honorificant Patrem".

b. Cultus *supremus* fidei, spei, caritatis Christo vindicatur:

α. Iubemur *credere* sicut in Deum ita in Christum: „Creditis in *Deum*, et *in me* credite" [2]) (Ioan. 14, 1). De proprio sensu termini ‚in Deum credere' haec habet Augustinus: „Ut credatis in eum, non ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei; non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Nam et daemones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere: credimus Paulo, sed non credimus in Paulum . . . Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire et eius membris incorporari." [3]) — „Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum" (Ioan. 17, 3). Quibus verbis non sane solus Pater dicitur esse verus Deus, sed Pater declaratur esse verus Deus, qui utique non est nisi unus (σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν), in oppositione ad falsa gentilium idola. [4]) Idem habet Ioannes (1 Ioan. 5, 20): „Dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius; hic est verus Deus et vita aeterna." Et eos significat filios Dei fieri, „qui credunt in nomine eius (εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ)" (Ioan. 1, 12).

β. Christus exhibetur *spei* nostrae et motivum et obiectum: Simpliciter dicitur „spes nostra" (1 Tim. 1, 1), idque ideo, quia „non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri" (Act. 4, 12). In eo prae-

---

[1]) Cf. de hoc textu tract. de Deo uno et trino p. 144.

[2]) Parum interest, utrum illud πιστεύετε, quod utrimque legitur, cum multis utrimque sumatur sensu imperativo, an potius cum Vulgata priori loco accipiatur sensu indicativo.

[3]) Augustin. In Ioan. tr. 29. — Cf. plura hac de re in ‚Pastor bonus' 1889, 406 sq.

[4]) „Ordo verborum est: ut te et quem misisti Iesum Christum cognoscant solum verum Deum" (Augustin. in h. l.).

terea significatur posita omnis et sanctificationis nostrae et beatitudinis futurae spes: „Nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut ille sanctus est . . . Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis, qui in eo manet, non peccat . . . In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli" (1 Ioan. 3, 2 sq.).

γ. Iubemur Christum *amare* super omnia: „Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus" (Matth. 10, 37). In quae verba haec habet Augustinus: „Vidisti auctoritatem doctoris? Vidisti quomodo ostendat seipsum genuinum Patris Filium omnia iubens infra relinquere et caritatem suam anteferre." Unde Apostolus: „Quis non separabit a caritate Christi (i. e. erga Christum)? . . . In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos" (Rom. 8, 55 sq.).

δ. Hinc denique Christus ab omnibus *adorandus* esse diserte praedicatur: „Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum" (Phil. 2, 10).

5. *Nomina* ipsa „Deus" et „Filius Dei" proprio sensu accepta de Christo diserte praedicantur.

Nomina „Filius Dei" et „Deus", sc. tum nomen incommunicabile Iahve et ὁ κύριος, quo Graeci nomen incommunicabile vertunt, tum etiam Elohim et Adonai, cum iam per se, nisi aliud probetur, sensu proprio sumenda sint, in sacris Scripturis in numero singulari ac definite non adhibentur nisi de vero Deo et de vero atque unico Filio eius. Id quod probatur tum inspectis locis, ubi nomina illa occurrunt, tum testimoniis Pauli et Patrum. „Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?" (Hebr. 1, 5). „Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus." [1])

Atqui nomina illa de Christo adhibentur. Et sane:

a. Qui in *Vetere Testamento* dicitur Iahve, in N. T. Christus esse declaratur:

[1]) Iren. 3, 6. — Quodsi in V. T. etiam „angelus" nonunquam dicitur Iahve, hic angelus vel intelligendus est cum plurimis Patribus persona divina missa, vel, si angelus est creatus, nomen Dei ad eum refertur, „qui interius praeerat", non vero ad eum, „qui exterius ministrabat" (Gregor. M.). — Quodsi porro etiam homines dii vocari videntur, haec nuncupatio teste Apostolo (Hebr. 1, 5) nunquam definita ac absoluta est (ὁ υἱός), sed homines sic vocantur vel in numero plurali, vel indefinite (Gal. 4, 7), vel collective (Exod. 4, 22), vel typice (2 Reg. 7, 14), ita videlicet ut sensum subesse improprium sit manifestum.

Ab Apostolo (Hebr. 1, 6) dicitur Deus (ut auctor Psalmi) in Ps. 96, in quo Iahve in terra apparens extollitur, primogenitum suum in mundum introducens ab angelis adorandum iussisse. — Apud Malach. 3, 1 dicit Iahve: „Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam“; apud Marc. 1, 2 vero legitur: „Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est . . .: ecce ego mitto angelum meum ante faciem *tuam.*“ — Gloriam, quam vidit Isaias (6, 1 sq.) Dei Iahve Zebaoth, testatur Ioannes (12, 41) fuisse Christi gloriam.

b. In *Novo Testamento* Christus expresse praedicatur Filius Dei (ὁ υἱός) atque ipse Deus:

De Christo a Ioanne baptizato testatur *Pater*: „Hic est *Filius meus dilectus* (ὁ υἱός μου ἀγαπητός), in quo mihi complacui“ (Matth. 3, 17). In quae verba Hilarius: „Quid calumniam Deo Patri professae de Filio proprietatis afferimus? Anne tibi in eo, quod dicitur «hic est», non hoc significare videtur: alios quidem cognominatos ab eo in filios, sed hic Filius meus est? Donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi Filius est. Ne quaeras alium, ne non hunc esse credas. Hunc ego tamquam digito indice ac verbi significatione contingo, qua dico: et meus est, et hic est, et Filius est.“ [1]) — „Respondens *Simon Petrus* dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi (ὁ υἱός τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος)“ (Matth. 16, 16). In quae Hilarius: „Si ex adoptione filius est, unde haec in Petro beata confessio est, hoc Filio deferente quod est commune sanctorum?“ [2]) — „Respondit *Thomas* et dixit ei: Dominus meus et Deus meus“ (Ioan. 20, 28). „Si creatura esset, ait Cyrillus, non fuisset passus dicere: Tu es Deus meus.“ [3]) — *Ioannes* [4]) qui in evangelio suo Verbum, quod caro factum est, diserte praedicat Deum esse (καὶ θεὸς ἦν ὁ Λόγος) (Ioan. 1, 1), idem in epistola sua prima haec profitetur: „Et sci-

---

[1]) Hilar. De Trinit. 6, 22.

[2]) Hilar. De Trinit. 6, 36.

[3]) Cyrill. Alex. Thesaur. 5, 1. — Inepte aliqui verba Thomae non eius ad Christum dicta sed meram stupentis exclamationem esse voluerunt. Unde iam Concilium V (Act. 8, 12) haec statuit: „Theodorus (Mopsuestenus) confessionem, quam fecit Thomas . . , inquit non esse dictam a Thoma de Christo, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitavit . . . Si quis defendit praedictum impium Theodorum et impia eius conscripta . . . talis anathema sit.“

[4]) „Beatus Ioannes post alios veniens, cum homines in infima Christi natura totos occupari cerneret atque Ebionaeos ob corpoream Christi genealogiam in errorem abductos videret, ita quodammodo est allocutus: Quo tenditis, quove iter habetis? Non ita ut putatis, sese res habet. Neque ex sola Maria Dei Verbum editum est, quod ab aeterno Pater genuit, sed in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.“ (Epiphan. Haeres. 69). — De toto primo capite Ioannis cf. tract. de Deo uno et trino p. 141.

mus, quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius; hic (οὗτος) est verus Deus et vita aeterna" (1 Ioan. 5, 20).[1] — Christum alloquitur *Paulus*: „Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi" (Hebr. 1, 8). Et idem Paulus haec de eodem Christo habet: „Exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi (ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος)" (Tit. 2, 13). Hinc ad haec verba quaerit Hieronymus: „Ubi est serpens Arius, ubi Eunomius coluber? Magnus Deus Iesus Christus Salvator dicitur."[2] Idem demum Paulus haec habet: „Ex quibus (Israelitis) est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula" (Rom. 9, 5). Ubi sciscitatur Origenes: „Quid de hoc loco Apostoli facient (haeretici), in quo aperte Christus super omnia Deus esse perhibetur?"[3]

2. Christi divinitas constanti universalique consensu comprobatur *Ecclesiae*. Aliqua hic de fide hac antenicaena testimonia accipiantur:

1. Testes huius fidei sunt ipsi *Gentiles* et *Iudaei*. Sic Plinius testatur, christianos solitos fuisse „stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem."[4] Celsus ex Dei infinita perfectione atque immutabilitate evincere nititur, absurdum esse christianorum dogma, secundum quod ipse Deus factus sit homo. Idem porro Iudaeum inducit Christo irridentem quod, Deus cum sit, in Aegyptum fugiat, mortem timeat, cibis vescatur.[5]

---

[1]) Pronomen „hic" non ad praecedens „verum Deum", sed ad vocem „Filio" refertur: tum quia ex vi sua ad nomen proxime praecedens referendum est (Ἰησοῦ Χριστῷ), tum quia secus sermo tautologicus foret atque ineptus, tum quia, quemadmodum evangelii, ita etiam huius epistolae scopum habuit Ioannes, ut quid de Verbo incarnato sentiendum sit dicatur.

[2]) Particula „et" in illo „magni Dei et Salvatoris nostri" non duas distinguit personas, sed eiusdem personae duo praedicata; id quod et ex textu graeco patet, ubi nomen utrumque sub uno articulo comprehenditur, et ex versionibus aethiopica et syriaca, in quarum priori „et" omittitur, in altera genitivi signum ante prius tantum nomen ponitur. Ceterum ἐπιφάνεια exspectanda nunquam in Scripturis tribuitur nisi Christo.

[3]) Immerito Erasmum secuti Wetstein, Griesbach, Scholz puncto interposito ante „qui est" vel ante „Deus benedictus" doxologiam illam non ad Christum, sed ad Deum Patrem referendam esse volunt. Immerito etiam Kuhn Patrum interpretationem hac in re non esse constantem asserit. Cf. Franzelin, De Verbo incarn. th. 9. Ex ipsis protestantibus recentioribus Pfleiderer (Paulinismus, p. 163) non iam audet reiicere explicationem, qua doxologia illa ad Christum refertur, eamque antiquitus concedit fuisse communem („früher allgemein").

[4]) Plin. Epist. ad Traian.

[5]) Orig. C. Cels. 4, 14; 1, 66. Cf. Arnobium 1. 1; Iustin. C. Tryph. 48.

2. Testantur fidem in Christi divinitatem et verbis et sanguine suo *martyres.* Unum audiatur S. Pionii egregium testimonium, qui a. 250 cum sociis Smyrnae martyrium subiit: „Polemon (iudex) dixit: quem colis *Deum?* Respondit Pionius (martyr): *Deum omnipotentem* qui fecit coelum et terram, quem cognovimus per *Verbum eius Iesum Christum.* (Idem respondit Sabina). Post haec adstante haud procul Asclepiade Polemon dixit: quem colis *Deum?* Respondit: *Christum.* Polemon: quid ergo, iste *alter* est? Respondit: *non, sed ipse,* quem et ipsi paulo ante confessi sunt . . . Iudices iterum dixerunt: quem Deum colitis? Pionius respondit: hunc qui coelum fecit et sideribus ornavit, qui terram statuit . . . Tum illi: *illum* dicis, *qui crucifixus est?* Et Pionius: *illum* dico, quem pro salute orbis Pater misit.“ — Similia leguntur in Actis martyrum Ignatii, Symphorosae, Iustini, Epipodii etc. [1])

3. *Symbolorum* antiquissimorum sensus apertus est. Symbolum Ecclesiae Rom.: „Credo in Deum, Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum (τὸν Epiphan.) υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν κύριον ἡμῶν, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου etc.“ Symbolum Hierosolymit. profitetur fidem „in unum Deum . . . et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum, Deum verum ante omnia saecula, per quem omnia facta sunt.“ Antiochenum: „in unum Deum Patrem et in Filium eius, unigenitum Deum, per quem omnia, genitum ex Patre ante saecula, Deum ex Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto etc.“ Similiter Symbolum Caesariense et Neocaesariense Gregorii Thaumaturgi. Symbolum tandem Nicaenum haec definit: „. . . et in unum Dominum Iesum Christum, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ καὶ φῶς ἐκ φωτός, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί, κ. τ. λ.“

4. Ex *Patribus* soli prodeant vetustissimi Christum „Deum“ simpliciter dicunt frequentissime: ὁ Θεὸς Δαβὶδ [2]), τὸ πάθος τοῦ Θεοῦ μου [3]), τὰ παθήματα τοῦ Θεοῦ, passiones Dei, sanguis Dei [4]). Vocant

[1]) Cf. Ruinart, Act. martyr.

[2]) Doctr. Apost. 10, 6. In textu legitur: Ὡσαννὰ τῷ Θεῷ Δαβίδ, dum contra apud Matth. 21, 9 habetur: Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Lectionem Doctrinae genuinam esse probat Harnack (Lehre der zwölf Ap.) et terminum ipsum dicit pretiosum („kostbarer Ausdruck“), cuius rei rationem reddit etiam hanc, quod Christus ibi agnoscatur Deus („Der Ausdruck enthält eine θεολογία τοῦ Χριστοῦ, denn der Zusammenhang macht es sicher, dass dieser, der wiederkehrende, nicht Gott selbst [i. e. Deus Pater] gemeint ist“).

[3]) Ign. Ad Rom. 6, 3.

[4]) 1 Clem. 2, 10. Cf. 2 Clem. 1, 4 et passim. Tert. De carne 5; Ad ux. 2, 3.

illum qui venit in carne τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ [1]), nomen huius Filii dicunt esse „magnum et immensum“ [2]), solum eum dicunt esse „proprie Filium (ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱός)“. [3]) Eum dicunt „antiquiorem omni creatura“ [4]), „ante omnes creaturas una cum Patre“, „praeexstitisse Filium Creatoris universi cum Deus sit ipse (Θεὸς ὤν), ita hominem factum esse, ut quod erat maneret (καί ἐστιν ἀεί)“. [5]) Vocant „solem opus manuum Christi“ [6]), dicunt „ipsum nobis largitum esse lucem“ [7]), simpliciter omnium rerum habent Creatorem. [8]) Quamvis porro despectus sit, „reipsa“ affirmant „adoratum“, utpote „τὸν θεῖον Λόγον“. [9]) Unde teste Eusebio martyres „Christum invocabant Deum omnium“. [10]) Intimam denique horum rationem reddunt Christi cum Patre substantialem unitatem: „Hunc ex Deo probatum didicimus et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiae“ [11]). — Atque haec sufficiant. [12])

OBIICITUR: [13]) 1. Contra Christi *potentiam:* Christus ipse dicit: „Pater maior me est“ (Ioan. 14, 28); et: „Non potest Filius a se facere quidquam“ (Ioan. 5, 19).

Resp. a. „Distinguamus, quid in Scripturis sonat secundum formam Dei, in qua aequalis est Patri, et quid secundum formam servi, in qua minor est Patre: et non conturbabimur tamquam contrariis et repugnantibus inter se ss. librorum sententiis.“ [14])

b. „Nihil igitur (absoluti) est proprium, quia omnia communia, quia ipsum esse commune est et aequale, quamvis Filio sit a Patre.“ [15])

2. Contra Christi *scientiam:* „De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo neque Filius, nisi Pater“ (Marc. 13, 23).

Resp. a. „In natura quidem humanitatis novit diem et horam iudicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit . . . itaque scientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hanc se cum angelis . . . habere denegavit.“ [16])

---

1) Barnab. 5.
2) Herm. Sim. 9.
3) Iustin. Apol. 2, 6.
4) Herm. l. c.
5) Iustin. C. Tryph. 62, 48, 113.
6) Barnab. 5.
7) 2 Clem. 1, 4.
8) Iustin. 2 Apol. 6.
9) Clem. Alex. Protrept. 10.
10) Euseb. 8, 11.
11) Tertull. Apol. 2, 1.
12) Ex his patet, quam immerito A. Harnack (Dogmengesch. 1, 160) affirmet, usque ad medium saeculum 2 et ultra doctrinam de „essentia Iesu“ consentientem non fuisse.
13) Aliarum, quae ex Scriptura et Patribus moveri possunt, difficultatum solutionem cf. in tract. de Deo uno et trino p. 156.
14) Augustin. De Trin. 1, 11.
15) Gregor. Naz. Or. 30.
16) Gregor. M. Epist. 10, 39.

b. „Quid potest esse, quod ipse nesciat? Sed quia hoc utiliter occultabat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat.“ [1]

Articulus II.

De Natura Assumpta.

Natura humana, quam Verbum assumpsit, hic spectabitur, prout est in se [th. 3]; quae enim ei ex Verbi unione contingunt, ea hac explicata unione infra declarabuntur.

Thesis 3.

Iesus Christus 1. verus homo est; 2. ideoque assumpsit et verum corpus humanum et animam rationalem; 3. assumpsit vero naturam humanam ex genere nostro; eamque 4. obnoxiam affectibus et defectibus humanam naturam in ordine praesenti sponte consequentibus.

Docetae Christo *corpus* fuisse tantum apparens vel umbratile, Valentiniani, quos Anabaptistae et Quakeri secuti sunt, corpus ex materia aërea sive siderea formatum statuerunt; Ariani aliqui *animam* ei fuisse nullam, Apollinaristae sensitivam tantum voluerunt, Verbo animae humanae tenente vices. Qui omnes cum in eo conveniant, ut humanae naturae veritati aliquid detrahant, imprimis generatim nobis erit probandum, Christum verum fuisse hominem summique momenti veritatem hanc esse, deinde speciatim eum et veram assumpsisse carnem et animam rationalem, tum naturam hanc humanam eum non aliunde sumpsisse, sed ex genere nostro, ita ut ipsius natura humana nostrae sit consubstantialis, denique naturam eius humanam non fuisse expertem affectuum et defectuum, qui in praesenti rerum ordine cum humana natura connectuntur.

Universam hanc doctrinam sic breviter enuntiat Symb. Athanasianum: „Perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens“; et Conc. Chalcedonense (Act. 5) definiens: „Christum perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato“; distinctius denique Conc. Viennense: „. . . Verus homo, humanum sc. corpus passibile et animam intellectualem seu rationalem ipsum corpus vere, per se et essentialiter informantem assumpsit.“

DEMONSTRATUR: **1.** Christus est *verus homo.*

Verum hominem esse Christum tam clare ac luculenter utriusque Testamenti libri et vaticinantur et praedicant, ut nihil magis, atque Patres non dubitaverint asserere, omnia, si Christus verus non

[1]) Augustin. De Gen. c. Manich. 1, 34. Cf. Knabenbauer in Marcum 13.

sit homo, quantumvis aliunde videantur certa in dubium esse vocanda. Et re quidem vera:

1. Negata Christi humanitate subvertitur *opus redemptionis;* est enim axioma Patrum frequentissimum: „Quod assumptum non est, neque sanatum est.“ Ita v. g. Irenaeus declarat, si putative Christus apparuerit, „oportere alium eius adventum exspectare, in quo talis futurus sit qualis nunc visus sit . . . quia non habuisset vere sanguinem et carnem, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adae in semetipsum recapitulasset.“ [1])

2. Negata Christi humanitate subvertuntur universa *mysteria christiana.* „Sequitur, ut omnia, quae per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint . . . Eversum est igitur totum Dei opus, totum christiani nominis et pondus et fructus, mors Christi negatur, quam tam impresse Apostolus demandat utique veram, summum eam fundamentum evangelii constituens et salutis nostrae et praedicationis . . . negata vero morte nec de resurrectione constabit . . . proinde resurrectione Christi infirmata etiam nostra subversa est.“ [2])

3. Negata Christi humanitate subvertitur *Ecclesiae visibilitas.* „Dicunt (Docetae) non oportere inenarrabilis et invisibilis virtutis mysterium per visibiles et corruptibiles perfici creaturas . . . esse autem perfectam redemptionem ipsam agnitionem inenarrabilis magnitudinis suae . . . spiritualem oportere et redemptionem esse, redimi enim per agnitionem interiorem hominem spiritualem, et sufficere eis universorum agnitionem.“ [3])

4. Negata Christi humanitate subvertitur tota *vita christiana.* „Si solum ad speciem sunt haec peracta, et ego solum specie tenus vinctus sum. Quid vero et meipsum morti destinatum tradidi ad ignem, ad gladium, ad bestias? . . . Tantum in nomine Iesu Christi, ut simul cum ipso patiar, omnia sustineo, ipso me roborante, qui perfectus homo factus est.“ [4])

5. Negata Christi humanitate subvertitur *fides in ipsam divinitatem.* „Vani sunt, qui putative eum dicunt apparuisse. Non enim putative haec, sed in substantia veritatis fiebant. Si autem, cum homo non esset, apparebat homo: neque, quod vere erat, perseverabit, h. e. Dei Spiritus, neque veritas quaedam erat in eo; non enim illud erat, quod videbatur.“ [5])

6. Negata Christi humanitate omnis denique *certitudo* subvertitur. „Quomodo ipsi vere se putant disputare, quando magister

[1]) Iren. Adv. haer. 5, 1.
[2]) Tertull. Adv. Marc. 2, 8.
[3]) Iren. 1, 21.
[4]) Ignat. Ad Smyrn. 4.
[5]) Iren. 5, 1.

eorum putativus fuit? Aut quomodo firmum quid possunt habere ab eo, qui putativus et non veritas erat? . . . Putativum est igitur et non veritas omne apud eos; et nunc iam quaeritur, ne forte, cum et ipsi homines non sint, sed muta animalia, hominum umbras apud plurimos perferant.“ [1])

2. Christus habuit et *verum corpus reale* et *rationalem animam.*

1. Christus habuit *verum corpus.* [2])

a. Ad naturam humanam pertinet verum corpus habere; supposito igitur, Filium Dei assumpsisse humanam naturam, consequens est, eum verum corpus assumpsisse. [3])

b. „Verbum *caro* (σάρξ) factum est“ (Ioan. 1, 14). Iam vero hic terminus „carnis“, licet usu loquendi biblico et ecclesiastico per synecdochen totam soleat significare humanam naturam, primo tamen et per se eiusdem partem materialem ac corpoream exhibet. [4])

c. Ipse Dominus omne dubium excludere voluisse videtur, cum discipulis spiritum se videre putantibus palpandum sese praebuit dicens: „Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere“ (Luc. 24, 39).

2. Christus habuit *animam rationalem.* [5])

---

[1]) Iren. 4, 33.

[2]) Circa Christi *corpus*, dum mortalis inter mortales degeret, cum quaeritur, utrum eximia floruerit formae *venustate* an secus, placent nobis quae plurimis Patrum testimoniis ad trutinam vocatis hac de re scribit Thomassinus (De incarn. 4, 7): „Nobis animo insedit sententia, ut et Christi dignitati magis consentanea sanctorumque Patrum consona doctrinae unanimi: tam a turpitudine ipsum quam a mollitie et lenociniis formae abfuisse neutroque conspicuum, unam innocentiae et iustitiae, sanctimoniae et veritatis, virtutumque omnium pulchritudinem prae se tulisse.“

[3]) Cf. S. Th. 3 q. 5 a. 1.

[4]) Cum dicitur „Verbum *caro* factum est“, caro ponitur pro toto homine, sicut Isa. 40, 5: „Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.“ Totus vero homo hoc loco nomine „carnis“ significatur, a. quia caro pars hominis est visibilis nobisque magis nota, b. quia, cum magis distet a Verbo, minus assumptibilis videbatur, c. quia „volens Evangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum et carnem nominavit, praetermittens animam, quae est Verbo inferior, carne praestantior“ (Aug. QQ. 83. qu. 80), d. quia, „cum caro maxime sit peccatorum sentina, exprimi debebat, Christum peccatum et maledictum factum esse“ (Gregor. Naz. Or. 51).

[5]) Si de *ordine* quaeritur assumptionis, Verbum, licet secundum ordinem *temporis* totam humanam naturam simul sibi univerit, tamen ordine *naturae* corpus mediante anima dicendum est assumpsisse, tum si attendamus gradum dignitatis, cum anima inveniatur media inter Deum et carnem, tum quia secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis Filio Dei uniendae, cum caro non sit assumptibilis nisi inquantum est caro humana, quod quidem ut sit habet ex anima. Quodsi ipsius animae inter se comparentur facultates, eodem ordine et dignitatis et causalitatis „unitum est carni per medium intellectum Verbum Dei“ (Damasc. De Fide 3, 6). Cf. S. Th. 3 q. 6 a. 1 et 2.

a. Exigitur *veritate incarnationis.* „Sine anima nihil sumus, ne hominis quidem, sed cadaveris nomen.“ [1]) „Nam caro et ceterae partes hominis per animam speciem sortiuntur, unde recedente anima non est os aut caro nisi aequivoce . . . cum corpus proportionetur animae, sicut materia propriae formae, non est vere caro humana, quae non est perfecta anima humana sc. rationali: et ideo si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem; quia per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali: unde dicit Augustinus, quod secundum hunc errorem sequeretur, quod Filius Dei belluam quandam cum figura humani corporis suscepisset.“ [2])

b. Exigitur *fine incarnationis.* Nam „si accepta carne Filius Dei animam omisit, aut innoxiam sciens medicinae indigentem non credidit, aut a se alienam putans redemptionis beneficio non donavit, aut ex toto insanabilem iudicans curare nequivit, aut ut vilem et quae nullis usibus apta videretur abiecit. Horum duo blasphemiam important in Deum. Quomodo enim docetur omnipotens, si curare non potuit desperatam? Aut quomodo omnium Deus, si non ipse facit animam nostram? Duobus autem aliis, in uno animae causa nescitur, in altero meritum non tenetur. An intelligere causam putandus est animae, qui eam ad accipiendam legem habitu insitae rationis instructam a peccato voluntariae transgressionis nititur separare? Aut quomodo eius generositatem novit qui ignobilitatis vitio dicit esse despectam? Si originem attendas, pretiosior est animae substantia; si trangressionis culpam, propter intelligentiam peior est carne. Ego autem Christum et perfectam sapientiam dico et scio, et piissimum esse non dubito: quorum primo meliorem et prudentiae capacem non despexit; secundo eam, quae magis fuerat vulnerata, suscepit.“ [3])

Si vero anima, ut redimeretur, assumi debebat, anima haec rationalis esse debuit: „anima enim humana non est capax peccati nec gratiae iustificantis nisi per mentem.“ [4]) Et sane: „Si quis in hominem mente carentem sperat, amens profecto est nec dignus, cui omni ex parte salus afferatur. Nam quod assumptum non est, curationis est expers; quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur. Si dimidia tantum ex parte Adamus lapsus est, dimidiatum quoque sit, quod assumptum est et quod salutem accipit.“ [5])

---

[1]) Tertull. De carne Chr. 12.
[2]) S. Th. 3 q. 5 a. 3 et 4.
[3]) Augustin. C. Felician. 13.
[4]) S. Th. 3 q. 5 a. 4.
[5]) Gregor. Naz. Ep. 101.

c. Exigitur *auctoritate Scripturae.*[1]) „Dominus de sua anima facit mentionem: «Tristis est anima mea usque ad mortem» (Matth. 26, 38) et «potestatem habeo ponendi animam meam» (Ioan. 10, 18). Sed ad hoc respondebat Apollinaris, quod in his verbis anima metaphorice sumitur. Sed evangelistae in evangelica narratione narrant, quod miratus est Iesus (admiratio absque ratione esse non potest, quia importat collationem effectus ad causam) et iratus et contristatus, quae quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse, sicut ex hoc, quod comedit et dormivit et fatigatus est, demonstratur eum habuisse verum corpus humanum.“[2])

3. Christus naturam humanam assumpsit ex *genere nostro.*

1. *An* sit probatur.

a. In V. T. promissionibus Christus futurus exhibetur „semen mulieris“, „semen patriarcharum“, „semen ex lumbis David“, „filius David“, „concipiendus et nasciturus“ ex virgine stirpis Davidicae.

b. In N. T. Christus dicitur „concipi in utero“ Virginis, et „ex“ ea nasci, filius David „patris eius“, imo „factus ex muliere“ (Gal. 4, 4). „Hoc quidem impressius quod ‚*factum*‘ potius dicit quam natum; simplicius enim enuntiasset ‚natum‘. ‚Factum‘ autem dicendo et ‚Verbum caro factum est‘ consignavit et *carnis veritatem ex Virgine factam* adseveravit.“[3]) „Ut ostenderet Apostolus, ex humana massa carnem deiferam esse concretam, significantiorem vocem praeelegit. Nam illud ‚per mulierem‘ posset notionem transitus in nativitate ingerere; hoc autem ‚*ex muliere*‘ satis declarat *communicationem naturae in genito relate ad genitricem.*“[4]) „Unus idemque de Patre sine initio Deus semper genitus, de matre homo verus secundum carnem temporaliter conceptus et natus. Quam carnem non conceptam accepit Deus, sed in ea est Deus altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus est in Virgine et de Virgine secundum carnem, qui sibi, de qua et in qua crearetur, creaverat genitricem.“[5])

2. *Cur* sit probatur.

---

[1]) *Traditionis* doctrina nimis est manifesta, quam quod plura de ea dicantur. Falluntur vero vehementer ex recentioribus protestantibus Münscher, Neander, de Wette, qui pene omnes antiquiores Patres in eo errore fuisse calumniantur, quo Ariani deinceps et Apollinaristae carnem tantummodo, non animam vel certe non animam rationalem a Filio Dei assumptam esse affirmabant. Cf. Franzelin, De Verbo incarn. th. 13.

[2]) S. Th. 3. q. 5 a. 3.

[3]) Tertull. De carne Chr. 20.

[4]) Basil. De Spir. S. c. 5. — Cf. Hom. Bedae (4, 49 in Luc. 11) in Brev. Rom. 3 noct. fest. B. M. V. per annum.

[5]) Fulgent. De incarn. 5.

„Qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes; propter quam causam non confunditur *fratres* eos vocare“ (Hebr. 2, 11 sq.). Scilicet: „Si Deus Verbum sic in Virgine caro fieret, ut ex ea non fieret, procul dubio non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, essetque eius per Virginem transitus, atque ita nec mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanae divinaeque plenam in se Christus Dei Filius inconfusibiliter uniret substantiae veritatem. Hoc ergo medicinaliter usa est bonitas divina remedio, ut ille Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, non solum in muliere, sed etiam ex muliere fieret homo.“[1])

Placuit nimirum Deo, ut „non alia plasmatio fieret, et non alia esset plasmatio quae salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur“[2]); „ut gentes concorporales et comparticipes essent Christi“[3]); „ut nos redimeret ex nostro, et ut caro, quae peccaverat, per se redimeretur“[4]); ut „naturam in se universae carnis assumeret, per quam effectus vera vitis genus in se universae propaginis teneret“[5]); ut „nos essemus caro eius de utero Virginis sumpta“[6]); ut „a nobis arrhabonem carnis acciperet et veheret in coelum, pignus totius summae illuc quandoque redigendae“[7]); ut denique „in Christo caro nostra nos diligeret“.[8]) Quae omnia hymnus in Ascensione Domini sic breviter complectitur:

„Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Dei caro.“

Conveniens igitur fuit „Filium Dei humanam naturam assumere ex stirpe Adae propter tria. Primo quidem quia hoc videtur ad *iustitiam* pertinere, ut ille satisfaciat qui peccavit; et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Secundo quia hoc etiam pertinet ad maiorem *hominis dignitatem*, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertio quia per hoc etiam *Dei potentia* magis ostenditur, dum de natura corrupta et infirma assumpsit id, quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum.“[9]) Hoc enim ipso quod corpus infirmum ad tantam sublimitatem provexit, suam Deus ostendit *potentiam*. „Qua-

[1]) Fulgent. De incarn. 5.
[2]) Iren. 3, 21.
[3]) Athanas. C. Apollinar. 2, 5.
[4]) Ambros. De incarn. 54.
[5]) Hilar. In Ps. 51.
[6]) Leo, Serm. 10.
[7]) Tertull. De resurr. carnis 51.
[8]) Maximus Taurin. Hom. 1 in Pascha.
[9]) S. Th. 3 q. 4 a. 6.

liter artificum optimi non in pretiosis tantum materiebus artem ostendentes in admiratione sunt, sed vilissimum lutum et terram dissolutam plerumque assumentes, suae disciplinae demonstrantes virtutem, multo magis laudantur: ita omnium optimus artifex Dei Verbum non aliquam pretiosam materiam corporis coelestis apprehendens ad nos descendit, sed in luto magnitudinem suae artis ostendit.“ [1])

Hinc sponte etiam consequitur, fuisse conveniens, Christum de *muliere* fuisse natum. Qua de re haec habet S. Thomas: „Licet Filius Dei carnem humanam assumere potuerit de quacumque materia voluisset, convenientissimum tamen fuit ut de femina carnem acciperet. Primo quidem quia per hoc *tota humana natura* nobilitata est. Unde Augustinus dicit: «Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret quod ille vir de femina natus est.» [2]) Secundo quia per hoc *veritas incarnationis* adstruitur. Unde Ambrosius dicit: «Multa in Christo secundum naturam invenies et ultra naturam: secundum conditionem etenim naturae in utero, feminei scilicet corporis, fuit, sed supra conditionem virgo concepit, virgo generavit; ut crederes quia Deus erat, qui innovabat naturam, et homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.» [3]) Et Augustinus dicit: «Si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur; et dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc vero ita inter Deum et hominem mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam et solita sublimaret insolitis et insolita solitis temperaret.» [4]) Tertio quia per hunc modum completur omnis *diversitas generationis* humanae. Nam primus homo productus est ex limo terrae sine viro et femina; Eva vero producta est ex viro sine femina; alii vero nascuntur ex viro et femina. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex femina sine viro.“ [5])

4. De *fragilitatibus* naturae humanae in Christo.

Ex unione hypostatica naturae humanae per se debebatur „tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet“. [6])

---

[1]) Conc. Ephes. pars 2 act. 1.
[2]) Augustin. QQ. 83, qu. 11.
[3]) Ambros. De incarn. 6.
[4]) Augustin. Epist. 137 ad Volus.
[5]) S. Th. 3 q. 31 a. 4.
[6]) Augustin. De praedest. Sanct. 31.

Nihilominus propter redemptionis nostrae oeconomiam Christus influxu illo ex natura sua divina in humanitatem veluti suspenso hanc omnibus illis *fragilitatibus* voluit subiacere, quae naturam humanam sponte sequuntur. Quae quidem fragilitates eos complectuntur eosque, ut per se patet, solos et *affectus* et *defectus*, qui rationem peccati quamlibet excludunt quique *passiones irreprehensibiles*, πάθη ἀδιάβλητα, vocantur. „Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari" (Hebr. 2, 17 sq.). „Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato" (Hebr. 4, 15). — De singulis et corporis et animae defectibus S. Thomam secuti pauca dicemus. [1])

1. Quaeritur de defectibus *corporis*

Defectus corporales assumpsit Christus eos, qui in omnibus hominibus *communiter* reperiuntur ex peccato primi parentis, quales sunt mors, fames, sitis aliaque huiusmodi; non vero eos, qui vel scientiae et gratiae perfectioni, quam habebat, repugnant, vel qui originem habent ex quibusdam particularibus causis.

Conveniens fuit, corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus et defectibus subiacere: a. propter finem incarnationis, ut sc. vice nostra peccatorum poenas lueret, b. propter fidem incarnationis, ut manifestum sit, eum esse verum hominem, c. propter exemplum patientiae nobis exhibendum. [2])

Ex ipsis principiis carnis humanae, quam Christus assumpsit, corpus eius subiectum fuit naturali *necessitati* mortis et aliorum huiusmodi defectuum. [3])

Non tamen dici potest, Christum corporales defectus *contraxisse:* illud enim dicitur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur; causa autem proxima mortis aliorumque defectuum in humana natura est peccatum, Christus vero erat sine peccato.

2. Quaeritur de defectibus *animae.*

Christus non debuit assumere *peccatum.* Nam defectus nostros ideo suscepit, ut veritatem humanae naturae comprobaret, pro nobis satisfaceret, exemplum nobis fieret virtutis; atqui a. peccatum nihil operatur ad satisfactionem, quin imo virtutem satisfactionis impedit.

---

[1]) Cf. S. Th. 3 q. 14 et 15.

[2]) „Somnum capit, ut somnum benedicat; fortasse etiam fatigatur, ut fatigationem sanctificet; fortasse etiam lacrimas fundit, ut lacrimas laudabiles reddat" (Gregor. Naz. Or. 37, 2).

[3]) Cf. Schmid, Qu. sel. p. 444 sq.

b. ex peccato non demonstratur veritas humanae naturae, cum sit potius contra naturam „per seminationem diaboli introductum“ (Damascen.), c. peccando exemplum virtutis praebere non potuit, cum peccatum contrarietur virtuti.

In Christo non fuit *fomes* peccati. Ad rationem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus in id, quod est contra rationem; atqui Christus, in quo virtus erat secundum perfectissimum gradum, licet habuerit appetitum sensitivum, nihil tamen contra rationem poterat concupiscere.

In Christo non fuit *ignorantia*. Nam ex unione ad hypostasim divinam Christi natura humana plenitudinem habuit scientiae, quae ignorantiam omnem excludit. Cf. quae infra de *scientia* Christi dicentur.

Anima Christi fuit *passibilis*, idque tum passione corporali, quae ex corporis laesione oritur, tum passione animali, quae proprie in affectionibus appetitus sensitivi invenitur; cuiusmodi tamen passiones in Christo nec ad illicita ferebantur nec rationis iudicium praeveniebant nec rationem trahebant.

Fuit in Christo *dolor sensibilis*. Isaias (53, 3) vocat eum „virum dolorum et scientem infirmitatem“. Ad veritatem enim doloris sensibilis non requiritur nisi laesio corporis et sensus laesionis, quod utrumque erat in Christo. Delectatio autem divinae contemplationis ita per dispensationem divinae virtutis retinebatur in mente Christi, quod non derivabatur ad vires sensitivas, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur.

Fuit in Christo *tristitia*. Christus ipse dicit: „Tristis est anima mea usque ad mortem“ (Matth. 26, 38). Obiectum et motivum tristitiae est nocivum seu malum interius apprehensum; potuit autem anima Christi interius apprehendere aliquid ut nocivum et quantum ad se, sicut passio et mors eius fuit, et quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum.

Fuit in Christo *timor*. „Coepit pavere et taedere“ (Marc. 14, 33). Causatur timor ex apprehensione mali futuri; at Christus mala futura apprehendit, quamvis haec apprehensio non fuerit coniuncta cum incertitudine futuri eventus.

Fuit in Christo *admiratio*. „Audiens Iesus (centurionis fidem) miratus est“ (Matth. 8, 10). Admiratio proprie est de aliquo novo et insolito; at Christo licet nihil accidere potuerit novi quantum ad scientiam vel divinam vel beatam vel infusam, potuit aliquid esse novum et insolitum secundum scientiam experimentalem.

In Christo fuit *ira* (Ioan. 2, 17). Ira est passio composita ex tristitia et appetitu vindictae. In Christo autem tristitia esse potuit;

potuit etiam esse in eo appetitus vindictae, inquantum vindicta appetitur secundum ordinem iustitiae.

Christus itaque fuit simul *viator et comprehensor.* Viator aliquis dicitur ex hoc, quod tendit in beatitudinem, comprehensor ex hoc, quod iam beatitudinem obtinet. Christus autem, quamquam, ut infra videbimus, ante passionem secundum mentem plene videbat Deum et sic habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animae, quantum ad alia caruit beatitudine, quia sc. et anima eius erat passibilis et corpus passibile et mortale.

— Concludamus hanc thesim animadvertendo, Christum in Evangelio plus quam octogies (in Actibus semel, in Epistolis nunquam) vocari „Filium hominis"; quo nomine non solum Christum verum hominem esse significatur, sed praeterea etiam finem ac centrum totius generis humani.

SCHOLION. Quamvis Christus dicatur et sit *filius* Abrahae, *semen* David etc., *non tamen eodem modo* haec de eo praedicari possunt ac de reliquis. „In lumbis Abrahae secundum carnem et Levi et Christus; sed Levi secundum concupiscentiam carnalem (i. e. secundum modum propagationis naturalis), Christus autem secundum solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine et visibilis corpulentia et invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Adam usque ad corpus Mariae. Sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis eius non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit." [1])

Hic locus foret fusius agendi de *supernaturali* ac *virgineo* Christi conceptu. Verum cum de quaestione hac commodius dicatur in disputatione de Mariae genitricis perfecta virginitate, hic ab ea tractanda merito nos supersedere posse putamus.

OBIICITUR. Christus exhibetur „in *similitudinem* hominum factus" (Philipp. 2, 7).

Resp. „Similitudo non accipitur pro similitudine apparentiae, sed pro vera similitudine speciei, sicut omnes homines similes specie dicuntur" [2]), et sicut (Gen. 5, 3) Seth dicitur genitus ad imaginem et similitudinem Adae. — Cum vero idem Apostolus (Rom. 8, 3) dicit missum esse Filium „in similitudinem carnis peccati", non intelligendus est, ;,quasi imaginem corporis et non veritatem acceperit, sed quod ipsa non peccatrix caro Christi eius fuit par, cuius est peccatum". [3])

Inst. Contra veram rationem corporis humani videtur esse, quod legitur: „Primus homo de terra terrenus, secundus homo *de coelo coelestis*" (1 Cor. 15, 47).

Resp. „Christus dicitur de coelo descendisse dupliciter: uno modo ratione divinae naturae, non ita, quod natura divina in coelo esse desierit,

---

[1]) Augustin. De Gen. ad lit. 10, 35.
[2]) S. Th. C. gent. 4, 29.
[3]) Tertull. De carne Chr. 16.

sed quia in infimis novo modo esse coepit, sc. secundum naturam assumptam; alio modo ratione corporis, non quia ipsum corpus Christi secundum suam substantiam de coelo descenderit, sed quia virtute coelesti, i. e. Spiritu Sancto, est eius corpus formatum." [1])

Inst. Etiam *angeli* in V. T. apparuerunt in natura humana visibiles, quin haberent naturam humanam: ergo a. nec de Christo constat, b. imo, cum illae apparitiones signa fuerint apparitionis Christi, nec Christi apparitio dicenda videtur fuisse secundum corporis veritatem.

Resp. ad a. „Licet rerum similitudines aequivoce rerum nomina sibi interdum assumant, non tamen competit s. Scripturae, ut narrationem unius facti totam sub tali aequivocatione proponat, ita quod ex aliis Scripturae locis manifesta veritas haberi non possit, quia ex hoc non eruditio hominum, sed magis deceptio sequeretur. Esset praeterea tota evangelica narratio poëtica et fabularis, si rerum similitudines apparentes quasi res ipsas narraret." [2])

ad b. „Figura debet respondere rei quantum ad similitudinem, non quantum ad rei veritatem. Si enim secundum omnia esset similitudo, iam non esset signum, sed ipsa res. Conveniens ergo fuit, ut apparitiones Veteris Testamenti essent secundum apparentiam tantum, quasi figurae; apparitio autem Filii Dei in mundo esset secundum corporis veritatem, quasi res figurata per illas figuras." [3])

Inst. Anima necessaria est corpori ad hoc, quod per eam vivificetur; at ipsum *Verbum* ad hoc sufficit, cum sit fons vitae.

Resp. „Verbum est fons vitae sicut prima causa vitae effectiva. Sed anima est principium vitae corporis tamquam forma ipsius." [4])

Inst. Ubi est *praesentia* rei, non requiritur eius imago; sed mens hominis est imago Verbi.

Resp. „Ubi est ipsa res per sui praesentiam, non requiritur eius imago ad hoc quod suppleat locum rei: sicut ubi est imperator, milites non venerantur eius imaginem. Sed tamen requiritur cum praesentia rei imago ipsius, ut perficiatur ex ipsa rei praesentia: sicut imago in cera perficitur per impressionem sigilli, et imago hominis resultat in speculo per eius praesentiam, unde ad perficiendam mentem humanam necessarium fuit, quod eam sibi Verbum Dei univerit." [5])

Inst. Maior *lux* offuscat minorem; sed Verbum Dei comparatur ad mentem humanam sicut lux maior ad minorem.

Resp. „Lux maior evacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis; non tamen evacuat, sed perficit lucem corporis illuminati: ad praesentiam enim solis stellarum lux obscuratur, sed aëris lumen perficitur. Intellectus autem seu mens hominis est quasi lux illuminata a luce divini Verbi: et ideo per praesentiam Verbi non evacuatur mens hominis, sed magis perficitur." [6])

[1]) S. Th. 3 q. 5 a. 2 ad 1.
[2]) S. Th. C. gent. 4, 29.
[3]) S. Th. 3 q. 5 a. 1 ad 3.
[4]) S. Th. 3 q. 5 a. 3 ad 2.
[5]) S. Th. 3 q. 5 a. 4 ad 1.
[6]) S. Th. 3 q. 5 a. 4 ad 2.

Inst. *S. Hilarius* negat Christum fuisse passibilem.

Resp. „Hilarius non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit; et non accipit necessitatem per comparationem ad causam primam horum defectuum, quae est peccatum, ut sc. ea ratione dicatur caro Christi non subiacuisse necessitati horum defectuum, quia non fuit in ea peccatum; quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quae est compositio contrariorum, caro Christi subiacuit necessitati horum defectuum." [1]) Addendum praeterea est, ab Hilario urgeri, propter unionem cum Verbo humanae Christi naturae deberi per se ac esse veluti connaturalem impassibilitatem; denique Hilarium praeprimis sollicitum fuisse, ut a „natura divinitatis" passibilitas excludatur. — Ergo verum non est, quod putat Harnack, Hilarium docetismo favere.

Articulus III.

De Unionis Indole.

„Circa mysterium unionis duarum naturarum in Christo duplex *haeresis* insurrexit. Una quidem *confundentium naturas;* sicut Eutychetis et Dioscori, qui posuerunt quod ex duabus naturis est constituta una natura; ita quod confiterentur Christum esse ex duabus naturis, quasi ante unionem distinctis, non autem in duabus naturis, quasi post unionem naturarum distinctione cessante. Alia vero fuit haeresis Nestorii et Theodori Mopsuesteni *separantium personas.* Posuerunt enim aliam esse personam Filii Dei et filii hominis, quas dicebant sibi invicem esse unitas, primo quidem secundum inhabitationem, in quantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo; secundo per unitatem affectus, in quantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei; tertio secundum operationem, prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum; quarto secundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter coniunctionem ad Filium Dei; quinto secundum aequivocationem, id est, communicationem nominum, prout scilicet dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei. Manifestum est autem istos omnes modos accidentalem unionem importare." [2])

Fidem catholicam erroribus his oppositam sic definivit Conc. Chalcedonense: „(Docemus) *unum eundemque* Christum Filium Dominum unigenitum *in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter* (ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως) agnoscendum,

[1]) S. Th. 3 q. 15 a. 5 ad 1.
[2]) S. Th. 3 q. 2 a. 6.

nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam (εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν) concurrente, non in duas personas partitum atque divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum."

Duplex his verbis asseritur unionis proprietas: *distinctio naturarum* et *personae unitas*. De utraque sequentibus disseremus. Sed prius *notiones* aliquae breviter explicandae erunt.

Natura hic intelligitur rei essentia seu substantia maxime prout est principium operationum. *Hypostasis* seu *suppositum* est substantia singularis, integra, divisa ab omni alia; seu est substantia quae maxime in se est. *Persona* non est nisi haec eadem substantia in natura rationali, seu ut habet definitio Boëthiana: persona est rationalis naturae individua substantia. Ultima igitur differentia, qua hypostasis, atque adeo etiam persona in oppositione ad naturam, formaliter constituitur, est totietas eius. [1]) Hinc: hypostaseos est habere, naturae haberi; hypostasis est principium quod, natura principium quo; actiones sunt suppositorum; hypostasis est subiectum praedicationum. Atque haec in praesenti sufficiant; plura de his conceptibus infra dicentur. — *Unio* (ἕνωσις) ab Anastasio Sinaita definitur „διεστώτων πραγμάτων κοινωνικὴ συνδρομή", i. e. rerum distantium communicativus concursus. Substantiarum unio alia est *physica* v. g. unio animae et corporis, alia *moralis* v. g. unio affectuum quae est inter amicos; alia est *accidentalis*, sc. cum substantiis nihil additur nisi accidentale, alia *substantialis* sive substantiva, cum sc. non solum termini, qui uniuntur, sunt substantiae, sed substantiae ipsae ita copulantur secundum se (non solum per mutuos actus), ut unum exsurgat ontologice subiectum proprietatum, qualis est unio animae cum corpore humano. Unionem physicam eamque substantialem videbimus factam esse ex duabus Christi naturis. Substantia autem et pro supposito sumitur, quod de alio praedicatur, et pro natura, quae de supposito praedicatur; unde unio substantialis vel est in *natura* vel in *supposito*. Hanc postremam in Christo obtinere probabimus. „Substantivam unitionem dicimus, non sic, tamquam naturae duae unam naturam compositam effecerint, sed ita ut unitae sint invicem revera in unam hypostasim compositam Filii Dei." [2])

---

[1]) De notionibus naturae et hypostaseos seu personae cf. tract. de Deo uno et trino p. 121 sq.

[2]) Damasc. De fide 3, 3.

Solemniora vocabula, quibus Patres hanc unionem declarant, haec sunt: unitio, adunatio, consortio, sociatio, concordia, foedus, conventio, commixtio, mixtura, coaptatio, susceptio, coniugatio, accessus; συνυφαίνεσις, σύμφυσις, κρᾶσις, σύμβασις οἰκονομική, συνδρομή, ἕνωσις.

Sectio I.

De Personae Unitate.

Thesis 4.

In Christo secundum personam facta est unio.

Primus *Diodorus Tarsensis*, scholae Antiochenae princeps, deinde *Theodorus Mopsuestenus*, eius discipulus, tum *Nestorius*, Theodori discipulus et patriarcha Constantinopolitanus, ut et naturae humanae et maxime divinae veritatem in Christo tuerentur, talem utriusque putaverunt statuendam esse unionem, quae non κατ᾽ οὐσίαν, utpote quae absque divinitatis mutatione esse non posset, sed solum κατὰ χάριν seu κατ᾽ εὐδοκίαν, quaeque proinde potius ἐνοίκησις et συνάφεια et ἕνωσις σχετική esset quam ἕνωσις φυσική et καθ᾽ ὑπόστασιν, similis sc. unioni, qua Deus in aliis hominibus per gratiam suam et eorum voluntatem inhabitat. Unde duas in Christo posuerunt personas relatione atque adeo accidentaliter unitas. Caput autem et radix horum errorum, qui a Nestorio nomen acceperunt, fuit quod duarum naturarum unionem in Virginis utero sic factam assererent, ut ibi formatus fuerit homo integer atque perfectus, subsistens subsistentia propria, quem sibi deinde Verbum coniunxerit unione morali et accidentali. Ex quo deinde errore sponte fluebant alii, sc. in Christo duas esse personas, Verbum non esse vere incarnatum, non oportere naturae alterius propria tribui alteri, B. Virginem non θεοτόκον, sed solum χριστοτόκον esse dicendam; in qua postrema veritate neganda ipsius Nestorii error primitus patefactus est.

Dicimus secundum *personam* in Christo factam esse unionem, unionem ideoque physicam et substantialem, unam proinde in Christo esse personam etc. „Unio secundum hypostasim significat, quod Deus Verbum, h. e. illa hypostasis una ex tribus divinitatis hypostasibus, non homini iam subsistenti unitus sit, sed in utero S. Virginis ex ea sibi ipsi formavit in sua propria hypostasi carnem animatam anima rationali et intellectuali, quod est natura humana.“ [1])

---

[1]) Professio fidei Iustiniani edita in Concilio V.

Quam doctrinam catholicam contra Theodorum et Nestorium primus propugnavit *S. Cyrillus Alexandrinus* docens: Christus Deus et homo est εἷς καὶ ὁ αὐτός, Deus fecit ἰδίαν τὴν σάρκα, Christus est ἐκ δύο φύσεων εἷς, est in eo συνέλευσις δύο φύσεων καθ' ἕνωσιν ἀδιάστατον ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως, est ἕνωσις φυσική, καθ' ὑπόστασιν, est tandem μία φύσις τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένη. Doctrinam Cyrilli probavit *Coelestinus Papa*. Concilia deinde *Ephesinum* et sequentia eam *dogma fidei* definiverunt: „Si quis non confitetur carni καθ' ὑπόστασιν unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem sc. Deum simul et hominem: a. s." (Conc. Ephes. can. 3). „Si quis conatur introducere in mysterio Christi duas subsistentias seu personas, et unam dicit personam per dignitatem et honorem et adorationem . . . sed non confitetur unam eius hypostasim vel unam personam: talis a. s." (Conc. Constantinop. II can. 5).

DEMONSTRATUR: In Christo est *una persona.*

1. Consequitur ex *veritate incarnationis.* — Et sane: „Inhabitatio Verbi Dei in homine non est Verbum Dei incarnatum. Habitavit enim Verbum Dei et Deus ipse in omnibus sanctis a constitutione mundi (2 Cor. 6, 16), quae tamen inhabitatio incarnatio dici non potest; alioquin frequenter ab initio mundi Deus incarnatus fuisset. Nec etiam ad incarnationis rationem sufficit, si Verbum Dei aut Deus pleniori gratia habitavit in illo homine, quia magis et minus speciem non diversificant unionis." [1]) „Nunquam legitur quod Verbum Domini factum sit vel Moyses vel Ieremias vel aliquis aliorum (sc. prophetarum)." [2]) Scilicet: fieri nequit, ut, quando duae sunt substantiae per se subsistentes quantumvis accidentaliter unitae, altera de altera praedicetur in concreto. Sic homo dici potest vestitus, non vero vestis; et propheta, cui Deus inhabitando moraliter est unitus, Deo plenus dici poterit, nunquam autem ipse Deus. [3])

2. *Unus et idem* Christus asseritur Deus et homo.

Probatur ex omnibus quae thesi 2 et 3 sunt allata; praesertim vero ex hisce: „Verbum caro factum est" (Ioan. 1, 14), i. e. Deus aeternus, manens Deus, tempore factus est (ἐγένετο i. e. nascendo) homo: ergo terminus generationis est Deus-homo. „Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo" (Philipp. 2, 6 sq.),

[1]) S. Th. C. gent. 4, 34.

[2]) S. Th. C. gent. 4, 34.

[3]) Quodsi divinitas in Christo dicitur „inhabitasse" (Col. 2, 9), inhabitatio haec ex certa doctrina incarnationis et ipso textu non est intelligenda vulgaris, sed „corporalis" seu essentialis, similis sc. ei inhabitationi, qua anima habitare dicitur in corpore.

i. e. unus idemque in forma Dei Deus natura assumpta humana factus est homo. [1]

Locum utrumque sic comparat S. Cyrillus: „Quonam pacto in carne factum fuisse Verbum dicamus . . ., Paulus mysterii ipsius dispensator evangelicaeque praedicationis minister declarat dicens: Qui cum in forma Dei esset etc.“ [2] Similiter etiam S. Proclus: „Genere locutionis utroque «factum est» et «accepit» et immutabile divinitatis et individuam rationem mysterii divina Scriptura significans et «factum est» dixit et iterum illud «accepit» enuntiavit, ut illo priore personae unitatem ostenderet, hoc autem altero immutabilitatem divinitatis declararet. Deus igitur Verbum factus est homo perfectus, sed ita ut prodigium intelligentiam superans immutabilem naturam non imminuerit.“ [3]

3. *Attributorum* non solum moralium, sed etiam *physicorum* subiectum exhibetur unus Iesus Christus. *Deus* enim Verbum ea asseritur agere, quae per naturam solum *humanam* fieri possunt; et de hoc *homine* Iesu enuntiantur attributa *Dei* propria.

„Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent“ (1 Cor. 2, 8). „Qui descendit, ipse est et qui ascendit“ (Eph. 4, 10). In quem locum haec habet S. Thomas: „Manifestum est, quod ascendere in coelum Christo homini convenit, qui videntibus Apostolis elevatus est; descendere autem de coelo Verbo Dei convenit. Sed Apostolus dicit: Qui descendit, ipse est et qui ascendit. Ipsa igitur est persona et hypostasis illius hominis quae est persona et hypostasis Verbi Dei.“ [4]

Patrum testimonia hac de re efficacissima sunt. Aliqua audiamus. „Deus noster Iesus Christus parturiebatur a Maria.“ [5] „Unus est medicus et carnalis et spiritalis, factus et non factus, in carne natus Deus, in morte vita aeterna, tum ex Maria, tum ex Deo.“ [6] „Nonne vere crucifixus est Deus? Nonne vere mortuus?“ [7] „Quaenam, oro, necessitas Deum coëgit in terram descendere, carnem assumere, panniculis in praesepi involvi, lactante sinu ali, baptismum a famulo suscipere, in crucem tolli, terreno sepulchro infodi,

---

[1]) Illud „non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo“ Velasquez et Corluy secundum naturam Christi humanam volunt esse dictum, sc. de eius exaltatione. Verum haec explicatio non solum nullo solido innititur fundamento, sed universae etiam Patrum interpretationi adversatur, qui omnes id accipiunt de natura divina, de ea sc. ipsa forma Dei, in qua Paulus dicit Christum fuisse. Cf. Period. Oenipont. 1897, 276 sq.

[2]) Cyrillus Alex. Quod unus sit Christus.

[3]) Procl. Ad Armen. ep. 2.

[4]) S. Th. C. gent. 4, 34.

[5]) Ignat. Ad Eph. 18.

[6]) Ibid. 7.

[7]) Tertull. De carne Chr. 5.

a mortuis tertia die resurgere? Aspicite, o homines, aspicite, omnes populi, prodigia nova! Ligno eum suspenderunt, qui terram expandit; clavis eum confixerunt, qui mundi fundamenta stabilivit; circumscripserunt eum, qui coelum circumscripsit."[1]) Quae egregie exprimuntur hymno quodam natali hunc in modum:

„Altitudo, quid hic iaces
In tam vili stabulo?
Qui creasti coeli faces,
Alges in praesepio.
Firmitudo infirmatur,
Parva fit immensitas,
Laboratur, alligatur,
Nascitur aeternitas."

4. Nisi una persona in Christo credatur, a Patribus asseritur in *Deo* introduci *quaternitatem*. — Atque merito: in symbolis praesertim fidei Iesus Christus (qui praeterea in symbolis orientalibus propter haereses „Iesum solventes" unus Iesus Christus dicitur et semper exhibetur natus, passus, crucifixus, mortuus) connumeratur Patri et Spiritui Sancto et explicite proponitur talis, in quem sit credendum. „Si ita hominem cum Deo natum esse dicamus, ut seorsum quae Dei sunt soli Deo demus, et seorsum quae sunt hominis soli homini reputemus: quartam manifestissime inducimus in Trinitate personam, et de uno Filio Dei non unum sed facere incipimus duos Christos, quod a nobis ipse iam Dominus et Deus Christus avertat." [2]) „Crevit per nativitatem carnis in Christo numerus substantiarum, singularitas vero personae perseveravit. Idcirco quamvis alia sit natura divinitatis alia humanitatis, non fit Trinitas illa quaternitas, quia personarum est Trinitas, quae in Christo una permansit. Unus est proinde Christus et semper unus propter unius personae singularitatem." [3])

5. *Diserte* a Patribus in Christo praedicatur *una* persona, negantur duae.

„Videmus duplicem statum non confusum, sed coniunctum in una persona Deum et hominem." [4]) „Si quis duos filios, alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eundem induxerit, is ab ea quoque adoptione excidat, quae recte credentibus promissa est. Quamvis enim duae naturae sint Deus et

---

[1]) Alexander Alexandr. Sermo de anima et corpore.

[2]) Leporius in libello emendationis.

[3]) Ferrandus diaconus ep. ad Anatol. adversus monophysitas catholicis obiicientes, quaternitatem ab iis poni in divinis, si duplex admittatur in Christo natura.

[4]) Tertull. C. Prax. 27.

homo, quippe qui anima sit et corpus, non tamen duo filii et dii. . . . Atque ut paucis rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Salvator . . . ; non tamen alius atque alius: absit. Ambo enim haec connexione unum (subiectum) sunt, Deo nimirum humanitatem atque homine divinitatem accipiente, aut quocumque tandem nomine quispiam uti malit. Porro aliud et aliud dico, contra quam in Trinitate res habet: illic enim alius atque alius, ne personas confundamus, non autem aliud atque aliud." [1])

6. Unitatis *ratio* a Patribus ponitur in eo, quod Verbum subsistens univerit sibi humanam naturam unitate non morali tantum sed *substantiali* (οὐσιώδως, κατ᾽ οὐσίαν, κατὰ φύσιν, καθ᾽ ὑπόστασιν), qua existat *unum* subiectum utramque habens naturam.

„Christus est homo substantiatus (οὐσιωθείς) Deo" [2]), i. e. natura humana non est homo subsistens nisi quatenus est Dei. „O humanitas, quae Dei Verbum corporaliter substantiasti (σωματικῶς οὐσιώσασα)" [3]), i. e. humanitas est instar formae, per quam Verbum est homo.

„Caro per se ipsam seorsum a Verbo non potuit subsistere, quia in Verbo habet subsistentiam (σύστασιν)." [4]) „Verbum (credimus) non in homine, sed in seipsum carnem adformasse in unam sanctam unitatem, et univisse in unam sanctam perfectionem (τελειότητα i. e. totietatem) et deitatem." [5]) „Verbum caro factum est; non dixit: caro facta est Verbum: quo nimirum ostenderet imprimis Verbum descendisse de coelo et in seipso subsistentem fecisse carnem (εἰς ἑαυτὸν ὑποστήσαντα τὴν σάρκα) ex utero S. Virginis." [6])

„Verbum univit sibi corpus, animam, mentem in unam unitatem et in unam spiritalem hypostasin (εἰς μίαν ἑνότητα καὶ εἰς μίαν πνευματικὴν ὑπόστασιν)." [7]) „Accedimus ad mysticas eulogias et sanctificamur participes facti sanctae carnis et pretiosi sanguinis Redemptoris omnium nostrum Christi . . . Non sicut hominis unius ex nobis eam (carnem) aestimamus: quomodo enim vivifica esset hominis caro ex sua natura? Sed ut vere propriam factam eius, qui propter nos filius hominis et homo factus et appellatus est." [8])

OBIICITUR. Apud *Patres* nonnulla inveniuntur quae, si per se spectentur sola, doctrinae expositae de unitate Christi personae adversari videntur, quae tamen ex contextu et reliqua Patrum doctrina certissima sensu orthodoxo facile explicantur.

[1]) Gregor. Naz. Ep. 101.
[2]) Gregor. Naz. Ep. 101.
[3]) Amphiloch. Serm. in Chr. nat.
[4]) Hippolyt. C. Noët. 15.
[5]) Symb. apud Epiphan. Ancorat. 121.
[6]) Epiphan. Haeres. 77, 29.
[7]) Epiphan. Haeres. 20.
[8]) Cyrill. Alex. Ep. 2 ad Nestor; cf. eiusdem Anathem. 11.

Sic v. g. quando a Ioanne Damasceno dicitur „hypostasis Christi *composita*“, animadvertendum est: „Persona sive hypostasis Christi dupliciter potest considerari: uno modo secundum illud quod est in se: et sic est omnino simplex, sicut et natura Verbi; alio modo secundum rationem personae vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura: et secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi: et sic dicitur persona composita, in quantum unum duobus subsistit.“ Porro „illa compositio personae ex naturis non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri; sicut omne illud, in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum.“ [1]) „Quoniam verbum compositionis calumniabile est, ideo doctores praesentis temporis sensum retinent, declinantes vocabulum compositionis.“ [2])

Quando porro apud Patres et in Hymno Ambrosiano legitur: „Tu ad liberandum suscepturus *hominem*“, vox hominis ponitur pro natura humana qua assumpta Verbum factum est homo, non vero pro hypostasi humana quam assumpserit. „Huiusmodi locutiones non sunt extendendae tamquam propriae, sed pie sunt exponendae, ubicunque a sanctis doctoribus ponuntur, ut dicamus hominem assumptum, quia eius natura est assumpta et quia assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei sit homo.“ [3])

Neque tandem inde, quod *personalitas* ad *dignitatem* spectat, argui potest naturam Christi humanam debere habere propriam personalitatem. Et sane: „Personalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicuius rei et perfectionem, in quantum ad dignitatem alicuius rei et perfectionem eius pertinet quod per se existat; quod in nomine personae intelligitur. Dignius autem est alicui quod existat in aliquo se digniori quam quod existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo quam in nobis, quod in nobis quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi: sicut etiam esse completivum speciei pertinet ad dignitatem formae, tamen sensitivum nobilius est in homine propter coniunctionem ad nobiliorem formam completivam, quam sit in bruto animali, in quo est forma completiva.“ [4])

COROLLARIUM 1. Iuxta *Guentherianos* persona definitur „substantia sui conscia“. Doctrinam suam de homine, qui non sit unus realiter, sed solum formaliter, quatenus spiritus et corporis substantia sensu praedita seu natura se unum quid sciant, Guentherus ad omnem personam, atque adeo etiam divinam transferens in illa ipsa *sui conscientia* cuiuslibet substantiae formam personalitatis constituit. Ex qua Guentheri doctrina consequitur: et in SS. Trinitate, cum tres sint personae, tres quoque esse distinctas sui conscientias, ideoque, cum conscientia sive intellectio sui actus sit absolutus divinae essentiae atque adeo ipsamet divina essentia, trina illa si admittatur conscientia, trinam quoque esse admittendam divinam essentiam; et in Christo, duae cum sint naturae duoque intellectus atque adeo duplex conscientia sui, duas ex

[1]) S. Th. 3 q. 2 a. 4.
[2]) S. Bonav. 3. dist. 6 a. 1 q. 2.
[3]) S. Th. 3 q. 4 a. 3 ad 1.
[4]) S. Th. 3 q. 2 a. 2 ad 2.

principio illo admittendas esse personas. Atque vere: tantum abest, ut Guentheriani haec negent, ut imo aperte profiteantur ac velut magnum quendam suae philosophicae doctrinae progressum glorientur, et in Trinitate non admittentes unitatem nisi specificam et in Christo, ut vocant, dynamicam seu dynamico-formalem, sc. secundum formas personales seu conscientias, positam in eo, quod utraque Christi natura se cum altera unitam esse conscientiam habeat. Manifestum autem est, doctrinam huiusmodi ab haeresi *Nestoriana* re vix differre.[1]) Merito igitur in Pii IX literis ad card. Geissel 15 Ian. 1857 datis haec habentur: „Noscimus in iis libris (Guentheri) non pauca legi, quae a catholica fide sinceraque explicatione de unitate divinae substantiae in tribus distinctis sempiternisque personis non minimum aberrant. In compertis pariter habemus, neque meliora neque accuratiora esse, quae traduntur de sacramento Verbi incarnati deque unitate divinae Verbi personae in duabus naturis divina et humana“.[2])

2. Ex dogmate tum SS. Trinitatis tum Verbi incarnati liquet esse nec citra haeresim negari posse *discrimen aliquod* inter *naturam singularem* et *hypostasim* seu *personam*. Quod discrimen audivimus positum esse in eo, quod ratio suppositi secum fert negationem communicabilitatis prae altera substantia et ipsa simpliciter singulari. Atque in discrimine hoc agnoscendo conveniunt doctores catholici omnes. Quid vero sit illud, quo natura singularis et persona differant, quidque haec illi superaddat, magna est doctorum *controversia*. Quam quaestionem, cum philosophica sit potius quam theologica, breviter expedire nobis licebit.

Atque imprimis ratio formalis hypostaseos, incommunicabilitas videlicet, quamvis, quod in conceptibus simplicibus fieri solet, et explicetur et concipiatur per negationem, utpote quae negatio magis nobis sit nota, non tamen meram exhibet negationem, sed primo ac directe perfectionem *positivam*, sc. totietatem, atque talem perfectionem existendi, qua nulla magis excogitari potest positiva. Hypostasis porro prout significat singularem aliquam realiter existentem substantiam integram totamque in se (v. g. hunc hominem), si comparetur cum natura (v. g. hominis) prout sub ea nihil aliud intelligitur quam essentia rei seu illud quod definitio significat, a natura ita intellecta (in finitis) „secundum rem differt, non quasi omnino aliqua separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei et superadduntur quaedam alia quae sunt praeter rationem speciei.“[3]) Manifestum est denique Christi naturam humanam, quae non habet hypostasim propriam, sed subsistit

---

[1]) Baltzer (Neue theol. Briefe) ad symbolum quoddam provocavit insertum Concilio Chalcedonensi, ratus symbolum hoc negans unam in Christo esse personam ipsius Concilii esse Chalcedonensis. Verum manifestum est, symbolum hoc idem illud esse Nestorianum, quod Concilium V declarat a satana esse compositum. Cf. Franzelin, De Verbo inc. th. 24.

[2]) Ad Guentheri falsum personae conceptum aliquatenus aliae nonnullorum recentiorum (Kuhn, Staudenmaier, Dieringer, Berlage, Oswald) definitiones accedunt, statuentes conscientia sui naturae intellectuali formam veluti conferri, qua in ratione substantiae ultimo perficiatur ac persona evadat: de quibus cf. Stentrup, Christol. th. 28.

[3]) S. Th. 3 q. 2 a. 2.

hypostasi Verbi, subsistentiam hanc acquirere per „additionem alicuius quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam.“ [1])

At quaeritur, hypostasis si comparetur cum natura, prout est ipsa substantia haec singularis, seu natura ita intellecta secum ipsa, quatenus hypostasis est connaturaliter existens, *quomodo distinguantur quidque sit illud, quod naturae superaddatur,* ut sit connaturaliter hypostasis.

1. Sunt qui putent, hypostasim et naturam modo explicato intellectam distingui *realiter* seu hypostasim constitui per aliquam realitatem vel *modum realem* naturae singulari *superadditum;* statuunt autem, in Christi humanitate produci modum realiter ab ea distinctum, vi cuius formaliter cum Verbo uniatur. Atque in his theologi sane gravissimi. [2]) Censent alii, hypostasim propriam a natura, cuius est hypostasis, non distingui nisi *ratione;* distinctione sane, quae rationis ratiocinatae dicitur, h. e. cum fundamento in re, ita sc. ut realitas, quae subsistit, duplicem velut functionem exerceat tum naturae integrae tum subsistentis. [3]) Quae sententia nobis magis probatur. [4]) Et sane:

a. Haec apud Theodorum Abucaram (saec. 8) leguntur: „Aliudne est substantia, aliud hypostasis? Orthodoxus: aliud et aliud; non tamquam res alia et alia, sed quod aliud significet hypostasis et aliud substantia sicut granum tritici dicitur et est tum semen tum fructus, non tamquam res alia et alia, sed aliud significat semen et aliud fructus.“ [5]) — Concedunt enimvero omnes, hypostasim esse substantiam primam integram totamque in se. Atqui substantia est prima integra totaque in se per suam ipsius realitatem, non per aliud superadditum.

b. Qui realem distinctionem naturae et hypostasis defendunt, ad mysterium incarnationis potissimum provocant, quod explicari posse negant nisi admissa illa distinctione. Iam vero absque realitate illa superaddita mysterium incarnationis et posse et debere explicari videtur. Et re quidem vera docemur: α. solam rationem, cur natura a Verbo assumpta non sit hypostasis, esse „quia assumitur a principaliori, sc. a Verbo Dei“ [6]); β. „naturae assumptae non deesse propriam personalitatem propter defectum alicuius, sed propter additionem alicuius quod est supra humanam naturam, quod est

---

[1]) S. Th. 3 q. 4 a. 2 ad 2.

[2]) Scilicet: Caietanus, Suarez, Vasquez, Lugo, Gregorius de Valentia, Fr. Schmid; hanc sententiam etiam Gutberlet sibi praeoptandam existimat.

Quorum plerique, licet modum illum a substantia vel realiter vel saltem virtualiter dicant distinctum, tamen eum neque de potentia Dei absoluta seorsim a natura, cuius est modus, conservari posse statuunt. At non desunt, ut Petr. Hurtado, qui nullam doceant apparere repugnantiam, quod et natura singularis existat sine ulla subsistentia sive propria sive aliena, et quod forma subsistentiae realiter existat sola atque a natura soluta (!).

[3]) Non est igitur confundenda haec sententia cum doctrina Durandi et Nominalium, qui distinctionem illam ad solum modum concipiendi reducunt.

[4]) Hanc sententiam sequuntur Scotus, Tiphanus, Kleutgen, Franzelin, Stentrup, et, uti his videtur, omnes vetustiores Scholastici.

[5]) Theod. Abuc. Opusc. 28.

[6]) S. Th. Op. 3 c. Graec. 6.

unio ad divinam personam"[1]); γ. „separationem dare utique partium totalitatem; unde supposito, quod Christus hominem deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali et ex hoc ipso acciperet rationem personae."[2]) Audiatur haec complectens B. Albertus M.: „Si Christus deponeret humanitatem, id quod deponeret erit substantia rationalis naturae: ergo erit persona. Si autem quaeritur, quid conferat ei personalitatem, quam prius non habuit, dicendum, quod singularitas, quam prius non habuit, sive incommunicabilitas, ut alii dicunt; nam propria singularitas facit personam in rationali natura. Si autem quaeritur iterum, quid ei conferat singularitatem, dicendum, quod divisio per accidens confert ei. Divisio enim licet per se auferat, tamen per accidens confert divisum esse unum et ab alio divisum: et haec est singularitas."[3]) Atqui haec omnia componi vix posse videntur cum sententia, formalem subsistendi rationem contineri re aliqua vel modo aliquo realiter a substantia distincto eique superaddito.

2. Sunt theologi, sc. Thomistae[4]), qui inter naturam et hypostasim hoc volunt esse discrimen reale, ut hypostasis addat naturae etiam proprie dictam *existentiam*, ita sc. ut natura Christi quamvis essentiam habeat humanam, non tamen existat sua, sed Verbi existentia. Fundamentum philosophicum huius doctrinae in reali discrimine est situm, quod isti ponunt inter essentiam et existentiam in creatis. Reliqui contra theologi longe plurimi docent, Christi humanitati *suam* tribuendam esse existentiam, quamvis nunquam habuerit hanc suam existentiam seorsum a Verbo ac proinde non subsistat nisi in Verbo.

Iam vero quidquid est de distinctione illa inter essentiam et existentiam generatim accepta, quam sane multi reiiciunt, in re hac nostra ea certe non videtur adhibenda. Est enim in Christo perfecta *humanitas* sicut in aliis hominibus, cui nihil desit humani; at vero ea non est nisi existens, et eo ipso quod natura humana vere est, propria existentia esse dicenda erit. „Nos, ita S. Maximus, ex duabus naturis perfecte se habentibus secundum rationem ipsius esse cuique propriam, ex divinitate inquam et humanitate, componi unum Christum sive unam eius hypostasim confitemur, et sine confusione ac divisione naturas post unionem permanere credimus."[5]) Ergo naturae humanae sua videtur tribuenda existentia. Sed neque ex parte *Verbi* intelligi posse putamus, quod suam propriam existentiam humanitati tribuat. Existentia enim Verbi est Dei existentia. At Dei existentia, cum et re et conceptu idem sit ac Dei essentia, fieri autem non possit ut haec essentia Dei formaliter fiat essentia creaturae, non facile intelligitur, quomodo ita creatae alicui naturae tribuatur, ut haec per illam existat.

Nihilominus *esse* Christi simpliciter *unum* dicendum est. „Nam ‚esse' proprie et vere dicitur de supposito subsistente . . . In Christo autem suppo-

---

1) S. Th. 3 q. 4 a. 2 ad 2.

2) S. Th. 3 dist. 5 q. 3 a. 3 ad 3; 3 q. 4 a. 2.

3) Alb. M. 3 dist. 5 a. 12.

4) Ex recentioribus hanc explicationem propugnant Billot, Terrien, Abert, Schell.

5) Maxim. Expos. fidei.

situm subsistens est persona Filii Dei, quae simpliciter substantificatur per naturam divinam, non autem simpliciter substantificatur per naturam humanam, quia persona Filii Dei fuit ante humanitatem assumptam, nec in aliquo persona est augmentata seu perfectior per naturam assumptam. Substantificatur autem suppositum aeternum per naturam humanam, inquantum est hic homo; et ideo Christus . . . habet unum esse simpliciter propter unum esse aeternum aeterni suppositi; est autem et aliud esse huius suppositi, non inquantum est aeternum, sed inquantum est temporaliter homo factum, quod esse, etsi non sit esse accidentale, quia homo non praedicatur accidentaliter de Filio Dei, non tamen est esse principale sui suppositi, sed secundarium . . . Esse humanae naturae non est esse divinae, nec tamen simpliciter dicendum est, quod Christus sit duo secundum esse, quia non ex aequo respicit utrumque esse suppositum aeternum." [1])

Quodsi obiiciatur, si in humanitate Christi nihil mutetur, si sc. neque modus ille realis ponatur ab ea distinctus neque existentia ei tribuatur a Verbo, non intelligi, quomodo ex Verbo, in quo certe nulla est mutatio, et natura humana unus fiat realiter: dicendum est, ipsam unionem humanitatis cum Verbo, modum sane substantialem, hoc satis efficere, nec veluti medium excogitandum esse aliud quo illa unitas producatur. „Potest sc. infinita hypostasis, quia infinitae est perfectionis in formali ratione habentis sibi naturam, absque sui mutatione naturam quamvis creatam suam facere, eam habere ut suam, in ea subsistere atque ad naturam creatam quodammodo extendi et eam elevare ad suum esse personale." [2])

SCHOLION 1. Quaeritur, *ad quid se extendat* Verbi hypostasis. Respondetur: ad universam naturam humanam, atque adeo non solum ad animam, verum etiam ad corpus et omnes prorsus eius partes integrales. Quamvis enim aliquo sensu, ut supra audivimus [3]), corpus dici possit assumptum mediante anima, oportet tamen ut et ipsum corpus a Verbo fuerit assumptum, ita ut fieret corpus eius, quia secus Verbum nec homo nec multo minus, ut dicit Ioannes, caro factum fuisset.

Hinc dissoluta corporis et animae unione Verbum et animae et corpori mansit unitum. „Quamvis Christus ut homo mortem obierit sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore detracta sit: divinitas tamen a neutro, hoc est, nec ab anima nec a corpore seiuncta est." [4])

Illud porro „quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit" — valet etiam de partibus humanam naturam integrantibus, quamvis non de minimis quibuscunque particulis. Quaerunt: an Verbum triduo mortis etiam *sanguini effuso* hypostatice unitum manserit. Tempore Pii II (a. 1462) hac de re disputatum est, Dominicanis rem affirmantibus, Franciscanis negantibus. Vetita est alterutrius sententiae censura. [5]) At sententia affirmans postmodum

---

[1]) S. Th. Qu. disp. de unione Verbi incarnati a. 4.
[2]) Franzelin, De Verbo inc. th. 33.
[3]) Cf. p. 27 nota 5.
[4]) Damasc. De fide 3, 27. Cf. S. Th. 3 q. 6 a. 1 ad 3; 3 q. 50 a. 2 et 3.
[5]) De disputationibus his haec leguntur in Pii II Comment. 292: „Maior pars (cardinalium) sententiam Praedicatorum approbavit, pauci cum Minoribus

theologis magis probabatur, ita tamen, ut existimari liceat, sanguinis guttulas (in instrumentis passionis, vestibus etc.) a Verbo fuisse dimissas. [1])

2. De *tempore* quaeritur, quo unio Verbi cum natura humana inceperit et quo perseveraverit.

1. Quando *incepit* unio? Ex haeresi Nestorii consequitur, ratione prius extitisse Christum hominem, quam fuerit coniunctus Verbo. Quod autem tempus attinet, Nestorius sensisse videtur, fuisse quidem in ipso conceptu Christi unionem factam secundum sanctificationem personalem progressu temporis propriis meritis continue augendam, alteram vero coniunctionem, quae sit secundum charisma redemptoris quaque propria oriri debuerit Christi dignitas, postero tempore, praesertim in baptismo factam esse.

Doctrina vero catholica est, nullo modo, nec tempore nec ratione, Christum hominem extitisse, quin simul fuerit Dei Verbum, atque in ipso primo eius instanti naturam humanam Verbo fuisse unitam. Iam includitur id veritate, de qua infra dicemus, B. Mariam Virginem vere fuisse θεοτόκον. Deinde diserte id a Patribus docetur. „Simul caro simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis simul Dei Verbi caro animata rationalis: in illo enim et non secundum seipsam habuit subsistentiam, simul namque cum conceptu Verbi producta est ad existentiam.“ [2]) „Haec in Christo personae unitas nequaquam post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta et perfecta est. Vehementer enim praecavere debemus, ut Christum non modo unum, sed etiam semper unum confiteamur; quia intoleranda blasphemia est, ut etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquando tamen non unum, sed duos fuisse contendas, unum sc. post tempus baptismatis, duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus, nisi unitum hominem Deo sed unitate personae non ab ascensu vel resurrectione vel baptismo, sed iam in matre, iam in utero, iam denique in ipsa virginali conceptione fateamur.“ [3])

Et sane: „Proprie dicimus Deum factum esse hominem; non autem proprie dicimus, quod homo factus sit Deus: quia scilicet Deus assumpsit sibi id quod est hominis; non autem praeextitit id quod est hominis, quasi per se subsistens, antequam susciperetur a Verbo. Si autem caro Christi fuisset concepta, antequam susciperetur a Verbo, habuisset aliquando aliquam hypostasim praeter hypostasim Verbi Dei; quod est contra rationem incarnationis secundum quam ponimus, Verbum Dei esse unitum humanae naturae et omnibus partibus eius in unitate hypostasis. Nec fuit conveniens quod hypostasim praeexistentem humanae naturae vel alicuius partis eius Verbum Dei sua assumptione destrueret. Et ideo contra fidem est dicere, quod caro Christi prius fuerit concepta, et postmodum assumpta a Verbo Dei.“ [4])

---

sensere. Pius quoque in maiori parte fuit. Sed non est visum eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cuius erat contra Turcos praedicatio necessaria, offenderetur; in aliud tempus decisionem referre placuit.“

[1]) Cf. Suarez, Disp. 47 sect. 3.

[2]) Sophron. Ep. synod.

[3]) Vinc. Lir. Common. 15.

[4]) S. Th. 3 q. 33 a. 3.

2. Quamdiu unio *perseveravit*? Verbum nec reliquit naturam humanam unquam nec unquam relicturum est. „In quo Dei Filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando seiungi.“ [1])

a. Verbum humanam naturam *nunquam reliquit.* Dubium moveri potest ex Christi verbis in cruce prolatis: „Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?“ (Matth. 27, 46). — Verum: α. „In tantam unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi nec morte disiungi.“ [2]) — β. „Si Verbum recessit a corpore et ita mortificatio facta est, contra Deum praevaluere Iudaei hoc ipso, quod indissolubilem mixtionem solverunt.“ [3]) — γ. „Nunquam a sua divinitate desertus fuit; sed nos eramus derelicti illi et contempti: quamobrem personam nostram assumens haec deprecatus est.“ [4]) — δ. „Deus dereliquit Christum, quia auxilium non contulit: sed non dereliquit, quia praesentiam non abstulit; subtraxit protectionem: sed non separavit unionem; separavit se foris, ut ad defensionem contra inimicos non adesset: sed non separavit se intus, ut illi ad unionem personae deesset; sic ergo dereliquit, ut non adiuvaret: sed non dereliquit, ut recederet.“ [5])

b. Verbum humanam naturam *nunquam relinquet.* Χριστολότας vocat Damascenus eos, qui „D. N. J. Christum aiunt, posteaquam surrexit a mortuis, relicto in terra animato corpore nuda solaque deitate coelos ascendisse.“ [6]) Iam vero „*Iesus Christus* heri et hodie, ipse et *in saecula*“ (Hebr. 13, 8); „*Tu es sacerdos in aeternum* secundum ordinem Melchisedech“ (Ps. 109, 4).

3. *Una* igitur in Christo est persona. At quaeritur, cur non humana natura Christi persona sit, sed natura *divina.* Rem egregie explicat S. Thomas: „Haec nomina persona, hypostasis, suppositum *integrum* quoddam designant . . . . Sic igitur in aliis hominibus unio animae et corporis constituit hypostasim et suppositum, quia nihil aliud est praeter haec duo. In Domino autem Iesu Christo praeter animam et corpus advenit tertia substantia, sc. divinitas. Non ergo est seorsum suppositum vel hypostasis sicut nec persona id quod est ex anima et corpore constitutum; sed suppositum, hypostasis vel persona est id quod constat ex tribus substantiis, corpore sc. et anima et divinitate . . . Quia persona, hypostasis et suppositum designant aliquid integrum, si divina natura in Christo esset ut pars et non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis, una persona Christi non se teneret tantum ex parte naturae divinae, sed esset quoddam constitutum ex tribus, sicut et in homine persona, hypostasis et suppositum est quod ex anima et corpore constituitur. Sed quia *divina* natura est aliquid *integrum,* quod sibi assumpsit per quandam ineffabilem unionem humanam naturam, persona se tenet ex parte divinae naturae, et similiter hypostasis

[1]) Conc. Tolet. XI. Cf. defin. Conc. Chalcedon.
[2]) Leo M. Sermo 17 de pass.
[3]) Athan. De salut. adv. Chr.
[4]) Damasc. De fide 3, 24.
[5]) Hugo Victorin. De sacram. l. 2 p. 1 c. 10.
[6]) Damasc. De haeres. 93.

et suppositum; anima vero et corpus trahuntur ad personalitatem personae divinae, ut sit (una et eadem) persona Filii Dei sicut etiam persona Filii hominis, et hypostasis et suppositum. Potest autem huiusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri. Subiectum enim et accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur; unde subiectum in tali unione non se habet ut pars, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis et suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subiecti, ut sit persona eadem hominis et albi . . . Sic igitur secundum similitudinem quandam persona, hypostasis et suppositum Filii Dei est persona, hypostasis et suppositum humanae naturae in Christo." [1])

4. Unio humanae naturae facta est immediate in divina *persona*, et per hanc cum divina natura. „Non Deus Verbum per divinam naturam, sed divina natura per Dei Verbi personam unita dicitur carni.“ [2]) Scilicet: „In verbo assumptionis duo significantur: sc. *principium* actionis et *terminus* eius. Esse autem assumptionis *principium* (utpote Dei opus ad extra) convenit naturae divinae secundum seipsam, quia eius virtute assumptio facta est; sed esse *terminum* assumptionis non convenit naturae divinae secundum seipsam, sed ratione personae, in qua consideratur. Et ideo primo quidem et propriissime persona dicitur assumere; secundario autem potest dici quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam, et secundum etiam hunc modum dicitur natura incarnata, non quasi sit in carnem conversa, sed quia naturam carnis assumpsit.“ [3]) Porro „natura dicitur incarnata sicut est assumens ratione *personae,* ad quam terminata est unio, non autem prout est communis tribus personis; dicitur autem tota natura divina incarnata, non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione divinae naturae personae incarnatae.“ [4])

Difficultas vero, quae contra hanc doctrinam inde peti potest, quod in divinis natura et hypostasis re non distinguuntur, sed una summa res est et natura divina et Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ab eodem S. Thoma sic solvitur: „Licet in Deo non sit aliud secundum rem natura et persona, differt tamen secundum modum significandi, quia persona significat per modum subsistentis. Et quia natura humana sic unitur Verbo, ut Verbum in ea subsistat, non autem ut aliquid addatur ei ad rationem suae naturae, vel ut eius natura in aliud transmutetur: ideo unio humanae naturae ad Verbum Dei facta est in persona, non in natura." [5])

5. „Incarnationem Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. *Solus* tamen *Filius* formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati.“ [6]) Verum quaeritur: 1. quomodo *fieri possit,* ut, cum tres personae sint unum in essentia, *non tamen una car-*

[1]) S. Th. Comp. theol. 211.
[2]) Rusticus diac. C. Aceph.
[3]) S. Th. 3 q. 3 a. 2.
[4]) S. Th. 3 q. 3 a. 4 ad 2.
[5]) S. Th. 3 q. 2 a. 2 ad 1.
[6]) Conc. Tolet. XI.

nem assumente alia quoque dici oporteat incarnari; 2. cur, cum quaelibet personarum divinarum incarnari poterat, *Filius potius quam* alia divina persona incarnatus fuerit. Rem explicent magni illi, quos veneramur magistros.

1. „Deus, ita Seraphicus, dupliciter potest comparari ad creaturam, videlicet in ratione *principii causantis* et in ratione *suppositi substantificantis.*[1]) In prima comparatione necessario communicant tres personae, pro eo quod in Deo unica est natura et unica est virtus operativa, per quam Deus creaturarum est causa. Secunda vero comparatio potest respicere aliquam personam distincte, pro eo quod, etsi una persona conveniat cum altera in natura et eius virtute, distinguitur tamen ab alia in supposito et personali proprietate. Quoniam igitur in unione naturarum sive incarnatione persona divina fit suppositum sive hypostasis humanae naturae, ita quod unio sive incarnatio non tantum dicit habitudinem Dei ad creaturam per modum causae, imo etiam per modum suppositi: hinc est quod incarnatio potest convenire uni personae, ita quod non conveniat alteri . . . Incarnatio, secundum quod dicit *operationem,* est communis tribus personis; sed quia praeter hoc importat *relationem,* ideo uni personae sine alia potest attribui. Et est exemplum: si tres puellae vestiant unam, vestis induitio est a tribus, non tamen tres induuntur, sed una sola; similiter tres personae operatae sunt incarnationem, et tamen una sola dicitur incarnari.“ [2])

„Quando, ita Angelicus, aliqua in aliquo coniunguntur et in aliquo distinguuntur, tunc solum necessarium est, ut simul coniungantur secundum id in quo communicant . . . Ita est in potentiis animae, quia omnes radicantur in essentia una numero. Unde cum anima uniatur corpori dupliciter, et secundum essentiam ut est forma eius, et secundum potentiam ut est motor ipsius vel operans per ipsum, necessarium est, ut anima, quae unitur oculo et quantum ad essentiam animae inquantum perficitur oculus in esse specifico, et secundum rationem visivae potentiae prout efficitur instrumentum videndi, coniungatur etiam linguae quantum ad essentiam animae, non quantum ad rationem potentiae eiusdem: eadem enim essentia animae, quae est in oculo, est in lingua, sed ibi secundum potentiam visivam, hic secundum potentiam gustativam; et quod plus est, aliqua potentia est, quae nulli parti corporis coniungitur quantum ad rationem potentiae, ut intellectus, sed solum quantum ad rationem essentiae. Dico ergo, quod tres personae distinguuntur quidem in personalitate, sed conveniunt in natura: unde quidquid uniretur Filio in natura, de necessitate uniretur Patri; non autem oportet, quod, si aliquid uniatur Filio in persona, uniatur Patri.“ [3])

---

[1]) Substantificari seu οὐσιῶσθαι hic illud significat quod hypostasis confert naturae. S. Thomas (Qu. disp. de unione Verbi incarn. a. 4) dicit, personam Filii substantificari per naturam divinam.

[2]) S. Bonav. 3 dist. 1 a. 1 q. 2.

[3]) S. Th. 3 dist. 1 q. 2 a. 1. — Quaerunt scholastici, utrum plures (tres) personae saltem *potuerint* assumere unam eandemque naturam. Non possunt certe in unitatem *unius personae;* potuerunt vero, ex sententia communiore contra Scotum, saltem potentia absoluta unam assumere naturam humanam *unitate singularis naturae,* ita ut, quemadmodum conveniunt in natura divina, tres personae etiam in una natura assumpta potuerint convenire.

2. Incarnationis decreto supposito conveniens fuit *Filium* incarnari, et quidem convenientius quam Patrem vel Spiritum Sanctum. Audiatur S. Thomas: „Convenientissimum fuit personam Filii incarnari. *Primo* quidem ex parte *unionis*. Convenienter enim ea, quae sunt similia, uniuntur. Ipsius autem personae Filii, qui est Verbum Dei, attenditur uno quidem modo communis convenientia ad *totam creaturam*; quia verbum artificis, id est, conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum quae ab artifice fiunt. Unde Verbum Dei, quod est aeternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturae. Et ideo sicut per participationem huius similitudinis creaturae sunt in propriis speciebus institutae, sed mobiliter, ita per unionem Verbi ad creaturam, non participatam sed personalem, conveniens fuit reparari creaturam in ordine ad aeternam et immobilem perfectionem: nam et artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit restaurat. Alio modo habet convenientiam specialiter cum *humana* natura ex eo quod Verbum est conceptus aeternae sapientiae, a qua omnis sapientia hominum derivatur. Et ideo per hoc homo in sapientia perficitur, quae est propria eius perfectio, prout est rationalis, quod participat Verbum Dei; sicut discipulus instruitur per hoc quod recipit verbum magistri. Et ideo ad consummatam hominis perfectionem conveniens fuit, ut ipsum Verbum Dei humanae naturae personaliter uniretur.[1]) *Secundo* potest accipi ratio huius congruentiae ex *fine* unionis, qui est impletio praedestinationis, eorum scilicet qui praeordinati sunt ad haereditatem coelestem, quae non debetur nisi filiis, secundum illud Rom. 8, 17: Si filii, et haeredes. Et ideo congruum fuit, ut per eum, qui est filius naturalis, homines participarent similitudinem huius filiationis secundum adoptionem; sicut Apostolus ibidem 29 dicit: Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. *Tertio* potest accipi ratio huius congruentiae ex *peccato primi parentis*, cui per incarnationem remedium adhibetur. Peccaverat enim primus homo appetendo scientiam, ut patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni et mali. Unde conveniens fuit ut per Verbum verae sapientiae homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiae recesserat a Deo.“ [2])

6. Ex hypostatica cum natura humana unione nulla in Verbo facta est *mutatio*. „Nihil illi contulit aut detraxit assumpta pro nostra salute humana

Quaerunt praeterea, utrum Deus etiam *aliam* potuerit assumere naturam quam *humanam*. Respondet S. Thomas: „Loquendo de Dei potentia absoluta, Deus potest assumere quamcunque creaturam vult . . . Loquendo autem de potentia ordinata, illam creaturam assumere potest, quam congruit eum assumere ex ordine suae sapientiae“ (S. Th. 3 dist. 2 q. 1 a. 1). Iam vero manifestum est, creaturam irrationalem in hypostaticam unionem a Deo assumi sapientiam divinam non decere.

[1]) „Quemadmodum si qua alicuius effigies in tabula aliqua depicta iniectis sordibus fuerit deleta, necesse est eum, cuius illa est effigies, iterum adesse ut eius imago in eadem materia possit restitui: ita sanctissimus Patris Filius, qui Patris imago est, ad nos advenit, ut hominem ad sui similitudinem factum reficeret“ (Athan. Or. de incarn. 14).

[2]) S. Th. 3 q. 3 a. 8. — Cf. ‚Pastor bonus‘ 1892 p. 537 sq.

natura, quam ipse potius unitione sua ineffabiliter glorificavit. Neque minor est Deus Verbum Christo, quia ipse est Christus, neque seipso minor esse potest, et assumpta carne idem mansit Deus sine dubitatione perfectus." [1])

Quaeritur, *quomodo* hoc fieri potuerit. Ratio in ipsa Verbi sita est *infinitate*. Scilicet: ut in aliis, ita etiam in ratione hypostaseos Verbum vim habet infinitam, qua naturarum rationalium omnium existentiam per modum hypostasis possit terminare. Sicut enim volitio divina propter ipsam suam infinitatem ad omnia se extendit, quorum ipsa est causa, quin eiusdem volitionis inde ulla ad ea exsurgat habitudo realis, atque „in nullo fiat derogatio divinae bonitati, dum est causa creatae bonitatis in tempore" [2]): ita quaelibet hypostasis divina ob infinitam vim quam habet, etiam ut est hypostasis, eiusmodi est, ut absque ulla sui ipsius mutatione ad quamlibet naturam terminandam ac sustentandam, quodammodo possit extendi; atque adeo personae Filii, cum ab aeterno infinita sit hypostasis, „in nullo derogatur, si fit hypostasis rationalis naturae in tempore . . ; unio enim dicit relationem, relatio vero introduci potest in esse per mutationem factam in uno extremo, altero omnino immobili permanente." [3]) „Quaedam, ita Alexander Hal. eandem rem explicat, uniuntur ita, quod fit mutatio in utroque unitorum, ut aqua cum vino; vel in altero tantum: sicut cum unitur lux solis aëri (crystallum ponit Seraphicus), lux non mutatur in illa unione nec recipit aliquam dispositionem, quam non habuit prius licet modo sit illuminans et prius non; hoc enim non ponit novam dispositionem in luce, ponit tamen in recipiente . . . Secundum hoc unio Verbi ad carnem nullam facit mutationem in Verbo, sed solum est mutatio in ipsa humanitate, quae modo recipit radium divinitatis et prius non; et propter hoc non est facta mutatio in luce aeterna." [4])

Quam Verbi immutabilitatem ut significent, Patres naturam Christi humanam indumentum dicunt esse, quo Verbum fuerit vestitum, templum, quod inhabitaverit, sono comparant, quo alterius hominis cogitatio alteri communicetur. „Cum sapientia homini accidit, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit." [5]) „Cum intellectus insit cordi meo, et volo, ut insit etiam cordi tuo, quaero, qua ad te transeat, quasi vehiculum sonum. Assumo sonum et quasi impono intellectum et profero et produco, et doceo et non amitto. Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea, non potuit Verbum Dei de carne sua? Ecce enim Verbum Dei, Deus apud Deum, Sapientia Dei manens incommutabiliter apud Patrem, ut procederet ad nos, carnem quasi sonum quaesivit eique se inseruit et ad nos processit et a Patre non recessit. Intelligite, sapite hoc, quod audistis, quantum sit et quale cogitate, et de Deo maiora sentite. Vincit ille omnem lucem, vincit omnem sonum, vincit omnem intellectum." [6])

Neque dicatur in Verbo ex ipsa sua, quam assumpsit, natura humana *plus perfectionis* esse quam in eodem Verbo absque hac unione. „In persona

[1]) Maxent. Dial. l. 2.
[2]) S. Bonav. 3 dist. 1 a. 1 q. 1.
[3]) S. Bonav. l. c.
[4]) Alex. Hal. 3 q. 7 n. 3 a. 1.
[5]) Augustin. QQ. 83 q. 73.
[6]) Augustin. Serm. 28.

composita quamvis sint plura bona quam in persona simplici, quia est ibi bonum increatum et bonum creatum, tamen persona composita non est maius bonum quam simplex, quia bonum creatum se habet ad bonum increatum sicut punctum ad lineam, cum nulla sit proportio unius ad alterum; unde sicut lineae additum punctum non facit maius, ita nec bonum creatum additum in persona bono increato facit melius; vel etiam quia tota ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo, unde et ipse dicitur omne bonum: unde non potest sibi fieri additio alicuius boni, quod in ipso non sit.“ [1])

Sectio II.

De Naturarum Distinctione.

Thesis 5.

In Christo unio non est facta secundum naturam, sed 1. duae sunt naturae, et 2. duae voluntates ac operationes, quae tamen sibi non adversantur, sed aliquo sensu deiviriles sunt.

Pace atque unione cum Nestorianis maxime per symbolum Ephesinum (a. 433) fere restituta, *Eutyches*, postquam strenue Nestorii haeresim impugnavit, ex nonnullis, ut videtur, S. Cyrilli sententiis male intellectis in errorem Nestoriano oppositum incidit. Docuit enim, ante unionem duas quidem fuisse in Christo naturas, ideoque esse Christum *ex* duabus naturis, post vero earum unionem utramque in *unam* coaluisse naturam, natura humana, ut gutta mellis in mari, conversa in divinitatem. Ab errore suo Eutychetis asseclae *Monophysitarum* nomen habuerunt. [2])

Reprobati in aliqua synodo Constantinopolitana particulari (a. 448), a Leone I Pontifice in Epistola dogmatica ad Flavianum patriarcham data egregie refutati, a latrocinio Ephesino (a. 449) immerito absoluti, Monophysitae tandem solemniter damnati sunt a Concilio *Chalcedonensi* (a. 451) et rursus a Concilio *Constantinopolitano II* (a. 553) [3]). Concilium Chalcedonense contra Monophysitas statuit naturas

[1]) S. Th. 3 dist. 6 q. 2 a. 3 ad 1.

[2]) De Monophysitarum errore cf. Leonis I Epist. dogm. et Gelasii I ‚Tract. de duabus naturis Chr.‘ apud Thiel, Epist. R. P.

[3]) Ratio, cur post Concilium Chalcedonense a Concilio Constantinopolitano II haeresis Monophysitarum iterum damnata sit, error *Theopaschitarum* erat, sc. Petri Fullonis ad Trisagion addentis „qui crucifixus est pro nobis“, et monachorum Scytharum docentium, „unum de Trinitate passum esse“; haec enim ab illis sensu monophysitico accipiebantur.

Etiam aliae deinde Monophysitarum sectae exortae sunt; quarum aliae humanitatem in divinitatem, aliae potius divinitatem in humanitatem conversam esse statuisse videntur. Praecipuae sunt *Severiani* seu *Phartolatrae*

duas in Christo unitas esse ἀσυγχύτως et ἀτρέπτως; Constantinopolitanum alterum haec definivit (can. 8): „Si quis ex duabus naturis, deitate et humanitate, confitens unitionem factam fuisse . . . unam naturam sive substantiam deitatis et carnis Christi introducere conatur: talis a. s. . . . Non confusionem quandam ad invicem naturarum factam fuisse dicimus, magis autem manente utroque hoc, quod est, unitum esse carni intelligimus Verbum."

Profligato iam errore Monophysitarum, Macarius Antiochenus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus auctores exstiterunt alterius erroris illi maxime affinis. Quamvis enim se duas in Christo secundum hypostasim unitas naturas profiterentur admittere, *unam* tantum in Christo posuerunt *voluntatem unamque operationem:* unde *Monotheletae* dicti sunt.[1]) Opinabantur enim humanam naturam in Christo nunquam moveri proprio motu, sed solum inquantum a divinitate esset mota, sicut in homine puro corpus movetur ab anima et appetitus sensitivus a rationali. Velut tesseram autem doctrinae suae habuerunt expressionem illam „actionis deivirilis", quae apud vulgatum Dionysium primo occurrit.

Monotheletarum errorem de μία ἐνέργεια primus maxime impugnavit *S. Sophronius*, ostendens eum Monophysitarum haeresim esse. Postquam per aliquod tempus ab Honorio Papa, circa indolem eius decepto, error permissus est propagari[2]), a Martino I in synodo Lateranensi (a. 649) reiectus est, duas in Christo naturales voluntates et operationes proclamante, denique a Concilio *Constantinopolitano III* (a. 681) solemniter damnatus est. Quod Concilium haec habet: „Duas naturales voluntates in Iesu Christo et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter secundum ss. Patrum doctrinam adaeque praedicamus."

---

qui corpus Christi corruptibile, et *Iulianistae* seu *Aphthartodocetae,* qui illud incorruptibile esse dixerunt. Aphthartolatrae iterum erant vel *Ctistolatrae,* Christi corpus creatum, et *Actistetae,* illud increatum esse docentes. Ex Phartolatris prodierunt *Agnoëtae,* qui Christum plura ignorasse statuerunt.

[1]) De Monotheletis cf. Epist. Ioannis IV in ‚Nova Biblioth. Patrum' edita a card. Mai; et Ebediesus, De veritate christ. relig. tr. 3 c. 4 in ‚Script. Vet.' tom. 10 editis a card. Mai.

[2]) Sergius Constantinopolitanus, ut haereseos suae ab *Honorio P.* obtineret approbationem, ita ei quaestionem de duabus Christi voluntatibus proposuit, ac si ageretur de duabus voluntatibus contrariis ac secum pugnantibus. Hoc sensu Honorius negavit duas in Christo esse voluntates. Condemnatus vero est Honorius a Concilio VI propter favorem, quem haeresi Monotheletarum facti errore deceptus imprudenter praestitit, sc. ut ait Leo II (Epist. ad ep. Hisp.) quia „flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit." — De causa Honorii cf. plura apud Mazzella, De Religione et Ecclesia, disp. 5 art. 6; Ztschrift für kath. Theol. 1888, 508.

Fide itaque *catholica* tenendum est: 1. duas esse in Christo naturas 2. duasque operationes ac voluntates, has tamen voluntates minime sibi esse contrarias et operationes Christi sensu aliquo deiviriles esse dicendas.

DEMONSTRATUR: **1.** *Non confunduntur* in Christo *duae* naturae.

1. Ex *ratione theologica* probatur fieri non posse, ut in Christo duae naturae confundantur:

„*Impossibile* est unionem Verbi incarnati esse factam in natura. Tripliciter enim aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur. *Uno modo* ex duobus *integris perfectis remanentibus*; quod quidem fieri non potest nisi in iis quorum forma est compositio vel ordo vel figura: sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis per solam compositionem fit acervus; ex lapidibus autem et lignis secundum aliquem ordinem dispositis et etiam ad aliquam figuram redactis fit domus. Et secundum hoc posuerunt aliqui unionem esse per modum confusionis, quae scilicet est sine ordine; vel per modum commensurationis, quae scilicet est cum ordine. Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia compositio vel ordo vel figura non est forma substantialis, sed accidentalis: et sic sequeretur quod unio incarnationis non esset per se, sed per accidens; secundo, quia ex huiusmodi non fit unum simpliciter, sed secundum quid, remanent enim plura actu; tertio, quia forma talium non est natura, sed magis ars, sicut forma domus: et sic non constitueretur una natura in Christo, ut ipsi volunt. *Alio modo* fit aliquid unum ex *perfectis*, sed *transmutatis*, sicut ex elementis fit mixtum. Et sic aliqui dixerunt unionem incarnationis esse factam per modum commixtionis. Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia natura divina est omnino immutabilis: unde nec ipsa potest converti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis; secundo, quia id, quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie, differt enim caro a qualibet elementorum specie: et sic Christus non esset eiusdem naturae cum Patre nec cum matre; tertio, quia ex his quae plurimum distant, non potest fieri commixtio, solvitur enim species unius eorum, puta si quis guttam aquae amphorae vini apponat: et secundum hoc, cum natura divina in infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio, sed remanebit sola natura divina. *Tertio modo* fit aliquid ex aliquibus non permixtis vel permutatis, sed *imperfectis:* sicut ex anima et corpore fit homo; et similiter ex diversis membris unum corpus constituitur. Sed hoc dici non potest de incarnationis mysterio. Primo quidem, quia utraque natura est secundum rationem suam perfecta, divina scilicet et humana; secundo, quia natura divina et humana non possunt

constituere aliquid per modum partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus, quia natura divina est incorporea; neque per modum formae et materiae, quia divina natura non potest esse forma alicuius, praesertim corporei; tertio, quia Christus non esset humanae naturae, neque divinae naturae: differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum." [1])

2. Ex *deposito fidei* probatur in Christo duas manere naturas.

a. *Probatum* est th. 2 et 3 unum eundemque Christum et verum Deum esse et verum hominem. Atqui nequit esse verus Deus sine natura divina, nec verus homo sine natura humana. — Speciatim audivimus, etiam post unionem corpus Christi passibile fuisse et animam etiam post unionem tristitiae, doloris, irae passionibus affectam, quae divinitati Verbi convenire non possunt. Corpus autem et anima constituunt humanam naturam. Ergo etiam post unionem natura humana aliud fuit a divinitate Verbi, quae est natura divina.

b. *Patres* ut mysterium duarum in una divina hypostasi subsistentium naturarum aliquo modo explicent, variis uti solent *analogiis* singulis singulas aliquas huius unionis proprietates illustrantibus. Praeter eas, quarum locis suis mentionem fecimus, notentur praesertim analogiae hae:

α. *Insitionis* analogia apud Theodoretum invenitur. [2]) Eam sic exponit Alexander Halensis: „Surculus piri unitur arbori, cui inseritur, sicut pomo vel alii; servatur enim natura utriusque, sc. piri et pomi, nec unquam fiet pirum pomum nec e converso, nec ex illis efficitur tertium, sc. arbor aliqua quae nec sit pirum nec pomum; sed unum fit de altero, sive est de altero, sicut pirus de pomo, quia in insertione dominans trahit alterum ad sui unitatem, ita quod est de illo, sed non est illud." [3])

β. *Ignitionis* analogia et generatim adhibetur et speciatim ratione habita rubi ardentis, de quo legitur Exod. 3, et fornacis accensae, cuius medium „quasi ventum roris flantem" fecit angelus, ut legitur Dan. 3, 50.

Generatim. „Quomodo Deus Verbum humana fragilitate non est correptus aut inquinatus? Facile respondemus: sicut et ignis de ferri proprietatibus non accipit. Nigrum quidem est ferrum et frigidum, at tamen ignitum et candens ignis formam subit, e quamquam ex eo splendens ignem tamen sua nigredine non inficit, itemque ardens flammam sua frigiditate non destruit." [4])

---

[1]) S. Th. 3 q. 2 a. 1.
[2]) Theodoret. Dial. ‚Inconfusus'.
[3]) Alex. Hal. 3 q. 7 m. 1 a. 1.
[4]) Basil. Hom. de hum. Chr. generatione.

Speciatim similitudinem *rubi ardentis* Cornelius a Lapide (in h. l.) sic evolvit: „Rubus spinosus, asper, humilis et vilis significat Christi humanitatem, quam ipse sponte multis aerumnis et laboribus subiectam, pauperem, humilem et despicabilem salutis nostrae causa suscepit: nam sicut ignis rubum, ita deitas humanitatem eiusque mortalitatem et infirmitatem non consumpsit. Per succensum rubum, ait S. Gregorius [1]), Mosem alloquens Deus, quid aliud ostendit, nisi quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis carnis nostrae dolores quasi rubi spinas susciperet, et inconsumptam humanitatis nostrae substantiam etiam in ipsa divinitatis flamma servaret? Hinc et Cyrillus contra Eutychetem probat duas naturas in Christo mansisse integras, illaesas et inconfusas, sicut in rubo hoc integer mansit tam rubus quam ignis." — De *fornace* Babylonica haec habet Eulogius Alexandrinus: „Si obstupefecerit te miraculum, quo divinitatis ignis carni materiali copulatus sit, aspicias quaeso fornacem rore repletam, duas animae oppositas naturas habentem ignis simul et roris." [2])

γ. *Animationis* analogia saepissime occurrit, imprimis in Symbolo Athanasiano: „Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus." De hac analogia ita S. Thomas: „In omnibus rebus creatis nihil invenitur huic unioni tam simile sicut unio animae ad corpus; et maior esset similitudo, ut etiam Augustinus dicit, si esset unus intellectus in omnibus hominibus, ut quidam posuerunt, secundum quod oporteret dicere quod intellectus praeexistens hoc modo de novo conceptui hominis uniatur, ut ex utroque fiat una persona, sicut ponimus Verbum praeexistens humanae naturae in personam unam uniri." [3]) — Utuntur vero hac similitudine Patres non solum ut unitatem hypostaseos in Christo illustrent, sed ut incarnationis etiam possibilitatem aliquo modo suadeant. „Quaerere quidam solent, quomodo misceri potuit homo et Deus. Quaerunt rationem huius mysterii, quod semel factum est, cum ipsi nequaquam possint rationem reddere eius, quod fit semper i. e. quomodo anima miscetur corpori, ut homo fiat. Ergo sicut res corporea incorporeaque coniungitur, ut homo efficiatur, ita homo coniunctus est Deo et factus est Christus." [4])

2. In Christo *duplex* est *voluntas* ac *duplex* genus *operationum intime unitarum.*

[1]) Gregor. M. Moral. 28, 2.

[2]) Eulog. Alex. fragm. edita in ‚Tübinger Quartalschrift' 1896, 369; ubi et aliae comparationes elegantes leguntur.

[3]) S. Th. C. gent. 4, 41.

[4]) Augustin. Serm. 371 al. 52.

1. In Christo *duplex* voluntas et genus operationum est.

a. „Duplex in Christo est *natura:* ergo et duplex voluntas atque operatio. Cum duae in Christo naturae sint, duas quoque in eo actiones dicere necesse est. Quorum enim natura diversa est, horum quoque dispar est actio, et contra quorum natura est eadem, horum et actio est eadem, quorum autem actio una est, horum etiam substantia una est secundum divinorum interpretes Patres." [1])

b. Diserte in Scriptura duplex traditur *voluntas* et *operatio*. „Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me" (Ioan. 6, 38). „Non mea voluntas, sed tua fiat" (Luc. 22, 42). Ex quibus patet, fuisse in Christo quandam voluntatem et operationem propriam eius, praeter voluntatem Patris; at manifestum est, fuisse in eo voluntatem quoque sibi et Patri communem, cum Patris et Filii sicut una natura una quoque sit voluntas: sunt igitur in Christo duae voluntates. [2])

Diversam utramque utriusque naturae ἐνέργειαν secundum Scripturam ex *Patribus* egregie prosequitur Eulogius Alexandrinus: „Iam inde ex Virginis utero materno duarum naturarum videre poteris duas inseparabiles operationes. Deus Verbum naturam sibi humanam ex Dei genitrice sine semine formavit, en opus vel operatio divinae naturae ac virtutis. Crevit deinde in utero novem mensium tempore corpus divinitus plasmatum, quae humana erat Christi operatio. Infans ex utero prodiit Christus formam habens humanam, quae et ipsa humana erat operatio. Quod vero matrem etiam post partum servavit virginem, divinae erat operationis. Secundum humanam pariter naturam et operationem proficiebat sapientia et aetate. Simul autem docet et fovet ipse eos, qui digni erant, secundum divinam suam naturam et operationem. Baptizatur et Spiritum accipit secundum humanitatem; aliis Spiritum confert secundum divinitatem. Tentatur ut homo ipse intentator; ut Deus tentatori imperat. Esurit post quadraginta dies, quamvis voluntarie, tamquam homo; tamquam Deus paucis panibus hominum milia nutrit. Dormit in navicula ut homo; expergefactus imperat mari ut Deus. Fatigatur ut homo; reficit fatigatos ut Deus. Exspuit ut homo; sputo caecum sanat ut Deus. Lacrimat ut homo de Lazaro; ut Deus Lazarum suscitat. A Iudaeis ligatur ut homo; qui ad eum ligandum accesserant, eos prosternit ut Deus. Sustinet passiones ut homo; ut Deus operatur miracula. Ceterum etiam passiones Christi veneror ut passiones

[1]) Damasc. De fide 3, 15.

[2]) Una est proprie voluntas humana, sc. quae est in parte intellectiva, sed cum hac coniungitur appetitus sensitivus, qui et ipse a Christo est assumptus. Cf. S. Th. 3 q. 18 a. 2.

corporis divini, et miracula ut divinitatis incarnatae miracula. Quemadmodum autem corpus voco divinum, sic etiam quae sunt corporis: divinum sanguinem, divinas lacrimas, divinum sudorem, divinum sputum; nam Dei corpus erat, cuius haec sunt. Dei, inquam, corpus. Minime vero: Deus Verbum erat corpus.“ [1])

2. Christi voluntates *minime* sibi sunt *contrariae.*

In Concilio Constantinopolitano III haec leguntur: „Praedicamus duas naturales voluntates, non contrarias, iuxta quod impii asserunt haeretici, sed sequentem eius humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati.“

Quomodo vero voluntatum Christi nec in Oliveto, ut calix abeat, orantis vera oppositio fuerit ulla, sic explicat S. Thomas: „Licet voluntas *naturalis* [2]) et voluntas *sensualitatis* in Christo aliquid aliud voluerit quam voluntas *divina* et voluntas *rationis* ipsius, non tamen fuit aliqua contrarietas voluntatum. Primo quidem, quia neque voluntas naturalis neque voluntas sensualitatis repudiabat illam *rationem*, scilicet qua divina voluntas et voluntas rationis humanae in Christo passionem volebat. Volebat enim etiam voluntas absoluta in Christo salutem humani generis, sed eius non erat velle hoc in ordine ad aliud: motus autem sensualitatis ad hoc se extendere non valebat. Secundo, quia neque voluntas divina neque voluntas rationis in Christo *impediebatur* aut retardabatur per voluntatem naturalem aut per appetitum sensualitatis. Similiter etiam nec e contrario voluntas divina vel voluntas rationis in Christo refugiebat, aut retardabat motum voluntatis naturalis humanae et motum sensualitatis in Christo; placebat enim Christo secundum voluntatem divinam et etiam secundum voluntatem rationis, ut voluntas naturalis in ipso et voluntas sensualitatis secundum ordinem suae naturae moverentur. Unde patet quod in Christo nulla fuit repugnantia vel contrarietas voluntatum.“ [3])

3. Quamvis non sensu Monotheletarum, est tamen aliqua intima utriusque generis operationum *unio*, secundum quam deiviriles dicuntur.

Verba Dionysii sunt haec: „Divina non qua Deus patrabat

[1]) Eulog. Alex. fragm. l. c. 375 sq.

[2]) Voluntas naturalis seu θέλησις est voluntas rationis, prout est natura i. e. voluntas secundum quod fertur in aliquid, quod est secundum se volitum, in oppositione ad voluntatem, prout est ratio, quae scilicet fertur in aliquid, quod est volitum ex ordine ad aliud, quaeque βούλησις vocatur. Cf. S. Th. 3 q. 18 a. 3.

[3]) S. Th. 3 q. 18 a. 6. — Cf. hac de re Eulog. Alex. fragm. l. c. 373.

neque humana quatenus homo gerebat, sed quatenus erat Deus et homo novam quandam nobiscum conversando *deivirilem* operationem exhibebat (ἀλλ' ἀνδρωθέντος θεοῦ καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος)." [1])

Quo vero sensu operationes Christi „deiviriles" dici debeant, quo non, Concilium Lateranense a. 649 (can. 15) sic declaravit: „Si quis secundum scelerosos haereticos deivirilem operationem, quod Graeci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum ss. Patres, h. e. divinam et humanam, aut ipsam deivirilis, quae posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam: condemnatus sit."

Tripliciter autem „propter mirificam et gloriosam unitionem" Christi operationes deiviriles dicuntur.

a. Sensu *generali* vocari possunt operationes deiviriles actiones Christi *omnes*, tum quas operatur per naturam divinam tum quas per naturam humanam operatur: idque ratione *suppositi agentis*: nam incarnatione peracta neque Verbum quid operatur carne veluti nudatum, quacum est semper hypostatice unitum, neque Christus homo quidquam agit divinitate desertus, cum semper homo ille sit Deus. „Erit tota res perspicua de gladii candentis exemplo: nam is pariter et secat et urit, estque dubio procul ustio non ferri, sed ignis, sectio vero non ignis, sed ferri; et diversarum naturarum actiones sunt ustio et sectio, sed propter unionem non ignis tantum esse dicimus hanc ustionem, sed etiam ferri." [2])

b. Sensu *speciali* deiviriles dici possunt operationes Christi *humanae*, tum quia ex una parte principium, quo eliciuntur, natura humana est, ex altera parte haec natura humana ipsius Verbi est propria, tum quia nulla est operatio naturae humanae, quin dirigatur per naturam divinam tamquam principium suum ἡγεμονικόν. „Verbum carne sua propria tamquam organo utebatur ad carnis opera naturalesque infirmitates et quaecunque sunt irreprehensibilia; anima item sua propria ad humanas et irreprehensibiles passiones." [3])

c. Sensu *specialissimo* vocantur operationes deiviriles actiones Christi *miraculosae*, sc. actiones divinae (quae ut tales proprie non sunt nisi una operatio eaque communis tribus personis), quibuscum natura humana concurrit tamquam medium atque instrumentum ad effectum supernaturalem producendum; eae sc. operationes, quas

[1]) Dionys. Ep. 4 ad Caium.

[2]) Theorianus, Dialog. adv. Armenos. Cf. etiam Eulog. Alex. fragm. l. c. 376.

[3]) Cyrill. Alex. De recta fide ad Theodos.

Patres *mixtas* vocant. „Ut Deus tantum operabatur, quando absens centurionis filium sanabat; ut homo tantum, etsi Deus erat, quando comedebat et tristabatur; mixtim autem operabatur miracula, caecis oculos illinendo restituens, haemorrhoissae fluxum solo tactu sistens.“ [1])

OBIICITUR S. Cyrillus cum dicit, „non oportere intelligere duas naturas, sed *unam naturam Dei Verbi incarnatam*“, contra Nestorium confundentem naturam et personam vocem naturae Dei Verbi (quae necessario subsistit) adhibet ita, ut aequivaleat personae Verbi, directe unitatem personae significans, in obliquo (sc. per vocem ‚incarnatam‘) naturam assumptam. Scilicet: „Si quis unam naturam Verbi Dei incarnatam dicens non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quod unus Christus factus est ex divina natura et humana unione secundum subsistentiam facta, sed ex talibus vocibus naturam unam sive substantiam divinitatis et carnis Christi introducere conetur: talis a. s.“ (Conc. Constantinop. II).

Patres comparantes Verbi incarnati unionem cum unione *animae et corporis*, unitatem hypostaseos non vero naturae docere dicendi sunt. „Ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, naturae et personae: naturae quidem secundum quod anima unitur corpori formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus fiat una natura, et quantum ad hoc non attenditur similitudo, quia natura divina non potest esse corporis forma; unitas vero personae constituitur ex eis, inquantum est unus aliquis subsistens in carne et anima, et quantum ad hoc attenditur similitudo, unus enim Christus subsistit in divina natura et humana.“ [2])

Patres naturam humanam a Verbo *consumi* vel *absorberi* dicentes vel ipsum Christi corpus *divinum* vocantes non ipsius naturae humanae significant destructionem, sed destructionem vel propriae hypostaseos eiusdem vel eorum quae in humana natura infirma et corruptibilia sunt. Scilicet: „Christi corpus esse quidem divinum asserimus, cum sit Dei corpus, et ineffabili gloria decoratum, incorruptibile, sanctum, vivificum; esse autem in deitatis naturam transmutatum, neque quisquam ss. Patrum aut sensit aut dixit, neque nos ita sentimus.“ [3])

Cum denique contra duas Christi voluntates obiicitur, eo ipso videri admittendas voluntates *contrarias*, sic respondendum est cum S. Thoma: „Videtur haec positio ortum habuisse ex hoc, quod eius auctores nesciverunt distinguere inter id, quod est simpliciter unum et ordine unum. Viderunt enim voluntatem humanam in Christo omnino sub voluntate divina ordinatam fuisse, ita quod nihil voluntate humana Christus voluit nisi secundum quod eum velle voluntas divina disposuit; similiter etiam nihil Christus secundum humanam naturam operatus est vel agendo vel patiendo nisi quod voluntas divina disposuit, secundum illud (Ioan. 8, 29): «Quae placita sunt ei, facio semper».“ [4])

---

[1]) Maximus, Schol. in Dionys. Alex. ep.
[2]) S. Th. 3 q. 2 a. 1 ad 2.
[3]) Cyrill. Ep. 1. ad Success.
[4]) S. Th. C. gent. 4, 36.

Caput III.

De Consequentibus Unionem.

Aliqua, quae cum duarum Christi naturarum hypostatica unione intime nectuntur, fieri non potuit, ut, cum de hac ipsa unione ageretur, simul cum ea non tractarentur. At sunt, quae specialem declarationem sibi postulent: videlicet quaedam Christi nomina, charismata peculiaria suae ss. humanitatis, cultus ei debitus, dignitas Matris suae sanctissimae.

Articulus I.

De Nominibus Christi.

Hic duo quaeruntur: 1. *generatim* de nuncupatione, quae locum habet de Christo [th. 6], 2. *speciatim* de nomine Filii Dei [th. 7].

Thesis 6.

Communicatio idiomatum 1. in Christo aliqua admittenda est; 2. eaque talis, ut quae de hypostasi affirmantur enuntiata secundum alteram naturam de eadem affirmentur secundum alteram enuntiata, non vero talis, ut quae de altera affirmantur natura affirmentur etiam de altera.

Idioma idem est quod proprietas, vel pressius proprietas quatenus de re aliqua praedicatur. Unde idiomatum communicatio (ἀντίδοσις) hic intelligitur mutua in Christo proprietatum seu potius praedicatorum communio. Quaeritur, an vere in Christo admittenda sit idiomatum communicatio et cuiusmodi sit haec in Christo communicatio.

Aliquam idiomatum communicationem admiserunt omnes. Verum haeretici prae diversis suis de theandrico composito erroribus diversimode etiam in idiomatum communicatione erraverunt. Nestoriani communicationem posuerunt inter duas hypostases ita, ut ex earundem accidentali unione alterius in alteram derivarent communionem quandam moralem dignitatis, auctoritatis, dominationis. Eutychianorum communicatio idiomatum in confusione sita est, qua proprietates unius naturae formaliter alterius naturae fierent.

Manifestum est autem, *non aliam* posse admitti in Christo nec ipsarum proprietatum communionem ontologicam nec proinde aliam logicam earundem praedicationem, quam quae cum doctrina reve-

lata de duabus Christi naturis in una hypostasi unitis componatur atque ex ea consequatur. Atque haec est idiomatum communicatio, quam thesi defendimus. Esse vero hanc talem, qualem asserimus, ex iis ipsis efficitur, quibus eam generatim admittendam esse ostendemus.

Maximi porro *momenti* est haec idiomatum communicatio; petitur enim ex ea regula, ad quam examinari certo possint uniuscuiusque scriptoris dicta, ut constet, rectene ille sentiat an secus de Christo Deo-homine. [1])

DEMONSTRATUR: 1. *Admittenda* est in Christo certa aliqua *idiomatum communicatio.*

1. *Aliqua* admittenda est idiomatum communicatio.

„Cum sit *eadem hypostasis* utriusque naturae, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturae. Sive ergo dicatur homo sive Deus, supponitur hypostasis divinae et humanae naturae. Et ideo de homine possunt dici ea, quae sunt divinae naturae, tamquam de hypostasi divinae naturae; et de Deo possunt dici ea, quae sunt humanae naturae, tamquam de hypostasi humanae naturae.“ [2])

Scilicet: Ex unione hypostatica fit, ut natura divina et humana subsistant in eadem persona Verbi, ideoque ut in Christo unum sit suppositum utriusque naturae. Iam vero quae ad naturae rationem pertinent in concreto, seu proprietates eiusdem, supposito attribuuntur deque eo praedicantur. Ergo suppositum Christi, i. e. ipse Christus utriusque naturae nomine potest designari, et quocumque nomine significetur, potest praedicari de eo id, quod est utriusque naturae, utpote quibus non supponatur nisi una hypostasis.

2. *Non qualiscumque* ponenda est idiomatum communicatio.

„In propositione, in qua aliquid de aliquo praedicatur, non solum attenditur, quid sit illud, de quo praedicatur praedicatum, sed etiam *secundum quid* de illo praedicetur. Quamvis ergo non distinguantur ea quae praedicantur de Christo, distinguuntur tamen secundum id secundum quod utrumque praedicatur. Nam ea, quae sunt divinae naturae, praedicantur de Christo secundum divinam naturam; ea autem, quae sunt humanae naturae, praedicantur de eo secundum humanam naturam.“ [3])

Scilicet: Ex unione hypostatica minime fit, ut duae non sint in Christo naturae utraque suis instructa proprietatibus. Iam vero

---

[1]) „Sicut Hieronymus dicit (Explic. in 5 Galat.), «ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis». Unde cum haereticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur“ (S. Th. 3 q. 16 a. 8).

[2]) S. Th. 3 q. 16 a. 4.

[3]) S. Th. l. c.

proprietates naturae divinae et naturae humanae sibi invicem opponuntur. At quae sibi opponuntur, nequeunt secundum idem praedicari de eodem. Non ergo possunt quae alterutrius naturae Christi sunt propria, de altera natura praedicari.

2. *Quae* sit idiomatum communicatio.

Ex hucusque probatis sponte consequitur: Quidquid (unione supposita) affirmatur de *hypostasi* nominata secundum unam naturam, affirmandum est etiam de eadem hypostasi secundum alteram naturam; *non* tamen, quod praedicatur de una *natura*, praedicari poterit de altera.

Quod quidem principium in plures resolvi poterit canones legesque loquendi:

1. De hypostasi secundum alterutram naturam nominata attributa naturae alterius in *concreto* sunt praedicanda; nomina enim concreta pro hypostasi supponunt. Ergo dicere et licet et oportet: Deus est homo, est natus, mortuus; hic homo est Deus, est generatus ab aeterno, mundi creator etc.

2. De hypostasi secundum alterutram naturam *reduplicata* nequeunt alterius naturae attributa praedicari quamvis in concreto enuntiata; per reduplicationem enim exhibentur quae sunt naturae formaliter propria ideoque alteri naturae opposita. Ergo dicere non licet: Deus quatenus Deus est mortuus, homo Iesus quatenus homo est creator.

3. De hypostasi non possunt praedicari in *recto* humana *abstracte* significata; haec enim pro natura supponunt. Ergo quamvis dici possit: Verbum habet humanitatem, non tamen potest dici: Verbum est humanitas.

4. Naturarum proprietates nominibus *abstractis* significatae nequeunt de *se invicem* praedicari; naturae enim earumque proprietates sunt diversae. Ergo dicere non licebit: Divinitas est humanitas.

5. *Divina* in *abstracto* enuntiata et *humana* quamvis *concrete* significata nequeunt de *se invicem* praedicari; quae enim abstracte enuntiantur, naturam exhibent, Verbum autem homo factum est non sub formali ratione naturae, sed sub ratione hypostaseos. Ergo nequit proprie dici: Divinitas est nata vel passa.

6. Quamvis, quae Christo conveniunt secundum alterutram naturam, possint de eo simpliciter affirmari, *non* tamen, quae ei non conveniunt secundum naturam alterutram, simpliciter atque absque restrictione de eo possunt *negari;* negatio enim removet praedicatum a toto subiecto. Ergo dici nequit: Christus vel Deus non est passus.

7. Praedicata quae unionem supponunt *faciendam*, quamvis possint tribui Verbo praeexistenti, nequeunt tribui homini nec Christo formaliter spectato; homo enim non praeextitit unioni nec Christus in significatione formali. Ergo nefas est dicere: Homo Deo est unitus, Christus est incarnatus.

8. Concretae praedicationes velut ‚Deus‘, ‚Dominus‘, ‚homo‘ nequeunt *denominative* tribui sive alteri naturae sive toti Christo; cum enim denominativum significet formam subiecto accidentalem, denominationes istiusmodi accidentalem naturae unius ad alteram significare videntur unionem. Ergo reiiciendae sunt propositiones: Deus est humanus [1]), Christus est homo dominicus [2]) vel deifer vel deificatus.

COROLLARIUM. Praeter regulas ac cautelas, quas thesi statuimus, ad *modum loquendi* quod spectat, haec animadvertenda videntur:

1. Patres, si quandoque loquendi modos adhibeant, qui legibus statutis minus consoni videntur, benigne explicari oportet. Si v. g. divinitatem passam esse dicunt, intelligendi sunt loqui sensu identico, abstractum ‚divinitas‘ sumentes pro subsistente Filio Dei; si ‚Christum‘ dicunt in V. Testamento apparuisse, nomen Christi adhibent per anticipationem quandam ac propter hypostaseos identitatem.

2. Caute praesertim coram simplicioribus et rudibus utendum est iis dicendi modis, qui licet secundum rigorem dialecticae sanum habere possint sensum et fortasse etiam a Patribus hoc sensu adhibeantur, tamen offensioni esse atque haereticis favere possunt. Quocirca propositionibus, cuiusmodi sunt: Christus est creatura, Christus incepit esse, vel omnino erit abstinendum vel necessario determinatio, sc. ‚secundum humanitatem‘, adiicienda erit.

3. Sunt re vera aliquae dicendi formulae, quae quamvis per se orthodoxae sint vel facile sensu orthodoxo accipi possint, tamen cum ab haereticis sensu haeretico sumerentur, ab Ecclesia reprobatae sunt. Eiusmodi sunt formulae: „Unus de Trinitate passus est“, et „Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, qui crucifixus est pro nobis“. Utraque nimirum a Petro Fullone Monophysita et Theopaschitis invecta est: prior eo sensu accepta, ut praedicatum tribueretur subiecto secundum naturam qua Christus est unus de Trinitate; altera pariter eo sensu, ut tota Trinitas, ad quam trisagion ex fidelium sensu dirigitur, intelligeretur crucifixa. Formula prior ab Hormisda, altera a Felice III damnata est.

SCHOLION 1. Cum arctissima utriusque naturae coniunctione ac proprietatum earundem communicatione intime cohaeret ea quae earum dicitur

[1]) Hoc sensu Nestoriani Verbum *humanatum* (ἀνθρωποφόρον, σαρκοφόρον) esse dixerunt, intelligentes solam Dei in homine inhabitationem.

[2]) Potest tamen iuxta S. Thomam (3 q. 16 a. 3 ad 3) Christus dici *divinus*, quia „hoc nomen ‚divinum‘ consuevit praedicari etiam de his, de quibus praedicatur essentialiter hoc nomen ‚Deus‘“. At ‚dominicum‘ non dicitur nisi quod qualitercumque est domini, non ipse dominus: potest igitur caro, passio, oratio etc. Christi dici et dicitur dominica; non vero Christus ipse.

περιχώρησις seu mutua *circumincessio.* Περιχώρησις in ordine ontologico est ipsa plurium distinctorum propter substantialem unitatem mutua inexistentia; in ordine logico in eo est, quod propter hanc ipsam unitatem distinctorum plurium unum intelligi non possit, quin in illo realiter intelligatur et alterum. Locum habet περιχώρησις in mysterio tum SS. Trinitatis tum Verbi incarnati: illic personae tres in se ipsas περιχωρεῖν dicuntur, hic naturae duae. Sed interest inter modum, qui non idem utrobique cernitur. Scilicet: in Trinitate personarum περιχώρησις ex naturae perfectissima unitate perficitur ita, ut persona unaquaeque communem includat naturam; duae contra in Christo naturae communem includunt hypostasim ita, ut tamen natura humana hypostasim divinam non includat, nisi quatenus efferatur in concreto, non vero in abstracto; ita sese pervadunt, ut sola natura humana excellentiam dignitatemque inde sortiatur. „Etiamsi dicamus, naturas Domini se mutuo permeare, περιχώρησις facta est a divina natura; nam omnia pertransit, quemadmodum vult, et permeat, per ipsam autem nihil; et ipsa quidem proprias dotes carni impertit, cum ipsa manet impassibilis et immunis ab affectionibus carnis. Nam si sol multiplicis virtutis suae nos participes reddit, nostrorum tamen manet expers: quanto magis solis factor et dominus!“ [1])

2. Lutherus eiusque aliqui discipuli tantam proprietatum divinarum cum humana natura communicationem factam esse asserunt, ut haec formaliter donata sit illis, non quidem ut sunt proprietates illae ipsa divina essentia — ne sc. Eutychiani esse videantur —, sed ut sunt dona et charismata creata; atque in huiusmodi communicatione formalem rationem incarnationis sitam esse putant. In proprietatibus vero illis locum principem tenere docent *omnipraesentiam,* qua fiat, ut Verbum cum sit ubique, ubique pariter dicenda sit assumpta humanitas: unde „*Ubiquistae*“ seu „*Ubiquetarii*“ dicti sunt. [2]) „Ubicumque recte dixeris, hic est Deus, ibi fateri oportet, ergo etiam Christus homo adest; si locum aliquem monstrares, in quo solus Deus, non autem homo esset, iam statim persona divideretur“ (Form. Concord.). [3])

Verum 1. omnipraesentia nihil aliud est quam ipsa divina immensitas (cum connotatione rerum existentium, quibus Deus sit praesens); haec vero, cum sit perfectio infinita, non potest fieri attributum naturae creatae;

---

[1]) Damasc. De fide 3, 7.

[2]) Ad fabulam hanc „ubiquitatis“ confingendam deducti sunt Lutherani eo quod, cum veram in Eucharistia transsubstantiationem negarent, tamen praesentiam Christi in hoc sacramento realem defendendam sibi esse existimaverunt.

[3]) Inter protestantes ineunte saec. 17 controversia exorta est de attributis divinis naturae Christi humanae tribuendis: Tuebingenses statuerunt, Christum etiam ut hominem divinam clam habuisse potentiam, omnipraesentiam etc. (κρύψις); Giessenenses contra aliique docuerunt, his attributis voluntarie eum se privasse (κένωσις). Cenoticorum, ut vocantur, sententia postmodum evasit communior. — Nostra porro aetate iam non est, cur de his apud protestantes quaeratur. Vel enim aperte negant Christi divinitatem vel saltem naturae humanae propriam suam docent fuisse personalitatem. „Kaum ein nennenswerter Theologe wagt es noch, der Menschheit Christi die eigene Persönlichkeit abzusprechen“ (Dorner, Lehre von der Person Christi 2, 1225).

2. quamvis non repugnet, Deum constituere humanam Christi naturam praesentem ubicumque sit aliqua creatura, huiusmodi tamen praesentia a. nullibi in revelatione docetur, imo b. in universa revelatione reprobatur, c. si esset, minime tamen ex unione hypostatica proflueret, sed novum quoddam miralum dicendum foret. — Scilicet: „Cavendum est, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus; non est autem consequens, ut, quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus. Nam et de nobis veracissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur et sumus; nec tamen sicut ille ubique sumus. . . . Christum et ubique totum praesentem esse non dubites tamquam Deum, et in loco aliquo coeli propter veri corporis modum“ [1]): simili nimirum modo, quo sol luce sua crystallum pervadens est ubicumque est crystallum, non vero contra; quo Deus beatis sese manifestans videndum est ubique, quin tamen beati, in quibus manifestatur, ubique sint; quo anima caput informans in toto est corpore, quin caput ab anima informatum in toto corpore esse oporteat. [2])

Thesis 7.

Christus, etiam ut hic homo, dici nequit Filius Dei adoptivus, sed naturalis est.

Christum secundum divinam suam naturam Filium Dei naturalem esse, non est huius loci probare. Quaeritur hic de Christo *homine*. Scilicet: ex haeresi Nestoriana, veluti rivulus e fonte, profluit *Adoptianismus* saec. 8 labente *Felice Urgellitano* et *Elipando Toletano* auctoribus in Hispania ortus. [3]) Isti pro numero naturarum in Christo totidem Dei filios distinguentes, Christum secundum naturam divinam Filium docuerunt esse naturalem, *adoptivum* vero secundum naturam humanam. Exigi id putabant tum veritate naturae humanae Christi tum nostra inde efficienda adoptione. Quae doctrina simul ac erupit, damnata est ab *Adriano I* in epistola ad Hispaniarum

---

[1]) Augustin. Ep. 57 al. 187, 10 et 41.

[2]) Cf. ‚Pastor bonus‘ 1890, 321 sq.

[3]) Si quaeritur, unde factum sit, ut haec veluti soboles Nestorianismi tempore illo in Hispania oreretur, respondet Harnack (Dogmengesch. 3, 251): „Deutlich ist dies, dass die spanische Kirche damals mit Rom keine Verbindungen besass, die Verbindung, die Hadrian I suchte, zurückstiess und von der römisch-byzantinischen Kirchentradition relativ unbeeinflusst, aber im Innern stark verwildert gewesen ist. Deutlich ist ferner, dass Elipandus die Gelegenheit gern ergriffen hat, unter dem sichern Schutze der Ungläubigen seine metropolitane Machtsphäre nach Asturien auszudehnen; als Mittel dazu war ihm auch eine dogmatische *spanische* Formel willkommen. Wahrscheinlich ist endlich, dass in Spanien lateinische Übersetzungen nestorianischer Schriften, d. h. Schriften von Theodor von Mopsv. gelesen worden sind.“

episcopos, et deinceps refutata a Beato abbate, Etherio episcopo, Paulino Aquileiensi, Alcuino, Agobardo Lugdunensi; denique, Carolo Magno operam navante, a pluribus synodis, praesertim *Ratisbonensi* (a. 792), *Francofordiensi* (a. 794) ab Adriano approbata, et *Aquisgranensi* (a. 799). In actis synodi Francofordiensis inter alia haec leguntur: „Neque Apostoli eum sic nominaverunt, nec sancta Dei et catholica Ecclesia consuetudinem habuit eum sic appellare, imo nec credere eum adoptivum esse, sed proprium Filium."

Filiatio naturalis in naturali generatione fundatur; *adoptiva* in adoptione, quae est assumptio personae extraneae. Dicimus ergo Christum nullo modo, ergo neque ut hominem, esse filium Dei adoptivum. Quando vero dicimus Christum etiam *ut hominem* esse filium Dei naturalem, propositio intelligenda est sensu specificativo, ita sc. ut sit idem ac dicere: Christus, qui est homo; nequaquam autem sumenda est sensu reduplicativo, ita ut significetur: Christus secundum quod est homo. — Quodsi porro propositio, Christum hominem esse filium Dei adoptivum, intelligatur sensu *Adoptianorum* ita, ut Christi hominis concipiatur alia esse hypostasis ab hypostasi Verbi, haeretica est atque adeo thesis opposita *de fide;* quodsi intelligatur, quemadmodum intelligunt *Durandus* et *Scotus*, ita ut Christus dicatur Filius Dei adoptivus, quia inquantum homo sanctificatus est et elevatus ad dignitatem filiorum adoptivorum, non erit quidem haeretica, sed falsa, et thesis contradictoria *certa.*

DEMONSTRATUR: Christus *nullo modo* est filius Dei *adoptivus*, sed *naturalis.*

I. Probatur ex *deposito fidei.* Scilicet: sancti Apostoli et sancta Ecclesia Christum non solum non nominaverunt Dei filium adoptivum, sed diserte eum vocaverunt filium naturalem.

1. *Scriptura* haec habet de Christo homine: „Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum" (Rom. 8, 32). „Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit: cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?" (Hebr. 1, 4 sq.)

2. *Patres* pauci qui audiantur, sufficient. Afferri enim possent quicunque Nestorianam haeresim damnaverunt; ita ut Patres Francofordienses Adoptianis merito exprobrent: „Nonne olim eadem haeresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata est etiam et damnata?"

Hilarius: „Multi nos filii Dei, sed non talis hic Filius: hic enim et verus et proprius est Filius origine non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate non creatione." [1] *Augustinus:* „Lege Scrip-

[1] Hilar. De Trinit. 3, 11.

turas, nunquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit filius Dei." [1]) *Leporius:* „In hoc maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum, sed proprium." [2])

Quodsi Patres vetustiores nonnunquam de Christi *adoptione* loqui videntur, per adoptionem hanc vel intelligunt naturae Christi humanae assumptionem atque adeo sanctificationem, qua sc. Verbi persona active adoptavit naturam illam, vel de nostra adoptione agere dicendi sunt. [3])

2. Probatur ex *ratione theologica,* sc. ex conceptu filiationis.

„Filiatio proprie convenit *hypostasi* vel *personae,* non autem naturae. [4]) In Christo autem non est alia persona vel hypostasis quam increata, cui convenit esse filium per naturam. Filiatio autem adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur aliquid dici participative, quod per se dicitur. Et ideo Christus, qui est filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus. Secundum autem illos, qui ponunt in Christo duas personas vel duas hypostases seu duo supposita, nihil rationabiliter prohiberet Christum hominem dici filium adoptivum." [5])

Ex dictis consequitur, *rationem* cur Christus, ut hic homo, filius Dei sit naturalis, esse ipsius a Deo Patre aeternam generationem. Praeter hanc rationem *Suarezius* et *Vasquezius aliam rationem* putaverunt esse admittendam filiationis naturalis, positam in sanctificatione naturae humanae per substantivam cum Verbo unionem atque iure ad haereditatem inde oborto. Verum haec admitti non possunt. „Est considerandum, ita S. Thomas, quod illud quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam; sicut quia Socrates dicitur naturaliter homo secundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo secundum illam significationem qua pictura hominis dicitur homo, licet forte ipse assimiletur alteri homini. Christus autem est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis; unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus et iustificatus, non tamen debet dici Filius Dei neque ratione creationis neque ratione iustificationis, sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est Filius Patris solius." [6])

---

[1]) Augustin. Sermo 183, 5.
[2]) Leporius, Lib. emendat. 6.
[3]) Cf. Bach, Die Dogmengesch. des Mittelalters I, Abschn. 3.
[4]) „Dicitur filiatio convenire personae, tum quia illam proprie denominat, tum quia vel illi secundum se convenit, si sit simplicissima persona, vel non inest naturae nisi ut subsistenti et determinatae in aliqua persona, si sit persona composita" (Suarez, Disp. 49 sect. 2).
[5]) S. Th. 3 q. 23 a. 4.
[6]) S. Th. 3 q. 32 a. 3.

COROLLARIUM. Conceptionem Christi tota *Trinitas* operata est. Modo peculiari ea tribuitur *Spiritui Sancto.* Cuius rei a S. Thoma hae rationes afferuntur: „Primo hoc congruit *causae* incarnationis, quae consideratur ex parte *Dei*: Spiritus enim Sanctus est amor Patris et Filii; hoc autem ex maximo Dei amore provenit, ut Filius Dei carnem sibi assumeret in utero virginali; secundo hoc congruit *causae* incarnationis ex parte *naturae assumptae:* per hoc enim datur intelligi, quod humana natura assumpta est a Filio Dei in unitatem personae non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia, quae Spiritui Sancto attribuitur; tertio hoc congruit *termino* incarnationis: ad hoc enim terminata est incarnatio, ut homo ille, qui concipiebatur, esset sanctus et Filius Dei; utrumque autem horum attribuitur Spiritui Sancto.“ [1])

Unde tamen colligi non potest Christum esse vel *Trinitatis* vel *Spiritus Sancti filium.* Non enim est filius Trinitatis vel Spiritus Sancti naturalis, quia nec ex Trinitatis nec ex Spiritus Sancti substantia est genitus; non est filius adoptivus, quia Christus nullo modo est filius Dei adoptivus. Qua de re audiatur S. Augustinus: „Numquid dicturi sumus, patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum? . . . Quis hoc dicere audebit? Nec opus est ostendere disputando, quanta alia sequantur absurda, cum hoc ipsum iam ita sit absurdum, ut nullae fideles aures id valeant sustinere. Proinde, sicut confitemur, Dominus noster Iesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem factus est de Spiritu Sancto et Virgine Maria, utraque substantia divina sc. atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus Sanctus.“ [2])

SCHOLION **1.** Quaeritur, an Christus dici possit *creatus* vel *creatura.*

a. Non potest *simpliciter* dici: Christus est creatura. „Creari enim est fieri quoddam. Cum autem fieri terminetur ad esse simpliciter, eius est fieri quod habet esse subsistens, et huiusmodi est individuum completum in genere substantiae, quod quidem in natura intellectuali dicitur persona aut etiam hypostasis . . . In Christo autem non est alia hypostasis vel persona nisi Verbi Dei, quae est increata. Non igitur simpliciter potest enuntiari quod Christus sit creatura.“ [3])

b. Potest tamen cum quadam *limitatione* (i. e. secundum quod homo) dici: Christus est creatura. „Cum dicitur ‚Christus secundum quod homo‘, hoc nomen ‚homo‘ potest resumi in reduplicatione vel ratione suppositi, vel ratione naturae. Si quidem resumatur ratione suppositi, cum suppositum humanae naturae in Christo sit aeternum et increatum, haec erit falsa: ‚Christus, secundum quod homo, est creatura‘. Si vero resumatur ratione humanae naturae, sic est vera, quia ratione humanae naturae, sive secundum humanam naturam, convenit ei esse creaturam. Sciendum tamen, quod nomen sic resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito: resumitur enim in vi praedicati, quod tenetur formaliter; idem enim est dictu: ‚Christus, secundum quod homo‘, ac si diceretur: ‚Christus, secundum quod est homo‘. Et ideo haec est magis concedenda quam

---

[1]) S. Th. 3 q. 32 a. 1.
[2]) Augustin. Enchir. 38.
[3]) S. Th. C. gent. 4, 48.

neganda: ‚Christus, secundum quod homo, est creatura'. Si tamen adderetur aliquid, per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda quam concedenda; puta si diceretur: ‚Christus, secundum quod hic homo, est creatura'." [1])

2. Quaeritur, an Christus dici queat *servus* Dei.

„Servitus vel subiectio ad Deum non solum respicit personam sed etiam naturam, quod non potest dici de filiatione." [2]) Vox ‚servi' igitur dupliciter accipi potest: hypostatice ad significandam personam eius, qui filio opponatur, et ad designandam simpliciter naturae inferioritatem atque subiectionem, quae quidem subiectio in filio quoque locum habere potest. Priori sensu Christus non est servus, sed filius, sensu altero servus Dei dici poterit. In V. Testamento Messias futurus frequenter dicitur „servus Dei"; in N. vero nunquam, imo hic Moysi, qui vocatur πιστὸς θεράπων, opponitur tamquam υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ (Hebr. 3, 5 sq.).

3. Quaeritur de Christi *praedestinatione*.

Praedestinatio proprie accepta est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his, quae per gratiam Dei in tempore fieri debent. Manifestum est, cum ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub praedestinatione, Christum etiam praedestinatum dici posse. Verum quaeritur, quo sensu *Filius Dei* dici possit praedestinatus. Rom. 1, 3 sq. habetur: „De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum." Ita quidem in Vulgata legitur. Verum in textu graeco sic habetur: τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ, et sensus est: vel Filius Dei incarnatus, qui in sua exinanitione non agnoscebatur, palam declaratus et manifestatus est Filius Dei in sua resurrectione; vel constitutus est Filius Dei „in virtute", quatenus quam habuit potestatem inde a resurrectione plene exercere coepit. Atqui explicatione hac admissa omnis difficultas evanescit. Quodsi illa nihilominus de praedestinatione accipiantur, vel si quomodocunque de Christi quaeratur praedestinatione, placet responsio S. Bonaventurae: „Cum hoc participium ‚praedestinatus' dicat antecessionem, tripliciter potest eam importare: vel respectu subiecti, vel respectu praedicati, vel respectu totius copulati. Si autem importet antecessionem respectu subiecti, tunc est sensus: Filius Dei est praedestinatus esse homo, id est, Filius Dei ante praevisus esse homo, quam esset Filius Dei; et hoc modo falsa est praedicta locutio. Si autem importet antecessionem respectu praedicati, tunc est sensus: Filius Dei praevisus est esse homo, id est, cognitus vel praevisus fuit esse homo, non antequam Filius Dei esset, sed antequam esset homo. Si autem importet antecessionem respectu totius dicti, tunc est sensus: Filius Dei est praedestinatus esse homo, id est, praedestinatum est, ut Filius Dei sit homo. Sic igitur potest esse triplex sensus praedictae locutionis: et unus quidem falsus est, duo autem sequentes sunt veri." [3])

---

[1]) S. Th. 3 q. 16 a. 10.
[2]) S. Th. 3 q. 23 a. 4 ad 3.
[3]) S. Bonav. 3 dist. 7 a. 2 q. 2. Cf. plura apud S. Th. 3 q. 24.

Articulus II.

De Dotibus Christi.

Veram naturam humanam demonstratum est Verbum assumpsisse cum omnibus quae humanae naturae sunt propria; tam vero intime sibi eam copulasse, ut haec natura vere *propria* facta sit Verbi. „Deus unitus est humanae naturae in Christo, ita S. Thomas, ut humana esset quaedam Filii Dei natura; et sic quaelibet partes humanae naturae ipsius Filii Dei dici possunt Deus; et quidquid agit vel patitur quaelibet pars humanae naturae in Filio Dei, potest attribui unigenito Dei Verbo.“ [1])

De perfectionibus igitur atque excellentia Christi, etiam hominis, ut iudicium recte feratur, quamquam imprimis oportet Christum inspicere, qualem testimonia divina disertis verbis nobis describunt, necesse praeterea erit, ut humanae eius naturae intimam cum Verbo coniunctionem atque inde orientem dignitatem, quae quidem et ipsa in revelatione est posita, *normam ac regulam* prae oculis habeamus; illud videlicet sedulo considerantes, quod habet Augustinus: „Praedestinata est ista humanae naturae tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet.“ [2])

Cum vero quaeritur, *quo iure* ista tanta sublimatio Christi humanitati conveniat, a duplice errore cavendum esse videtur: tum sc. ne cum Scotistis affirmetur sola eius quaedam summa congruitas, tum ne omnium, quae Christo homini competunt, dotum communicandarum asseratur necessitas proprie dicta atque ius strictum humanitati Christi insitum. Filio sane Dei, prout Deus est, ius prorsus erat, ut humana natura a se assumpta praestantissimis, quibus fieri poterat, donis augeretur, at ius hoc non est ipsius huius naturae humanae; necessitas porro erat incarnatione posita ut natura humana

[1]) S. Th. Op. 3 c. Graec. 6.

[2]) Augustin. De praedest. sanct. 31. — Qua in quaestione *H. Schell* impugnans hanc, quae ex unione hypostatica vulgo desumitur, argumentandi rationem, Apostolorum narrationem disertam cognitionis hac in re solum fontem admittere videtur: „Es ist nur aus der positiven Offenbarung mit Sicherheit zu bestimmen, wie sich die Wechselgemeinschaft und Lebensbeziehung der beiden Naturen in Christus gestaltet, in welchem Masse und in welcher Weise die göttliche Natur ihre beseligende Lebensfülle in die menschliche überströmen liess: nicht das geringste mit naturhafter Notwendigkeit, alles mit selbstmächtiger, zielbewusster Freiheit“ (Dogm. 3, 106 sq.). Iam vero nomine ‚revelationis positivae‘, si diserta sola Scripturae testimonia intelligantur, mirum non est, plures in Christo homine non agnosci dotes, quae, uti eius visio beata, consensu fere unanimi nunquam non agnoscebantur et agnoscendae sunt.

assumpta esset nobilis ac sancta, sed inde nondum omnium illarum, quas ei vindicabimus, dotum necessitas colligi poterit.

A praestantissimo igitur ac principe Christi hominis decore exordiamur, a *sanctitate*, utpote unde reliquae eius dotes et pendeant et pensandae sint. Sanctitas ex duobus coalescit: ex immunitate a peccatis et intima cum Deo coniunctione, quae quidem coniunctio in ordine praesenti, qui supernaturalis est, supernaturalibus perficitur mediis, gratia imprimis, virtutibus, donis Spiritus Sancti. Iam vero prius de hac *gratia* [th. 8], deinde de *impeccantia* illa [th. 9] dicemus. Quibus explicatis sponte duplex exurget et solvetur quaestio: sc. de Christi humana *scientia* [th. 10] deque eius *potentia* [th. 11].

Thesis 8.

Christus homo 1. summe sanctus erat idque 2. tum gratia increata tum gratia creata coniuncta cum virtutibus ac donis Spiritus Sancti.

Duplex distinguitur Christi gratia: *increata* altera, altera *creata*. Prior, quae etiam gratia unionis dicitur, alia non est quam ipsa substantialis sanctitas Verbi unione hypostatica naturae humanae gratis communicata seu, ut loquitur S. Thomas, „ipsum esse personale, quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi“ [1]); altera specie eadem est ac ea qua reliqui homines sanctificantur. Certum plane est et inter omnes constat, utraque gratia Christum fuisse ornatum et alteram gratiam se habere ad priorem „sicut splendorem ad solem“. [2]) Controversiae theologorum sunt circa quaestiones subtiliores. Scotistae statuerunt, animam Christi sanctificari non illa gratia substantiali nisi moraliter tantum et extrinsecus, sed formalem sanctificationem esse solum ex vi gratiae habitualis; quocirca hanc prorsus necessariam esse existimaverunt, ut anima Christi sancta esset. Alii contra communius iam substantiali gratia Christi animam sanctificari dicunt formaliter, physice, intrinsecus, quatenus sc. sanctitas substantialis modo eminentissimo praestet quod forma creata quaecunque; creatam vero hanc sanctitatem necessariam ideo putant, ut naturae humanae sanctitas sit consummata et in anima ipsa sit principium connaturale agendi supernaturaliter ac meritorie. Quae fortasse ita poterunt componi, ut sanctitas ac consecratio naturae humanae ex unione cum deitate dicatur quidem interna non secus ac ipsa illius subsistentia, sed

1) S. Th. 3 q. 6 a. 6.
2) Cf. S. Th. 3 q. 7 a. 13.

divinitas haec non existimetur esse ipsa proprie dicta forma, unde humanitas sancta sit. Quidquid est, utriusque rationis gratiam Christo competere probabimus.

DEMONSTRATUR: **1.** Christus homo *summe sanctus* erat.

Sufficiant praecipua testimonia *Scripturae.* Patrum enim doctrinam et rationis argumenta postea audiemus.

In V. T. praedicitur „sanctus sanctorum" (Dan. 9, 24); et qui ab Isaia (6, 3) ter „sanctus" praedicatur, in N. T. a Ioanne (12, 41) ipse Christus esse significatur. Petrus eum quem crucifixerant Iudaei vocat „sanctum et iustum (τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον)" (Act. 3, 14). Angelus dicit nasciturum „sanctum (τὸν γεννώμενον ἅγιον)" (Luc. 1, 35). Christus ipse se a Patre dicit „sanctificatum" et „missum in mundum" (cf. Ioan. 10, 36). Porro sanctitas haec Christi hominis prorsus singularis esse exhibetur, sc. plenissima et prae omni alia sanctitate fundamentalis, i. e. causa meritoria et exemplaris. Dicit enim Ioannes de Verbo quod caro factum est: „Vidimus gloriam eius, plenum gratiae et veritatis . . . Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia" (Ioan. 1, 14 sq.); Paulus ipsum caput Ecclesiae docet „in omnibus primatum tenere", „quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare" (cf. Col. 1, 18); quam denique plenitudinem sic accuratius describit: „In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi", „quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti qui est caput omnis principatus et potestatis" (Col. 2, 3 sq.).

2. Christus homo sanctus erat gratia tum *increata* tum *creata.*

1. Christus sanctus erat gratia *increata.*

Sanctitas in creaturis est aliqua divinae sanctitatis participatio. Atqui in Christo per unionem hypostaticam humanitas particeps facta est ipsius naturae divinae in Verbo subsistentis. Quod idem probatur ex Patribus, ubi naturam Christi humanam vel in *igne* divinitatis veluti transmutatam vel divinitatis *unguento* unctam esse docent. „Si massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris omnibusque venis ignem recipiens et tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cesset aliquando neque ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus hanc, quae natura quidem ferri massa est, in igne positam et indesinenter ardentem posse frigus aliquando recipere, quin imo, quod verius est, magis eam, sicut in fornacibus saepe fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur, sed et si qui contingere atque tractare tentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima, quae quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne, quod agit, quod sen-

tit, quod intelligit, Deus est; et ideo nec convertibilis et mutabilis dici potest, quae inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit." [1]) — „Christus dicitur propter divinitatem; haec enim est unctio humanitatis, non sanctificans operatione, ut in aliis Christis, sed totius ungentis *praesentia*, cuius effectus est, ut qui ungit dicatur homo, et ut quod ungitur faciat Deum" [2]). „Verbum in principio Deus: in quo et ipse Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suae, quando Verbum factum est caro, quia una persona facta est Verbum et homo. Tunc ergo *sanctificavit se in se, hoc est hominem se in Verbo se;* quia unus Christus, Verbum et homo, sanctificans hominem in Verbo." [3]) „Ipse se ipsum unxit, ungens quidem ut Deus corpus divinitate sua, unctus autem ut homo; ipse enim est hoc et illud: est vero *divinitas* unctio humanitatis." [4])

2. Christus sanctus erat gratia *creata, virtutibus, donis, gratiis gratis datis.*

Patres testimonia aliqua *Scripturae* in hunc sensum interpretantur: „Dominus Iesus Christus Spiritum Sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est plenus gratia et Spiritu Sancto (Ioan. 1, 14; Luc. 4, 1). Et manifestius de illo scriptum est, quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto (Act. 10, 38), non utique oleo visibili, sed dono gratiae. . . . Ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est." [5]) „Omnis gratia effusa est in illud templum (i. e. Christum). Non dat enim illi Spiritum in mensura (Ioan. 3, 34): nos enim de eius plenitudine accepimus (Ioan. 1, 16); illud autem templum integram et universam accepit gratiam. Hoc Isaias quoque significans dicebat: Requiescet super illum Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et veritatis, Spiritus scientiae et pietatis, Spiritus timoris Dei implebit illum (Is. 11, 2 sq.). Sed illic quidem est universa gratia, in hominibus parum quid et gutta ex illa gratia." [6])

Iam de *singulis* dotibus creatis aliqua dicamus oportet.

a. In Christo erat *gratia habitualis.*

„Necesse est ponere in Christo gratiam habitualem propter tria. Primo quidem propter unionem animae illius ad Verbum Dei: quanto enim aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius; influxus autem gratiae

---

[1]) Origen. De princ. 2, 6.
[2]) Gregor. Naz. Or. 30 al. 36.
[3]) Augustin. In Ioan. tract. 108.
[4]) Damasc. De fide 3, 3.
[5]) Augustin. De Trinit. 15, 26.
[6]) Chrysost. In Ps. 44, 2.

est a Deo: et ideo maxime fuit conveniens ut anima illa reciperet influxum divinae gratiae. Secundo propter nobilitatem illius animae, cuius operationes oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem et amorem: ad quod necesse est elevari humanam naturam per gratiam. Tertio propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum: Christus enim, inquantum homo, est mediator Dei et hominum, ut dicitur 1 Tim. 2, 5, et ideo oportebat quod haberet gratiam etiam in alios redundantem, secundum illud Ioan. 1, 16: De plenitudine eius omnes accepimus, et gratiam pro gratia.“ [1])

Iisdem rationibus porro evincitur, Christum habuisse *plenitudinem* gratiae habitualis. Audiatur S. Thomas: „Christus habuit gratiae plenitudinem. Primo quidem, quia habuit eam in summo secundum perfectissimum *modum* quo haberi potest. Et hoc quidem apparet primo ex propinquitate animae Christi ad causam gratiae: dictum est enim, quod quanto aliquod receptivum propinquius est causae influenti, tanto abundantius recipit; et ideo anima Christi, quae propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiae eius. Secundo ex comparatione eius ad effectum: sic enim recipiebat anima Christi gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios; et ideo oportuit quod haberet maximam gratiam, sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus. Similiter etiam quantum ad *virtutem* gratiae plene habuit gratiam, quia habuit eam ad omnes operationes vel effectus gratiae; et hoc ideo, quia conferebatur ei gratia tamquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem primi principii alicuius generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis; sicut sol, qui est universalis causa generationis, eius virtus se extendit ad omnia quae sub generatione cadunt. Et sic secunda plenitudo gratiae attenditur in Christo, inquantum se extendit eius gratia ad omnes gratiae effectus, qui sunt virtutes, dona et alia huiusmodi.“ [2])

---

[1]) S. Th. 3 q. 7 a. 1.

[2]) S. Th. 3 q. 7 a. 9. — Plenitudo gratiae quamquam *aliis* quoque attribuatur, non tamen iis inest gratia nisi communicata per Christum nec eodem modo plena est in iis atque in Christo. „B. Virgo dicta est plena gratia non ex parte ipsius gratiae, quia non habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiae, sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet mater Unigeniti eius. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc quod esset idoneus minister et testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum est de aliis. Harum tamen plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est divinitus praeordinatus ad altiorem vel inferiorem statum.“ (S. Th. 3 q. 7 a. 10 ad 1.)

De hac gratiae plenitudine, quam S. Bonaventura „superabundantiae“ vocat[1]), cum quaeritur, utrum sit *infinita*, S. Thomas respondet: „gratiam *unionis*, quae est ipsum uniri personaliter Filio Dei, constat esse infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita“; gratiam vero *habitualem*, si consideretur quatenus sit ens quoddam, esse finitam non secus ac ipsam Christi animam, cui inhaereat, si vero consideretur secundum propriam rationem gratiae, posse dici infinitam: „quia sc. habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae et non datur ei secundum aliquam certam mensuram id quod ad rationem gratiae pertinet: eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animae Christi sicut cuidam universali principio gratificationis in natura humana; sicut si dicamus, lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest.“[2]) — Gratia Christi, quamvis sit finita secundum essentiam suam, *non* tamen proprie loquendo *capax* est *augmenti*. „Sicut aliarum formarum est ex divina sapientia determinata propria mensura, ita et gratiae. Mensura autem unicuique formae praefigitur per comparationem ad suum finem. Finis autem gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum. Non potest autem esse nec intelligi maior unio creaturae rationalis ad Deum, quam quae est in persona. Et ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiae. Sic igitur manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiae, sed neque etiam ex parte subiecti, quia Christus, secundum quod homo, a primo instanti suae conceptionis fuit verus et plenus comprehensor. Unde in eo non potuit esse gratiae augmentum, sicut nec in aliis beatis, quorum gratia augeri non potest, eo quod sunt in termino. Hominum vero, qui sunt pure viatores, gratia potest augeri et ex parte formae, quia non attingunt summum gratiae gradum et ex parte subiecti, quia nondum pervenerunt ad terminum.“[3])

Quodsi, ut a Guentherianis, illud *obiicitur* Luc. 2, 52: „Iesus *proficiebat* sapientia et aetate et *gratia* apud Deum et homines“, iuxta Patrum interpretationem profectus huiusmodi non est intelligendus secundum ipsos habitus sapientiae (nisi scientiae acquisitae) et gratiae augmentatos, sed secundum *effectus*, inquantum et cernentibus magis conspicua fiebat sapientia ac gratia, et sapientiae ac gratiae actus etiam coram Deo magis magisque fiebant meritorii, non quidem ipsi Christo operanti, sed corpori eius quae est Ecclesia;

---

[1]) S. Bonav. 3 dist. 13 a. 1 q, 3.
[2]) S. Th. 3 q. 7 a. 11.
[3]) S. Th. l. c. a. 12.

id quod utrumque Angelicus significat, cum Christum ait secundum processum aetatis opera fecisse perfectiora. [1])

b. In Christo erant *virtutes, dona, gratiae gratis datae.*

„Sicut gratia respicit essentiam animae, ita virtus respicit potentiam eius. Unde oportet quod sicut potentiae animae derivantur ab eius essentia, ita virtutes sint quaedam derivationes gratiae. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Unde cum gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animae quantum ad omnes animae actus: et ita Christus habuit omnes *virtutes.*" [2])

„Dona proprie sunt perfectiones quaedam potentiarum animae, secundum quod sunt natae moveri a Spiritu Sancto. Manifestum est autem quod anima Christi perfectissime a Spiritu Sancto movebatur, secundum illud Luc. 4, 1: Iesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Iordane et agebatur a Spiritu in desertum. Unde manifestum est quod in Christo fuerunt excellentissime *dona.*" [3])

„Gratiae gratis datae ordinantur ad fidei et spiritualis doctrinae manifestationem. Oportet enim eum qui docet habere ea per quae sua doctrina manifestetur: alias eius doctrina esset inutilis. Spiritualis autem doctrinae et fidei primus et principalis doctor est Christus. Unde manifestum est quod in Christo excellentissime fuerunt *omnes gratiae gratias datae*, sicut in primo et principali fidei doctore." [4])

SCHOLION. Christi gratia cum non solum ipsius singularem naturam perfecerit, verum etiam alios perficiendi sit principium, de hoc gratiae Christi in alios mirifico ac salutari influxu ut dicamus relinquitur. Quaestio est, ut aiunt, de gratia *capitis.* „Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur" (Eph 1, 22 sq.; cf. Eph. 4, 4 sq.). — Plura hic quaeruntur.

1. Quidnam sibi vult: Christus est *caput* Ecclesiae? „Sicut tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis,

---

[1]) Cf. S. Th. l. c. ad 3.

[2]) S. Th. l. c. a. 2. — Quod ad virtutes speciales attinet, *fides* et *spes*, cum Deum habeant obiectum, inquantum nondum videamus eum nec possideamus, in Christo, qui a primo instanti suae conceptionis plene vidit Deum per essentiam plenamque divinam fruitionem, illae non fuisse dicendae sunt. Cf. S. Th. 3 q. 7 a. 3 et 4.

Alias quasdam virtutes Christus potius *eminenter* habere dicendus est quam formaliter: sicut liberalitatem et magnificentiam, qua ita divitias appretiatus est, ut eas prorsus contemneret; temperantiam, quatenus sc. pravis concupiscentiis omnino caruit. Cf. S. Th. l. c. a. 2 ad 3.

[3]) S. Th. l. c. a. 5.

[4]) S. Th. l. c. a. 7.

quod secundum diversa membra habet diversos actus (Rom. 12; 1 Cor. 12), ita Christus dicitur caput Ecclesiae secundum similitudinem humani capitis; in quo tria possumus considerare, scilicet ordinem, perfectionem, virtutem: *ordinem* quidem, quia caput est prima pars hominis incipiendo a superiori, et inde est, quod omne principium consuevit vocari caput; *perfectionem* autem, quia in capite vigent omnes sensus et interiores et exteriores, cum ceteris in membris sit solus tactus; *virtutem* vero, quia virtus et motus ceterorum membrorum et gubernatio eorum in suis actibus est a capite propter vim sensitivam ibi dominantem, unde et rector dicitur caput populi. Haec autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim secundum propinquitatem ad Deum gratia eius altior est et prior, etsi non tempore, quia omnes alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud Rom. 8, 29: Quos praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundo vero perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum, secundum illud Ioan. 1, 14: Vidimus eum plenum gratiae et veritatis. Tertio virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae, secundum illud Ioan. 1, 16: De plenitudine eius nos omnes accepimus. Et sic patet, quod Christus convenienter dicitur Ecclesiae caput.“ [1])

2. Christus caput est hominum et quantum ad *animas* et quantum ad *corpora*. „Habet vim influendi humanitas Christi, inquantum est coniuncta Dei Verbo, cui corpus unitur per animam. Unde tota Christi humanitas, secundum scilicet animam et corpus, influit in homines et quantum ad animam et quantum ad corpus, sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus: uno modo in quantum membra corporis exhibentur arma iustitiae in anima existenti per Christum, ut Apostolus dicit Rom. 6; alio modo in quantum vita gloriae ab anima derivatur ad corpus, secundum illud Rom. 8, 11: Qui suscitavit Christum Iesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.“ [2])

3. Christus caput est *omnium* hominum, sed *modo diverso*. „Est Salvator omnium hominum, maxime fidelium“ (1 Tim. 4, 10). „Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi“ (1 Ioan. 2, 2). — Scilicet: „Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus: primo enim et principaliter est caput eorum qui actu uniuntur ei per gloriam; secundo eorum qui actu uniuntur ei per caritatem; tertio eorum qui actu uniuntur ei per fidem [3]); quarto vero eorum qui ei

[1]) S. Th. 3 q. 8 a. 1.

[2]) S. Th. l. c. a. 2.

[3]) „Esse Ecclesiam gloriosam, *non habentem maculam neque rugam*, est ultimus finis, ad quem perducimur per passionem Christi: unde hoc erit in statu patriae, non autem in statu viae. Sunt quaedam, scilicet mortalia, quibus carent illi, qui sunt membra Christi per actualem unionem caritatis; qui vero his subduntur peccatis, non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter: nisi forte imperfecte per fidem informem, quae unit Christo secundum quid, et non simpliciter, ut scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiae. Fides enim sine operibus mortua est, ut dicitur Iacobi 2, 20. Percipiunt tamen tales a Christo quemdam actum vitae, qui est credere;

uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem [1]); quinto vero eorum qui in potentia sunt ei uniti, quae nunquam reducetur ad actum: sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt praedestinati, qui tamen ex hoc saeculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia iam nec sunt in potentia ut Christo uniantur." [2])

4. Etiam *angelorum* caput est Christus homo. Quod contra Guilelmum Antissiodorensem paucosque alios theologi communiter tenent. Rem sic probat S. Thomas: „Ubi est unum corpus, necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum secundum distinctos actus sive officia. Manifestum est autem quod ad unum finem, qui est gloria divinae fruitionis, ordinantur et homines et angeli. Unde corpus Ecclesiae mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis. Totius autem huius multitudinis Christus est caput, quia propinquius se habet ad Deum et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines sed etiam quam angeli; et de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam angeli: dicitur enim Ephes. 1, 20, quod constituit eum, scilicet Christum, Deus Pater «ad dexteram suam in coelestibus supra omnem Potestatem et Principatum et Virtutem et Dominationem et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, et omnia subiecit sub pedibus eius». Et ideo Christus non solum est caput hominum, sed etiam angelorum. Unde et Matth. 4, 2 legitur, quod accesserunt angeli et ministrabant ei." [3])

Idem S. Thomas probat, *cur* et *quomodo* potestati Christi hominis angeli subiiciantur: tum quia „anima Christi magis est repleta virtute Verbi Dei, quam aliquis angelorum, unde et angelos illuminat"; tum quia „per humilitatem passionis humana natura in Christo meruit exaltari super angelos"; tum „ratione eorum quae circa homines operantur quorum Christus speciali quodam modo est caput." Tripliciter autem idem Angelicus ostendit angelos *iudicio* Christi subesse: tum „quantum ad dispensationem eorum quae per ipsos aguntur", tum quantum ad accidentalia praemia (vel poenas), quae „sunt

---

sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine." (S. Th. 3 q. 8 a. 3 ad 2.)

„*Antiqui* Patres servando legalia sacramenta ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eandem, qua et nos in ipsum ferimur: et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiae, ad quod nos pertinemus" (S. Th. l. c. ad 3).

[1]) „Illi, qui sunt *infideles*, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia. Quae quidem potentia in duobus fundatur: primo quidem et principaliter in virtute Christi, quae est sufficiens ad salutem totius humani generis; secundario in arbitrii libertate" (S. Th. l. c. ad 1).

[2]) S. Th. l. c. a. 3. — Nequit profecto relatio esse Christi tamquam capitis ad eos, qui sunt irreparabiliter ab ipso aversi, *daemones et damnatos*, quia nullus amplius in ipsos est influxus supernaturalis. Verum, quamvis non caput, etiam eorum tamen *dominus* est Christus, sicut omnium creaturarum.

[3]) S. Th. l. c. a. 4.

gaudia (vel tormenta) quae habent de salute hominum", tum, si Christus spectatur ut Verbum Dei, etiam „quantum ad praemium essentiale et poenam essentialem".[1])

Animadvertendum tamen est, *non tam proprie* Christum angelorum esse caput nec eodem modo, sicut hominum: „primo quantum ad conformitatem naturae, quia cum hominibus convenit etiam secundum speciem in natura, cum angelis autem non secundum speciem, sed secundum genus intellectualis naturae; secundo quantum ad influentiam, quia non influit angelis removendo prohibens aut merendo gratiam aut orando pro eis, quia iam beati sunt."[2])

5. Secundum essentiam *eadem* est gratia Christi personalis sc. *habitualis* et ea qua est *caput*. „De plenitudine eius nos omnes accepimus" (Ioan. 1, 16). Nimirum: „Quia unumquodque agit inquantum est ens actu, oportet quod idem sit actus, quo aliquid est actu et quo agit; sicut idem est calor, quo ignis est calidus et quo calefacit. Non tamen omnis actus, quo aliquid est actu, sufficit ad hoc quod sit principium agendi in alia. Cum enim agens sit praestantius patiente, oportet quod agens in alia habeat actum secundum eminentiam quandam. Dictum est autem, quod in anima Christi recepta est gratia secundum maximam eminentiam: et ideo ex illa eminentia gratiae, quam accepit, competit ei quod gratia illa ad alios derivetur, quod pertinet ad rationem capitis. Et ideo eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, et gratia eius, secundum quam est caput Ecclesiae iustificans alios; differt tamen secundum rationem."[3])

6. Esse caput Ecclesiae plene convenit *soli Christo*, licet aliqua ratio capitis etiam aliis ab ipso communicetur. „Caput in alia membra influit dupliciter: uno modo quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiva et sensitiva a capite derivatur ad caetera membra; alio modo secundum quandam exteriorem gubernationem, prout scilicet secundum visum et alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiae non est ab aliquo nisi a solo Christo, cuius humanitas ex hoc, quod est divinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi. Sed influxus in membra Ecclesiae quantum ad exteriorem gubernationem potest aliis convenire: et secundum hoc aliqui alii possunt dici capita Ecclesiae, secundum illud Amos 6, 1: Optimates capita populorum; differenter tamen a Christo. Primo quidem quantum ad hoc, quod Christus est caput omnium eorum qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locum et tempus et statum; alii autem homines dicuntur capita secundum quaedam specialia loca, sicut episcopi suarum ecclesiarum; vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiae, scilicet tempore sui pontificatus; et secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Alio

---

1) S. Th. 3 q. 59 a. 6.

2) S. Th. 3 dist. 13 q. 2 a. 2. — Qui cum *Scoto* tenent, incarnationis causam non fuisse lapsum protoparentum, Christum hominem profitentur in angelos transfundere gratiam et gloriam non tantum accidentalem, sed etiam essentialem.

3) S. Th. 3 q. 8 a. 5.

modo, quia Christus est caput Ecclesiae propria virtute et auctoritate; alii vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Christi, secundum illud 2 Cor. 2, 10: Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi; et secundum illud 2 Cor. 5, 20: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos." [1])

Thesis 9.

Christus homo erat 1. ab omni peccato immunis, 2. imo prorsus impeccabilis.

Sanctitas et peccatum sibi opponuntur. Impeccantia (ἀναμαρτησία) vero distinguitur duplex: ea qua peccatum excluditur et ea qua excluditur ipsa peccandi potentia.

Peccasse aliquando Christum, sc. desperando in cruce, asserere non erubuit *Calvinus*. Non quidem eum peccasse, sed potuisse peccare affirmavit *Guentherus*, docens solum velut consequenter eum fuisse impeccabilem, quatenus sc. Deus eum praeviderit nunquam esse peccaturum. [2]) Doctrina *catholica* est, Christum nec peccavisse unquam nec antecedenter peccare potuisse; idque ita, ut non solum peccandi actus, sed etiam quaecunque peccati labes, etiam originalis, ab eo excluderetur. Verum ipsi catholici hanc impeccabilitatem dupliciter concipiunt: *Scotistae* et *Nominales* eam solum velut *externam* statuunt, quatenus sc. quamquam Verbum potuerit assumere

---

[1]) S. Th. l. c. a. 6. — Quaerit hoc loco Angelicus, utrum *malorum* caput dici queat diabolus et antichristus. Respondet quantum ad *diabolum* (a. 7): Secundum *exteriorem gubernationem* „dicitur diabolus caput omnium malorum; nam, ut dicitur Iob 41, 25: Ipse est rex super universos filios superbiae. Pertinet autem ad gubernatorem ut eos, quos gubernat, ad suum finem adducat. Finis autem diaboli est aversio rationalis creaturae a Deo: unde et a principio hominem ab obedientia divini praecepti removere tentavit. Ipsa autem aversio a Deo habet rationem finis, in quantum appetitur sub specie libertatis, secundum illud Ier. 2, 20: A saeculo confregisti iugum, rupisti vincula, et dixisti: non serviam. In quantum igitur ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, sub diaboli regimine et gubernatione cadunt; et ex hoc dicitur eorum caput." Quantum ad *antichristum* haec habet (a. 8): Dicitur antichristus „caput omnium malorum propter *malitiae perfectionem*. Unde super illud 2 Thess. 2, 4: Ostendens se tanquam sit Deus, dicit Glossa (ord. Haym.): Sicut in Christo omnis plenitudo divinitatis inhabitavit, ita in antichristo omnis malitiae plenitudo; non quidem ita quod humanitas eius sit assumpta a diabolo in unitatem personae, sicut humanitas Christi a Filio Dei; sed quia diabolus suam malitiam eminentius ei influet suggerendo quam omnibus aliis. Et secundum hoc omnes alii mali, qui praecesserunt, sunt quasi quaedam figura antichristi, secundum illud 2 Thess. 2, 7: Mysterium iam operatur iniquitatis."

[2]) Guenther, Vorschule, 2 Abt. 141 sq.

naturam humanam, quae posset peccare, et ipsa eius natura humana ex se peccabilis fuerit, providentia tamen divina a primo instanti per beatitudinem ita confirmata sit, ut a peccato praeservaretur; *reliqui communius* Christo impeccantiam antecedentem *internam* attribuunt, quae videlicet ex ipsa unione hypostatica gratiae vi sponte oriatur.

Christum *de facto* peccatum nullum habuisse, *dogma fidei* est ab Ecclesia definitum. Concilium Ephesinum haec habet (can. 10): „Si quis Christum pro seipso quoque, et non potius pro nobis solis sacrificium obtulisse dixerit — neque enim oblatione egebat, qui peccatum non novit —: a. s." Concilium Chalcedonense cum Apostolo Christum vocat „per omnia nobis similem absque peccato." Concilium Toletanum XI (a. 675) de eo dicit: „In qua suscepti hominis forma iuxta evangelicam veritatem sine peccato conceptus, sine peccato mortuus creditur." — Hanc Christi impeccantiam ita ostendemus ut etiam impeccabilitatem, et quidem non solum consequentem, sed etiam antecedentem eamque probabilius internam probemus. [1])

DEMONSTRATUR: **1.** Christus homo *ab omni peccato immunis* fuit.

1. *Ipse Christus*, ut probet illud: „qui me misit mecum est et non reliquit me solum", sc. ut suae cum Deo Patre coniunctionis doceat vel causam meritoriam in humana sua natura sitam vel signum atque argumentum firmissimum, haec dicit: „Quia ego quae placita sunt ei facio semper" (Ioan. 8, 29). Atqui haec, quae nullus alius homo de se profiteri potest, idem significant ac Christum nunquam peccavisse. — Idem porro Christus, ut ostendat sibi de se testimonium reddenti credendum esse, diserte a Iudaeis quaerit: „Quis ex vobis arguet (plerique CC. arguit, ἐλέγχει) me de peccato?" (Ioan. 8, 46). In quae verba sic merito Origenes: „Magnam habet fiduciam Servatoris oratio, nullo homine cum ea confidentia quae nascitur ex non peccasse dicere valente: quis ex vobis me arguit de peccato? sed solo Domino nostro haec valente ad omnes qui illum cognoverunt."

[1]) Etiam libri symbolici *Protestantium* a Christo quodlibet peccatum excludunt. „Die Sündlosigkeit wird einfach vorausgesetzt" (Hase, Dogm. § 132). Recentiores protestantes, quamvis nec ipsi Christum peccasse asserere audeant, potentiam tamen peccandi plurimi affirmant, imo ad naturae suae humanae essentiam spectare putant. Sic v. g. recentissime Kaftan, Dogmatik (1897) § 46: „Es gehört schlechterdings zum Wesen des Menschen, durch innere sittliche Entwicklung zu werden, was er sein soll, und eine solche Entwicklung gibt es nicht ohne Versuchung, sie liegt nicht jenseits von Gut und Böse, sondern führt durch Gut und Böse hindurch."

2. *Apostoli* idem docent. Petrus haec ab Isaia (Is. 53, 9) dicta testatur vera esse in Christo: „Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius“ (1 Petr. 2, 22). Ioannes simpliciter profitetur: „Et peccatum in eo non est“ (1 Ioan. 3, 5). Paulus, quo efficacius divinam erga nos caritatem extollat, Filium, quem Pater velut summum peccatorem habuerit, docet omni fuisse peccato carentem, ita ut nihil in eo esset, quo ullam poenam, nedum mortem, mereret: „Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso“ (2 Cor. 5, 21). Idem Apostolus, ubi docet, Christum nobis simillimum factum esse etiam in infirmitatibus, diserte excipit peccatum: „Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine (i. e. similiter ac nos), absque peccato“ (Hebr. 4, 15). Idem denique Paulus, ut demonstret, qualis debeat esse pontifex utiliter pro nobis peccatoribus oblaturus sacrificium et qui secus ac veteres sacerdotes non egeat prius pro suis delictis hostias offerre, Christum pontificem docet fuisse ab omni non solum actu, sed etiam labe peccati immunissimum ac sanctitate prorsus divina donatum: „Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex: sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus“ (Hebr. 7, 26).

2. Christus homo erat prorsus *impeccabilis.*

1. *Patres* innixi testimoniis *Scripturae* allatis Christum docent non solum non peccavisse, sed propter intimam suae humanitatis cum divinitate coniunctionem nec peccare potuisse. Tertullianus: „Solus Deus, inquit, sine peccato, et solus homo sine peccato Christus, quia et Deus Christus.“ [1]) Origenes dicit „Christi animam, quae quasi ferrum in igne, sic semper in Deo posita est, nec convertibilem nec mutabilem esse.“ [2]) Cyrillus Alexandrinus de illa Christi interrogatione „Quis ex vobis arguet me de peccato?“ haec scribit: „Interrogatio non est redargui se expectantis, sed potius amolientis et tollentis hanc opinionem, posse Deum verum, qui vere ortus sit ex Deo, in peccatum incidere. Christus enim peccatum non fecit. Omne siquidem peccatum ex deflexione ab eo, quod melius est, ad id, quod dissimile est, originem accipit, et in eis gignitur, qui natura sua verti possunt, et in ea quae dedecent mutationem capere. Quinam ergo peccare is intelligetur, qui conversionem nescit, neque capax est commutationis in aliquid, quod sit disconveniens, sed inconcussus manet in propriis innatisque bonis, et hoc non aliunde habet, sed a seipso?“ [3]) Fulgentius haec habet:

---

[1]) Tertull. De anima 41.

[2]) Cf. Origen. testim. in thesi praecedenti.

[3]) Cyrill. Alex. In Ioann. 6.

„Deitas non potest superari: propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personae divinitas accepit, quae naturaliter peccare non novit.“ [1])

2. *Ratio* huius impeccabilitatis, quae iam in testimoniis Patrum clare significatur, tum ex plenitudine gratiae creatae et ex visione beatifica repetenda est, tum maxime ex unione hypostatica. Scilicet: a. Natura Christi humana habuit, non secus ac Adamus ante lapsum et Beatissima Virgo Maria, donum integritatis atque adeo posse non peccare, simulque in gratia confirmata dicenda est fuisse: unde peccandi impossibilitas consequitur moralis. b. Gratiam habuit adeo consummatam, ut, quemadmodum infra distinctius probabimus, visionem Dei haberet intuitivam; unde non secus quam in beatis fluit impossibilitas peccandi physica. [2]) c. Unione hypostatica cum Verbo anima Christi immediate ac substantialiter sancta est, uti thesi praecedente audivimus; atqui nec unio illa neque adeo haec sanctitas amitti potest, amitteretur vero per peccatum: ergo contradictio est in ipsis terminis inter Christi sanctitatem et peccatum. d. Cum denique ex unione hypostatica Verbum sit principium quod per naturam humanam operatur, ipse Deus, si Christus posset peccare, contra Deum dicendus foret posse peccare; cum praeterea ex unione hypostatica Verbum naturam humanam dirigat in omni sua operatione, Christi peccatum in Verbum redundaret ipsique Verbo foret imputandum; unde verissime S. Thomas: „Quidquid fecit ille homo, potest dici Deus fecisse; si ergo ille homo peccasset, sequeretur quod Deus peccasset, quod est impossibile“ [3]); seu impossibilitatem includit metaphysicam.

Quodsi demum quaeratur, quonam *medio* physico Christi anima constituatur formaliter impeccabilis, respondendum videtur, hoc quasi medium sanctitatem eius esse, quae, uti thesi praecedente audivimus, gratia tum increata tum creata coalescit.

SCHOLION. Contra Christi impeccabilitatem plura obiiciuntur, quorum haec praecipua sunt:

1. Is. 7, 15 legitur de Christo futuro: „Butyrum et mel comedet, *ut sciat reprobare malum et eligere bonum.*“ — Respondendum est sensum loci huius difficilis vel esse eum, ut describatur tempus, quo puerulus ad usum rectum rationis perveniat, vel, prout suadetur ex versiculo sequenti: „quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra“, hunc, ut, antequam Messias virtutum exercitio operam det, terra Israel devastanda dicatur, cuius devastationis signum est, quod puer lacte spisso et

[1]) Fulgent. Ad Trasim. 3, 29.
[2]) Cf. tract. de Deo consummante p. 11.
[3]) S. Th. 3 dist. 12 q. 2 a. 1.

melle silvestri vescatur. Nequaquam vero per illud „scire reprobare malum et eligere bonum" significatur peccandi potentia.

2. Matth. 4, 1 sq. Christus narratur *tentatus* fuisse; atqui tentatio est sollicitatio ad peccandum. — Respondet S. Gregorius: „Deus qui in utero Virginis incarnatus in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit." [1])

3. At, aiunt, nonne *libertas* ipsa et *virtutum* exercitium atque *meritum* supponunt *peccandi* possibilitatem? — Negatur prorsus. Et sane: „Sicut errare posse reque ipsa errare vitium est, quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere fallax fictumque bonum esto indicium liberi arbitrii, sicut aegritudo vitae, est tamen vitium quoddam libertatis: ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat quod a recta ratione dissideat, vitio quodam funditus inquinat libertatem, eademque perverse utitur. Ob eamque causam Deus infinite perfectus, qui, cum sit summe intelligens et per essentiam bonitas, est etiam summe liber, malum culpae velle nulla ratione potest; nec possunt, propter contemplationem summi boni, beati caelites. Scite Augustinus aliique adversus Pelagianos hoc animadvertebant, si posse deficere a bono secundum naturam esset perfectionemque libertatis, iam Deus, Iesus Christus, angeli, beati, in quibus omnibus ea potestas non est, aut non essent liberi, aut certe minus perfecti essent, quam homo viator atque imperfectus. De qua re Doctor Angelicus multa saepe disputat, ex quibus effici cogique potest, facultatem peccandi non libertatem esse, sed servitutem. Subtilissime illud in verba Christi Domini: Qui facit peccatum, servus est peccati (Ioan. 8, 34): «Unumquodque est illud quod convenit ei secundum naturam. Quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius, quod est servile. Homo autem secundum suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur et secundum se operatur, quod est libertatis; quando vero peccat, operatur praeter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentus terminis alienis: et ideo qui facit peccatum, servus est peccati.» Quod satis perspicue ipsa viderat philosophia veterum, atque ii praecipue quorum est doctrina, nisi sapientem, liberum esse neminem: sapientem vero, uti exploratum est, nominabant, qui constanter secundum naturam, hoc est honeste et cum virtute vivere didicisset." [2])

4. At difficultas est *specialis* de Christi erga Patrem *obedientia*. Cum nimirum aliqui actus, uti mors pro salute nostra subeunda, ratione divini mandati adeo videantur boni, ut eos omitti dicendum sit nefas, quaeritur, quo pacto in huiusmodi actibus eligendi facultas seu libertas Christi constare potuerit. Duo certa sunt. Fuisse imprimis Christum quemadmodum generatim sic his quoque in actibus liberum, tum eo ipso probatur quod hi

[1]) Gregor. M. Hom. 16 in Evang.
[2]) Leonis XIII Encycl. d. d. 20 iun. 1888, De libertate humana.

actus ut meritorii essent fieri debebant cum libertate proprie dicta [1]), tum diserte in Scriptura affirmatur. Iam enim in V. T. propheta de Christo vaticinatur: „Oblatus est, quia ipse voluit“ (Is. 53, 7). Ipse porro Christus de se homine haec profitetur: „Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a Patre meo“ (Ioan. 10, 17 sq.). Secundo loco certum est, Christo homini a Deo aliquod impositum fuisse mandatum seu praeceptum operandi nostram redemptionem. Patet id ex hoc eodem loco, ex Ioan. 12, 49 et 14, 31, ex doctrina Pauli de Christi obedientia (Rom. 5, 19; Phil. 2, 8; Hebr. 5, 8). Iam vero quaeritur, quomodo haec in morte subeunda libertas cum Patris mandato atque adeo cum impeccantia Christi conciliari possit. Utrumque videlicet conciliandum esse, et per se liquet et patet ex ipsis illis Christi verbis Ioan. 10, 17 sq., quibus tum de Patris mandato loquitur tum plenissimam suam urget libertatem. At quomodo utrumque componetur? — Difficultas est ex iis, quae in theologia, teste Lugone, reputantur gravissimae. In ea solvenda theologi non conveniunt modosque conciliandi enumerant plures. Hi sunt praecipui:

a. Explicatio omnium facillima est S. Anselmi, Petavii, Franzelin plurimorumque maxime recentium. Docent, humanae voluntati Christi id solum a Deo praeceptum fuisse ut genus humanum repararet, *non* vero fuisse *praeceptum proprie dictum ad mortem subeundam* impositum antecedens et absolutum; „mandatum“ autem quod Christus se a Patre accepisse dicit, non esse aliud ac divinum beneplacitum (τὸ δόξαν), quo quamquam redemptionis modi etiam alii comprehendebantur, electione a Christo facta electus modus per mortem nos redimendi speciali ratione a Patre ratihabebatur. Rem exprimit S. Anselmus: „Nec humana natura in isto homine passa est aliquid ulla necessitate sed sola libera voluntate . . . nec ulla cogente obedientia sed potenti disponente sapientia. Non enim illi homini Pater, ut moreretur, cogendo praecepit; sed ille quod Patri placiturum et hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit; nec Patri tantus honor potuit non placere, quem Filius tam bona voluntate sponte obtulit. Sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc, quod Patri placiturum scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam Pater illi hanc bonam voluntatem dedit quamvis liberam, non immerito dicitur, quia eam ille velut praeceptum Patris accepit.“ [2]) Monent porro, etiam posita hac explicatione intelligi posse Christi obedientiam. Nam etiam citra mandatum proprie dictum obedientia esse poterit. Imo „tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate superioris intellecta.“ [3])

b. Accedit ad primam illam explicationem ea quae est Lugonis, Gregorii de Valentia, Vasquezii, Lessii, Ysamberti. Volunt isti, praeceptum divinum *solam mortis substantiam* spectavisse, et Christum quantumvis non posset non

[1]) Cf. tract. de gratia th. 31.
[2]) S. Anselm. Medit. 11 de Redempt.
[3]) S. Th. 2, 2 q. 104 a. 2.

acceptare mortem, liberum fuisse ad acceptandam mortem ex hoc vel illo motivo, hoc vel illo tempore, actu intenso vel remisso; unde tandem totus actus censendus sit liber ac meritorius. Cui explicationi illud addit Lugo, potuisse Christum a Deo impetrare praecepti dispensationem et mortem simpliciter impedire, iuxta illud Matth. 26, 53: „An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?"

c. Vetustiores denique, ut S. Thomas, S. Bonaventura, Suarezius, alii, admittentes praeceptum Patris proprie dictum, sic Christi libertatem simul atque impeccantiam salvare sibi videntur, ut dicant, Deum proponentem hoc praeceptum Christi intellectum et voluntatem gratia sua efficaci excitasse, ut certissime quamvis libere esset consensurus. „Tradidit eum Pater in mortem, eum incarnari et pati statuendo et humanae eius voluntati inspirando caritatis affectum, qua passionem spontaneus subiret, unde ipse seipsum tradidisse dicitur." [1])

Thesis 10.

Christus homo habuit 1. scientiam, qua omnis ignorantia excluditur; 2. omnes scientiae modos, sc. acquisitam, infusam, beatam.

Non agitur hic de scientia, quam Christus habuit secundum naturam divinam; est ea plane eadem ac ipsa scientia Dei, de qua sermo est ubi de Deo agitur. Nec demonstrare oportebit, praeter hanc scientiam divinam fuisse generatim in Christo etiam humanam scientiam: hoc enim probatum est eo ipso, quod probavimus veram Christi naturam humanam atque adeo veram animam rationalem, ad cuius perfectionem imo et naturam aliqua scientia requiritur. Solum nobis hic sermo est de *perfectione* humanae Christi scientiae.

Ignoravisse aliqua Christum, nominatim diem iudicii, iam *Ariani* affirmaverunt, inde concludentes eum non esse Deum. Christi divinitatem admittentes a Christo homine ignorata fuisse plura statuerunt ex Monophysitis qui saec. 6 ab auctore suo Themistio *Themistiani* et ab ista ignorantia (ἄγνοια), quam Christo adscripserunt, *Agnoëtae* dicti sunt. Qui ab ipsis patriarchis Monophysitis Timotheo et Theodosio reprobati, a S. Sophronio, Eulogio Alexandrino, Leontio Byzantino refutati, a Gregorio M. tamquam haeretici damnati sunt. Sed quaeritur, quid proprie in Agnoëtis *haereseos* censuram mereatur. Plerique cum Petavio existimant, hoc ipsum in illis ut haereticum habendum esse, quod Christum ut hominem aliquid ignorasse assererent eorum, quorum scientiam quovis modo homo habere potest.

1) S. Th. In Rom. 6 lect. 8.

Alii contra, Natalem Alexandrum secuti[1]), cum Monophysitae illi Christi post incarnationem non agnoscerent nisi unam naturam, eos haereseos damnatos fuisse putant, quia secundum omnem suam naturam atque adeo absolute Christo ignorantiam affingebant.[2]) Quidquid de huiusmodi censura est, post illas a Patribus contra Agnoëtas habitas disputationes a Patribus et theologis catholicis consensu unanimi admittitur, absque *gravi errore* dici non posse, Christum ut hominem diem iudicii et alia, quorum scientiam mens humana vel a se vel a Deo consequi possit, ignorasse. Quo in errore, ut de *Protestantibus* taceamus[3]), versantur *Guentheriani*[4]) et aetate nostra aliquatenus etiam *Schell*[5]), qui Christum ante suam resurrectionem iudicii diem aliaque ignorasse putant.

In altera parte theseos de singulis scientiae *generibus* quaeritur. Scientia nimirum distinguitur triplex: scientia beatorum seu visio beatifica, scientia divinitus infusa, scientia acquisita seu experimentalis. Scientia infusa intelligitur quae est *per se* infusa, quaeque in ipsa ratione scientiae intellectus naturam excedit atque idcirco sola communicatione divina haberi potest; cuiusmodi est e. g. scientia contingentium liberorum, modus cognoscendi absque phantasmatibus etc. Triplicem hanc scientiam in Christo fuisse asserimus, eamque et extensione et duratione perfectissimam. Esse *generatim* in Christo scientiam non solum divinam, sed etiam *humanam, de fide* est. Ad varias scientiae humanae *species* quod spectat, certitudo fidei non habetur. Scientiam quidem *acquisitam* Christi cum nemo, qui eum verum hominem fuisse credat, in dubium vocet, tamquam rem *certam* breviter probabimus. Scientia etiam *infusa* Christi animam ornatam fuisse, uti *certum* demonstrabimus. Quod denique *visionem Dei intuitivam* attinet, distinguendum erit: Animam Christi saltem inde a tempore mortis suae visione illa donatam fuisse, de fide sane est et ab omnibus christifidelibus admittitur. Hanc vero visionem Christi animam habuisse etiam tempore anteriore, versantem in corpore mortali, cum per multa saecula nemo catholicus negaret, primi infitiati sunt *Guentherus*[6]) cum suis, docentes Christum hominem sicut alios homines paulatim sui conscium factum esse et visionem beatificam suis sibi meritis comparavisse. Negaverunt pariter Christo

[1]) Natal. Alex. Hist. eccl. s. 6 dist. 7.

[2]) Cf. Fr. Schmid in Period. Oenipont. 1895, 651 sq.

[3]) Quorum argumenta nuper collegerunt Meinhold ‚Iesus und das Alte Testament‘ et Schwartzkopff ‚Konnte Iesus irren‘? ‚Die Irrtumslosigkeit Iesu Christi u. der christl. Glaube‘.

[4]) Cf. Kleutgen, Theol. der Vorzt. 3 n. 197.

[5]) Schell, Dogm. 3, 120 sq.

[6]) Guenther, Vorschule, 2 Abt. Brief 10 sq.

homini mortali visionem beatificam ex catholicis recentioribus aliqui, sc. *Klee*[1]), *Laurent*[2]), *Bougaud*[3]), *Knittel*[4]), *Schell*[5]). Nos cum sententia longe communissima[6]) tamquam *certum* habemus ac probabimus, fuisse etiam in vita mortali, imo inde ab incarnationis primordio animam Christi visionis beatificae compotem.

DEMONSTRATUR: **I.** In Christi anima tanta fuit *scientia*, qua omnis ignorantia excluditur.

1. *Scriptura* id testatur: Verbum incarnatum, de cuius plenitudine nos omnes accipimus, dicitur „plenum gratiae et veritatis", dicitur „lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum" (Ioan. 1, 9 sq.). Dicitur Christus „ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare" (Col. 1, 18 sq.). Ac speciatim docentur in eo esse „omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi" (Col. 2, 3). Christo homini tribuitur καρδιογνωσία, cum dicitur: „Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine" (Ioan. 2, 24 sq.). Porro ante passionem exhibetur Christus „sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit et ad Deum vadit" (Ioan. 13, 3).

2. *Patres* a Christo omnem *excludunt ignorantiam* et ad citata Scripturae testimonia provocantes et rei *rationes* afferentes. Rationes autem hae sunt et finis incarnationis, sc. Christus qui esse debebat omnium hominum magister supremus, et praecipue animae eius cum Deo ac speciatim cum Verbo, quod Dei est Sapientia, intima coniunctio.

Sic v. g. Augustinus: „Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis." [7]) Eulogius Alexandrinus: „Neque humanitas Christi in unam inaccessibilis et substantialis Sapientiae hypostasim admissa quidquam ut rerum praesentium ita futurarum poterat ignorare." [8]) Leporius: „Nunc non solum dicere non praesumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam, quia dici non licet etiam secundum hominem ignorasse Dominum prophetarum." [9])

---

[1]) Klee, Spec. Dogm. 2. Teil, 2. Buch, 2. Cap.
[2]) Laurent, Das h. Evang. p. 361.
[3]) Bougaud, Le christian. 3, 449.
[4]) Theolog. Quartalschr. (Tuebing.) 1878, 529.
[5]) Schell, Dogm. 3, 120 sq.
[6]) Cuius rei negationem Suarezius et Lugo vocat „temerariam", Petavius „errori et haereticae impietati proximam".
[7]) Augustin. De peccat. mer. 2, 48.
[8]) Eulogius apud Photium, Bibl. cod. 230.
[9]) Leporius (vel Liporius) in Libello emendationis ab episcopis Africae approbato.

Hinc Patres acerrime *in Agnoëtas invehuntur*. De Themistio haec habet S. Sophronius: „Themistius fuit ignorantiae pater et genitor atque seminator nefandissimus, qui Christum verum Deum nostrum diem iudicii nescisse delirabat . . . ignorare Christum, non secundum id quod Deus erat sempiternus, sed secundum quod veraciter homo factus, diem consummationis atque iudicii, ex insipientia mentis eructans.“ [1]) Eulogius Alexandrinus hoc de Agnoëtis iudicium fert: „Quicunque vel divinitati ipsius vel humanitati ignorantiam adscribet, nunquam certissimae temeritatis crimen effugiet.“ [2]) Ioannes Damascenus: „Agnoëtae impie docent Christum nescire diem iudicii.“ [3])

Ad ea denique, quae ex Scriptura ab Agnoëtis *obiiciebantur*, Patres facile responderunt. Sic quando obiicitur, Christum ab angelo in horto fuisse confortatum, dicunt angeli actionem versatam esse tantum circa infirmitatem partis sensitivae. Quando Christus dicebatur interrogasse, ubi Lazarus positus esset, quid de se homines sentirent, quot panes haberent, quid optarent aegroti, Athanasius iam Arianis respondit: „Eum qui interrogat, necesse non est ignorare, de quibus interrogat; verum licet etiam scientem de his, quae cognoscit, sciscitari. Certe ipse Ioannes Christum interrogantem: «Quot panes habetis?» non nescientem, sed scientem agnoscit; hinc enim ait: «Hoc autem dicebat tentans Philippum; ipse enim sciebat, quid esset facturus . . . .» Deus in paradiso percontatur: «Adam, ubi es?» Cainum quoque ipse interrogat: «Ubi est Abel, frater tuus?» Quid hic itaque respondetis? . . . Quid mirum vobis videtur, si Filius, in quo tunc Deus interrogabat, idem inquam ipse Filius carne circumdatus discipulos tamquam homo interrogat?“ [4]) — Quando vero obiicitur illud Marc. 13, 32: „De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo neque Filius nisi Pater“, — concedi potest, antiquiores aliquos Patres, quibus cura imprimis esse debebat, ut a Christi divinitate ignorantia removeretur, Arianis per modum concessionis id veluti permisisse, ut illa verba de Christi humanitate intelligerentur. Verum contra Agnoëtas, ut audivimus, neque Christum hominem diem iudicii futurum ignorasse admittunt. Multipliciter vero Christi verba explicant, imprimis, ut diei illius scientia dicatur „non ex natura humanitatis“ quamvis sit „in natura“, vel Christus intelligatur solum secundum scientiam „utilem“ i. e. communicabilem diem illum ignorasse. [5]) Ceterum ipsi Patres animadvertunt, Christi verba

[1]) Sophron. Epist. synod.
[2]) Eulogius l. c.
[3]) Damasc. De haer. 85.
[4]) Athanas. Orat. c. Arian. 3, 37, 50.
[5]) Cf. supra p. 24.

ne sensu Agnoëtarum intelligantur, ipsum eorum prohibere contextum. „Nec Apostoli videri possunt secundum aurem intellexisse, nescire Filium, cum ipsi eum tamquam scientem rursus interrogant. Atque illis Filius non iam se nescire ait, sed quod scire non sit eorum, quia Pater in potestate sua posuerit.“ [1]) — Quando denique monent haeretici Christum putavisse, diem iudicii iamiam instare, cum diceret Apostolos non consummaturos esse civitates Israel et de tunc viventibus aliquos non esse morituros ante suum adventum: haec vel de eius adventu ad iudicium de urbe ferendum intelligenda sunt, vel, ubi de secundo adventu explicantur, iam respondet Origenes, in Apostolis „universali Ecclesiae promissa esse, non est dubium“.

2. Anima Christi habuit *omnes modos* scientiae.

1. Scientiam habuit connaturaliter *acquisitam*.

a. *An* sit, probatur. „Cum esset Filius Dei (καίπερ ὢν υἱός), didicit ex iis, quae passus est, obedientiam“ (Hebr. 5, 8); sc. quia prius, cum nondum esset homo, obedientiae experientiam non habuit. „Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines“ (Luc. 2, 52). In quae verba audiatur S. Ambrosius: „Profectus est aetatis et profectus sapientiae, sed humanae est . . . Ergo si proficiebat aetate hominis, proficiebat sapientia hominis, sapientia autem sensu proficit.“ [2])

Hinc etiam *progressus* intelligitur, qui fuerit in scientia Christi. „Scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive; et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim et post aliquod tempus, sc. in perfecta aetate: quod patet ex hoc quod evangelista simul dicit eum profecisse scientia et aetate.“ [3])

b. *Cur* et *quomodo* sit, ostenditur.

„Nihil eorum, quae Deus in nostra natura plantavit, defuit humanae naturae assumptae a Dei Verbo. Manifestum est autem quod in humana natura Deus plantavit non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem (i. e. facultatem tum recipiendi tum producendi species intelligibiles); unde necesse est dicere quod in anima Christi fuit non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens. Si autem in aliis Deus et natura nihil frustra faciunt, multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra. Frustra autem est quod non habet propriam operationem, cum omnis res sit propter suam operationem. Propria autem operatio intellectus agentis

---

[1]) Hilar. De Trinit. 9, 71.
[2]) Ambros. De incarn. 7, 71.
[3]) S. Th. 3 q. 12 a. 2 ad 1.

est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas a phantasmatibus. Sic igitur necesse est dicere quod in Christo fuerint aliquae species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu possibili eius receptae, quod est esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant. Et ideo quamvis aliter alibi scripserim [1]), dicendum est in Christo fuisse scientiam acquisitam, quae proprie est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte subiecti recipientis, sed etiam ex parte causae agentis. Nam talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod est animae humanae connaturale." [2])

2. Christi anima donata erat scientia per se *infusa.* [3])

Probatur ex summa eius dignitate unionem hypostaticam sponte consequente. „Decebat, ut natura humana assumpta a Verbo Dei *imperfecta* non esset. Omne autem quod est in potentia est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in potentia ad omnia intelligibilia; reducitur autem in actum per species intelligibiles, quae sunt quaedam formae completivae ipsius. Et ideo oportet in Christo ponere scientiam inditam, in quantum per Verbum Dei animae Christi sibi personaliter unitae impressae sunt species intelligibiles ad omnia, ad quae intellectus possibilis est in potentia, sicut etiam per Verbum Dei impressae sunt species intelligibiles menti angelicae in principio creationis rerum. Et ideo sicut in angelis secundum Augustinum ponitur duplex cognitio, una scilicet matutina, per quam cognoscunt res in Verbo, et alia vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas: ita praeter scientiam divinam et increatam est in Christo secundum eius animam scientia beata, qua cognoscit Verbum et res in Verbo, et scientia infusa sive indita, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanae menti proportionatas." [4]) — „Habitus et species impressae fuerunt ipsi animae Christi in *omnimoda plenitudine:* hinc est, quod profi-

[1]) S. Th. 3 dist. 14 q. 1 a. 3. — Quo loco S. Thomas non quidem negaverat experimentalem Christi scientiam, sed docuerat, Christum non quidem intellectus operatione, sed sese ad species infusas convertendo novas species habuisse; unde ibi et negaverat cum Halensi et S. Bonaventura Christum proprie dictum habitum demonstrativum modo naturali acquisivisse, quippe cum iam haberet habitum scientiae omnium rerum per accidens infusum.

[2]) S. Th. 3 q. 9 a. 4; cf. 3 q. 12 a. 2.

[3]) Utrum Christus habuerit scientiam etiam *per accidens* infusam, controvertitur inter theologos. Secundum sententiam satis probabilem S. Thomae (3 q. 9 a. 4) Christo non videtur tribuenda scientia connaturalis nisi quae aetati eius naturaliter competebat. Cf. nihilominus Suarez, Disp. 30 sect. 2.

[4]) S. Th. 3 q. 9 a. 3; cf. 3 q. 11 a. 2.

cere non potuit cognitione simplicis notitiae" [1]) i. e. scientia divinitus indita seu infusa.

Obiectum huius scientiae infusae Seraphicus ponit „omnia spectantia ad humani generis redemptionem" et „omnia quae spectant ad universi constitutionem". [2])

3. Anima Christi inde a primo instanti habuit *scientiam beatam.* [3])

a. Probatur ex *theologorum consensu et ipsorum fidelium sensu.*

Melchior Canus († 1560) haec testatur: „Omnes theologi definiunt Christum ab instanti conceptionis Dei essentiam vidisse: quae conclusio, licet sola theologorum auctoritate probaretur, satis firma habenda esset." [4]) Petavius († 1652) ait: „Nemo hactenus bona fide christianus, id est catholicus scriptor extitit, qui de Christo aliter existimaret, quam eum nunquam, ex quo vivere coepit, divino aspectu caruisse; nec hodie quisquam est, rudis licet litterarum et idiota, qui, si utcumque quid Christus sit noverit, non idem de eo rogatus respondeat: quae communis singulorum Ecclesiae membrorum professio, illum esse totius corporis sensum certissime demonstrat." [5])

Porro non solum tempore Cani et Petavii, sed iam tempore antiquissimorum Scholasticorum inde a Magistro talis probatur fuisse consensus. Animadvertendum praeterea est theologos illos in hanc rem consensisse, quamvis et ipsi difficultates persentirent, quibus qui eam negant potissimum moventur; id quod inde liquet, quod difficultates has solvere nitebantur. Nec dici potest, tunc temporis hunc consensum valuisse, sed non iam nostro, uti v. g. affirmat Oswald [6]); nam et nostra aetate eiusmodi adhuc est theologorum consensus, si paucos illos, quos citavimus, excipias, et praeterea, si in re fidei tali unquam theologi unanimi sententia aliquid statuerunt, omnis inde dissentiendi libertas iam existimanda est sublata.

Iam vero doctrina haec in re tanta unanimis eorum, qui in aliis pronissimi erant ad eundum in diversa imo opposita, doctrina quam

---

[1]) S. Bonav. 3 dist. 14 a. 3 q. 2. — Hinc patet immerito aliquos putavisse, hanc Christi scientiam infusam a S. Bonaventura negari.

[2]) S. Bonav. Brevil. 4, 6.

[3]) Patet hanc visionem in anima Christi esse per *habitum creatum.* „Christi anima, sicut et animae aliorum sanctorum, Verbum increatum cognoscit per sapientiam creatam, quae disponit ipsarum animarum potentias cognitivas et conformes reddit, ut illud lumen aeternum cognoscant" (S. Bonav. 3 dist. 14 a. 1 q. 1).

Patet praeterea *obiectum* huius cognitionis esse non solum Deum ipsum, sed totum illud quod generatim visionis intuitivae obiectum est. Cf. tract. de Deo consummante.

[4]) Canus, De loc. theol. 12, 13.

[5]) Petavius, Dogm. theol. 11, 4.

[6]) Oswald, Lehre von der Erlösung p. 1 c. 4 § 9.

tam asseveranter statuerunt, doctrina cui nulla unquam auctoritas ecclesiastica refragata est, hanc fuisse ipsius Ecclesiae, quae falli non potest, persuasionem ostendit. Imo, quod sedulo notandum est, hic idem consensus ipsa quoque et Scripturae et rationis argumenta, quibus innititur, haud leviter confirmat.

b. Probatur idem ex *ratione theologica.*

α. Consequitur ex ipsius animae Christi summa *excellentia,* praeprimis ex eius cum Deo per unionem hypostaticam facta *coniunctione.* „Non decebat Verbum increatum uniri animae perfectissima unione, qualis est unio in unitatem personae, quin anima esset *deiformis, secundum quod erat possibile:* et ideo non tantum deiformitatem habuit gratiae et gloriae, sed etiam *super* omnem gratiam et gloriam . . . . Anima Christi, quia a Verbo est assumpta, maiorem habet deiformitatem ac per hoc perfectiorem et eminentiorem *cognitionem,* quam aliqua anima beata per gloriam.“ [1]) Plura in hoc uno argumenta continentur. Scilicet: Decuit, imo vix aliter fieri potuisse videtur, ut quae natura Deum attingebat propinquissime secundum esse quaeque proinde sanctissima erat, propinquissime etiam secundum cognitionem attingeret, i. e. facie ad faciem videret. Decuit porro, ut qui gratiam habebat perfectissimam, etiam eius connaturalem haberet consummationem, i. e. Dei visionem. [2]) Decuit, ut

---

[1]) S. Bonav. 3 dist. 13 a. 1 q. 3 et dist. 14 a. 1 q. 1.

[2]) Quod argumentum utrumque egregie evolvit Scheeben (Dogm. vol. 3 § 248): „Jedenfalls ist für die Seele Christi die intuitive Erkenntnis der göttlichen Person, welcher sie angehört, die einzig sachgemässe und würdige Form des gottmenschlichen Selbstbewusstseins. In diesem Selbstbewusstsein muss nämlich die Seele Christi sich als in der göttlichen Person subsistirend erkennen und mithin diese ebenso unmittelbar und in sich erkennen, wie sie sich selbst erkennt. Es ist daher begreiflich, dass die Güntherianer, indem sie die hypostatische Union zerstörten, auch gegen die Anschauung Gottes in Christus sich ereifern konnten. Aber schwer begreiflich ist es, wie einige neuere Theologen bei einem richtigen Begriffe der *hypostatischen* Union sich dagegen verwahren konnten, ohne zu bedenken, dass sie dadurch die Union selbst gefährdeten; denn wenn die Seele Christi nicht sich selbst in der göttlichen Person schaut, dann muss sie in ihrem Selbstbewusstsein entweder von ihrer Persönlichkeit abstrahiren, oder sich als Person für sich denken. Jedenfalls würde ohne die Anschauung die hypostatische *Union* nicht diejenige *Form der Lebendigkeit* erlangen, welcher ihr als einer *Union von Geist zu Geist* zukommt, und zwar, wenn schon nicht ebenso wesentlich, so doch ebenso naturgemäss zukommt, wie in der Union des Geistes mit dem Leibe letzterem die Gemeinsamkeit der Empfindung zukommt. Wenn ferner der Apostel die uns aus Gnade zu teil werdende Anschauung dahin formulirt: cognoscam sicut et cognitus sum: dann muss dieses gleichförmige Wechselerkennen unbedingt und notwendig zwischen der Seele Christi und seiner Gottheit stattfinden. Ohnehin ist ja die Gottheit durch die hypostatische Union schon unendlich inniger mit der Seele Christi vereinigt oder vielmehr in ihr Innerstes eingesenkt (resp. diese in sie eingetaucht), als sie sich mit den Seelen der

cum qui filii Dei sunt adoptivi ius sit eorum verissimum ad haereditatem tandem meritis suis obtinendam visionis beatificae, qui Filius Dei erat per naturam hac visione iam frueretur iure ipso huius filiationis. [1])

β. Consequitur ex *fine* humanitatis Christi, qui est ut per eam nobis fiat facultas Deum intuitive videndi. „Homo est in potentia ad scientiam beatorum, quae in Dei visione consistit; et ad eam ordinatur sicut ad finem: est enim creatura rationalis capax illius beatae cognitionis, in quantum est ad imaginem Dei. Ad hunc autem finem beatitudinis homines reducuntur per Christi humanitatem, secundum illud Hebr. 2, 10: «Decebat eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.» Et ideo oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens excellentissime Christo homini conveniret, quia semper causam oportet esse potiorem causato.“ [2])

c. *Patrum*, quamvis Christi scientiam extollentium hac de re pauca sunt diserta testimonia. Cyrillus Christo tribuit scientiam aliquam ab initio augmenti incapacem: „Credimus ex ipso utero virgineo ipsum Emmanuel, cum Deus esset, hominem prodiisse plenum procul dubio sapientia et gratia, quae illi naturaliter inerat.“ [3]) Hieronymus similiter: „Nullus homo, excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuit scientiam et certissimam veritatem.“ [4]) Fulgentius plenam Dei notitiam Christo tribuit: „Per quam durum est et a sanitate fidei penitus alienum, ut dicamus

---

Heiligen zur Herstellung der Anschauung vereinigt .... Wenigstens würde unter diesen Umständen der Ausschluss der Seele Christi von der Anschauung Gottes oder ihre Verbannung von dem Angesichte Gottes unendlich schwerer zu begreifen sein, als die allerdings für die Leidensfähigkeit Christi erforderliche Suspension des natürlichen Einflusses der Anschauung auf den gesamten Seelenzustand Christi; und so müsste man a priori die Anschauung unbedingt so lange postuliren, als nicht die deutlichste Lehre der Offenbarung dagegen spräche.“

[1]) Ex hac decentia, imo et iure aliquo minime efficitur, ut, quemadmodum opinatur *Schell* (Dogm. 3, 103 sq.), *Dei libertati* atque *independentiae* quidquam derogetur, sicut nec inde ulla in Deo infertur necessitas, quod iustis generatim ius esse creditur obtinendae aliquando beatitudinis aeternae. Scilicet: ius hoc omne et quaevis rei necessitas non inde est, quod Deus creaturarum suarum voluntati subiiciatur vel quomodocunque ut ad extra operetur cogatur, sed inde quod ipse quae agit liberrimo consilio decrevit.

[2]) S. Th. 3 q. 9 a. 2.

[3]) Cyrill. Alex. C. Nestor. 3, 4.

[4]) Hieronym. Epist. ad Damasum 36, 15.

animam Christi non plenam suae deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam creditur habere personam.“ [1])

d. Ex *Scriptura* quae afferuntur, concedendum est ea minime esse adeo expressa, ut non aliis modis explicari possint. At aliqua testimonia Scripturae et a theologis communiter de visione Christi beata intelliguntur et sensu maxime proprio sumpta intelligi commode possunt, ita sc. ut „licet per se singula non cogant, tamen simul sumpta et adiunctis Patrum testimoniis magnam fidem faciant“. [2])

„Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis . . . Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia“ (Ioan. 1, 14 sq.). — Hic Verbum consideratur secundum suam humanam naturam, ita ut Christus etiam homo dicatur plenus gratiae et veritatis, de cuius plenitudine omnes accipiunt: nam Verbum ut Deum plenum esse gratiae et veritatis nec opus est ut doceatur, quippe quod omnibus sit notum et in antecedentibus uberrime sit dictum, et Verbum porro exhibetur, quod caro factum est, in nobis habitavit, et cuius gloriam vidimus. Iam vero Christus homo nequit dici simpliciter „plenus gratiae et veritatis“, nec is, de cuius plenitudine omnes, atque adeo etiam sancti, acceperunt gratiam pro gratia, i. e. omnis generis gratiam seu cumulatam gratiam, nisi ipse habuerit gratiae consummationem, i. e. visionem Dei beatificam.

„Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est: Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit“ (Ioan. 1, 17 sq.). — His verbis, quamquam directe Christi scientia divina significatur, tamen etiam cognitio animae eius spectari dicenda videtur. Christus enim hic cum aliis hominibus, sc. cum Moyse, comparatur uti propheta et legis promulgator iisque ideo exhibetur superior, quod hi quae ab alio audierunt nuntiaverunt, Christus vero ipseque solus quae ipse viderat. Hinc cum Christus ut homo veritatem enarraret, etiam ut homo quidquid enarrabat vidisse significatur. Ergo etiam in anima Christi visio rerum divinarum erat.

Huc etiam pertinere videtur illud: „Quem misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus spiritum: Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius“ (Ioan. 3, 34 sq.). Ubi

[1]) Fulgent. Epist. ad Ferrandum 14, 26. — Verum est Fulgentium hoc loco nonnulla habere, quae non satis tuta esse videntur ab errore, Christi animam Dei habuisse comprehensionem. Cf. Thomassin. De incarn. 7, 6 et 7. — A nulla sane creatura, atque adeo nec ab anima Christi Deus comprehenditur; cognoscitur quidem totus, sed non totaliter.

[2]) Suarez, Disp. 25 sect. 1.

illud „non enim ad mensuram dat Deus spiritum" Patres supplentes „ei" directe ad Christum referunt eumque gratiam absque mensura habuisse concludunt. Sed etiamsi illa sententia accipiatur universalis, nihilominus cum mensura, qua Christus acceperit spiritum, dicatur fuisse dilectio qua „Pater Filium diligit et omnia dedit in manu eius", etiam plenitudo et consummatio gratiae Christo data esse existimanda erit.

Refertur denique huc etiam illud a Christo homine dictum: „Scio eum (Deum), et sermonem eius servo" (Ioan. 8, 55). In quae verba sic argumentatur S. Thomas: „Scientia beatorum in Dei cognitione consistit; sed ipse plene cognovit Deum, etiam secundum quod homo, secundum illud: «Scio eum, et sermonem eius servo.» Ergo in Christo fuit scientia beatorum."[1])

COROLLARIUM. Anima Christi *perfectius* videt Deum, quam quaevis alia creatura. Nam „visio divinae essentiae convenit omnibus beatis secundum participationem luminis derivati in eos a fonte Verbi Dei. Huic autem Verbo Dei *propinquis* coniungitur anima Christi, quae est unita Verbo in persona, quam quaevis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quam quaecumque alia creatura."[2]) Porro „quia Christus etiam secundum quod homo *omni creaturae* a Deo Patre *praepositus* est, conveniens est, ut *omnium*, quae a Deo qualitercunque facta sunt, in ipsius divinae essentiae visione *plenam* cognitionem percipiat: et secundum hoc anima Christi *omnisciens* dicitur, quia plenam notitiam habet omnium quae sunt, erunt vel fuerunt."[3]) — De qua Christi hominis „omniscientia" sic eleganter *Cusanus* noster: „Humanitas Christi est quasi liber vivus, in se habens Verbum vivum Patris, et est quasi conclusio omnium librorum et scripturarum et figurarum et formarum et artium et scibilium et operabilium: sicut conclusio est breve verbum complicans omnia in virtute quae per libros multos non possunt sufficienter explicari. Conclusio autem est, propter quam scribuntur omnia et similiter per quam omnia scribuntur; nam quae scribuntur, non sunt nisi explicatio eius. Sicut vides quomodo Verbum est manens apud Patrem et est missum in mundum mediante natura humana: sicut verbum intellectuale magistri manet apud magistrum et mittitur in chartam mediantibus litteris et figuris."[4])

Anima Christi *non* tamen Deum *comprehendit*. Nam illud dicitur comprehendi, quod cognoscitur quantum cognoscibile est; Deus autem, utpote ens infinitum, infinite est cognoscibilis: fieri ergo non potest ut essentia Dei a creatura comprehendatur. Creatum autem in Christo, i. e. natura humana, mansit intra limites creaturae. Hinc in Concilio Basileensi (1435) damnata est propositio Augustini de Roma: „Anima Christi videt Deum tam clare et intense,

---

[1]) S. Th. 3 q. 9 a. 2.

[2]) S. Th. 3 q. 10 a. 4.

[3]) S. Th. Comp. theol. 216.

[4]) Nicolaus de Cusa, Excitationes 5, ex sermone ‚Vere Filius Dei erat iste'. — „Doctrinae de Christi hominis omniscientia interminata nemo penitius Cusano fundamenta introspexit" (Thomassin. De incarn. 7, 9).

quam clare et intense Deus videt seipsum." — Imo etiam in *aliis* scientia animae Christi Dei scientiae est *inferior.* „Scientia animae Christi est inferior scientia divina quantum ad modum cognoscendi, quia Deus perfectius cognoscit res quam Christus; et etiam quantum ad numerum scitorum, quia anima Christi non cognoscit omnia, quae Deus *potest* facere, quae tamen Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiae, licet cognoscat omnia praesentia, praeterita et futura, quae Deus cognoscit scientia visionis." [1])

SCHOLION. Contra Christi visionem beatificam duplex maxime moveri potest ac movetur *difficultas:* altera inde quod corpus eius erat passibile, altera ex doloribus animae.

1. Si vere Christi anima visione fruebatur beatifica, fieri videtur non posse, quin et *corpus* eius fuerit gloriosum, quod tamen ante resurrectionem non obtinuisse audivimus. Rem explicat S. Thomas: „Secundum naturalem habitudinem, quae est inter animam et corpus, ex gloria animae redundat gloria ad corpus. Sed haec naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati divinitatis ipsius, ex qua factum est, quod beatitudo remaneret in anima et non derivaretur ad corpus, sed caro pateretur, quae conveniunt naturae passibili, secundum illud quod Damascenus dicit, quod «beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati et operari quae propria»." [2])

2. Gravior difficultas ex parte ipsius *animae.* Scilicet: si Christi anima visione fruebatur beatifica, explicari non posse videtur, quomodo eadem anima Christi *dolori* subiecta esse potuerit. Certum sane est, Christi animam et dolorem habuisse ex sensibus et maxime dolorem tristitiae, v. g. ex Patris derelictione, et dolorem compassionis, qui certe proprius est animae rationalis; imo hunc postremum acerbiorem iuxta illud: „Cum sit tantus dolor exterior, Interior tamen planctus est gravior, Tam ingratum dum te experior." At vero, qui fieri potuit, ut Christus, cum Deum videret atque infinito ex Dei visione profluente gaudio perfusus esset, dolore hoc summaque tristitia sit affectus? Quae quidem difficultas nonnullis nostrae aetatis theologis tanta esse videtur, ut ea potissimum moti ipsam visionem beatificam animae Christi denegare non dubitent. At immerito. Quantacunque enim nobis videatur duas veritates amice componendi difficultas, modo utraque veritas sit certa, nunquam propter illam nostram difficultatem negare licebit veritatem alterutram ipsam; at vero utrumque certum est: Christi animam tum tristitiae dolorique fuisse subiectam tum beata Dei visione donatam; quod et satis probasse nobis videmur. Qua ergo ratione res explicabitur? Duplex est difficultatis enodandae modus.

a. *Melchior Canus*, cui adstipulantur Gregorius de Valentia, Salmeron, Maldonatus, *gaudium* a visione beatifica emanans passionis tempore velut *suspensum* fuisse putat. Haec sunt Cani verba: „Sicut per totam vitam Dominus gloriam animae quasi premebat, ne in corpus efflueret, sic saltem in cruce retinuit gaudium quod suapte natura ex clara Dei notitia prodiret. Gaudium fateor ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non secus atque ex sole lumen, calorem ex igne: sed retraxit aliquando sol radios suos, et

---

[1]) S. Th. 3 q. 13 a. 1 ad 2.
[2]) S. Th. 3 q. 14 a. 1 ad 2.

ne calefaceret comprehensus est etiam ignis. Quare nihil mirum videri cuipiam debet, si in hominum redemptione, per hominis unius dolores explenda, voluptas omnis reprimeretur, quam alias ex visione Dei proficisci naturae ratio demonstrat." [1]) Quibus suffragari poterit videri S. Ambrosius, qui de Christo dicit: „Sequestrata delectatione divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis afficitur." [2]) — Verum plerisque haec explicatio non placet. Non enim intelligitur, quomodo a visione Dei delectatio queat seiungi; praeterea toto pene vitae tempore Christi anima, utpote tum peccata hominum perpetuo intuens tum mortem suam uti praesentem mente revolvens, gaudio illo destituta fuisse oportebit dicatur; denique nec in ipsa sua passione gaudium illud Christo denegandum videtur, imo, ut ait S. Thomas, „superior pars animae perfecte fruebatur, Christo patiente." [3])

b. Alii itaque *communius* una cum visione et gaudium fuisse in anima Christi statuentes, quomodo hoc gaudium non adversetur animae doloribus, cum S. Thoma sic ostendunt: „Fruitio deitatis et gaudium consequens erat in superiori parte rationis in ordine ad suum obiectum; dolor autem non perveniebat ad superiorem rationem, nisi secundum quod fundatur in essentia animae, sed in ratione inferiori et in sensualitate et in sensu erat tristitia et dolor, etiam secundum comparationem ad obiecta, inquantum secundum has potentias dolebat de poena corporis et aliis huiusmodi, qui tamen dolor erat quodammodo materia gaudii fruitionis, inquantum gaudium illud se extendebat ad omnia illa, quae apprehenduntur ut Deo placita. Et sic patet, quod dolor, qui erat in anima Christi, *nullo modo* gaudium fruitionis impediebat, neque per modum *contrarietatis* neque per modum *redundantiae.* Tristitia enim contrarium gaudium impedit, sicut quodlibet contrarium impeditur a suo contrario; tristitia autem, quae erat in anima Christi, nullo modo gaudio fruitionis *contraria* erat. Quod patet ex tribus: Primo quia non inerat eidem secundum idem, sed vel in diversis *potentiis* erat, vel in eadem secundum diversam *operationem;* secundo quia non erat de *eodem;* tertio quia unum erat *materia alterius,* sicut accidit in poenitente qui dolet et qui de dolore gaudet. Sed ulterius omnis tristitia impedit omnem delectationem per quandam *redundantiam,* secundum quod nocumentum unius potentiae redundat in aliam. Talis autem redundantia non fuit in Christo, nisi quando ipse volebat; unde gaudium, quod erat in superiori ratione per comparationem ad obiectum, non redundabat in vires inferiores, ut ab eis dolor et tristitia tollerentur; neque ulterius in corpus, ut a laesione immune esset: nec per consequens in animam, nec in potentias, secundum quod in essentia animae radicantur, prout laesio corporis ad essentiam animae et ad potentias in ea radicatas pertingit." [4]) Cardo solutionis, quam hic proponit Angelicus, in distinctione *superioris* et *inferioris* rationis positus esse videtur. Quae distinctio non est diversarum facultatum, sed eiusdem potentiae, prout una eademque ratio secundum diversam comparationem in obiectum fertur.

---

1) Canus, De loc. theolog. 12, 12.
2) Ambros. In Luc. 10.
3) S. Th. 3 q. 46 a. 8.
4) S. Th. 3 dist. 15 a. 3 q. 2.

„Secundum enim quod ad superiores naturas (maxime Deum) respicit, sive ut earum veritatem et naturam absolute contemplans, sive ut ab eis rationem et quasi exemplar operandi accipiens, superior ratio nominatur; secundum vero quod ad inferiora convertitur vel conspicienda per contemplationem vel per actionem disponenda, inferior ratio nominatur.“ [1]) Iam vero hac posita distinctione, cum cognitioni respondeat voluntatis affectus, non repugnare videtur, quod eadem anima secundum diversum hunc suum actum et gaudio fruatur et tristitia affligatur. „Superior ratio, sic idem S. Thomas, animae Christi, quae rebus aeternis contemplandis et consulendis inhaeret, nihil habebat adversum aut repugnans, ex quo aliqua nocumenti passio in ea locum haberet. Potentiae vero sensitivae, quarum obiecta sunt res corporeae, habere poterant aliquod nocumentum ex corporis passione: unde sensibilis dolor in Christo fuit corpore patiente. Et quia laesio corporis sicut a sensu sentitur noxia, ita etiam interior imaginatio eam ut nocivam apprehendit, inde sequitur interior tristitia, etiam cum dolor in corpore non sentitur; et hanc passionem tristitiae dicimus in anima Christi fuisse. Non solum autem imaginatio, sed etiam ratio inferior nociva corporis apprehendit: et ideo etiam ex apprehensione inferioris rationis, quae circa temporalia versatur, poterat passio tristitiae habere locum in Christo, inquantum scilicet mortem et aliam corporis laesionem inferior ratio apprehendebat ut noxiam et appetitui naturali contrariam. Contingit autem ex amore, qui facit duos homines quasi unum, ut aliquis tristitiam patiatur non solum ex iis, quae per imaginationem vel per inferiorem rationem apprehendit ut sibi nociva, sed etiam ex iis, quae apprehendit ut noxia aliis quos amat: unde ex hoc tristitiam Christus patiebatur, secundum quod aliis, quos ex caritate amabat, periculum imminere cognoscebat culpae vel poenae, unde non solum sibi, sed etiam aliis doluit. Et quamvis dilectio proximi ad superiorem rationem quodammodo pertineat, inquantum proximus ex caritate diligitur propter Deum, superior tamen ratio in Christo de proximorum defectibus tristitiam habere non potuit, sicut in nobis habere potest. Quia enim ratio superior Christi plena Dei visione fruebatur, hoc modo apprehendebat quidquid ad aliorum defectus pertinet, secundum quod in divina sapientia continetur, secundum quam decenter ordinatum existit, et quod aliquis peccare permittatur et quod pro peccato puniatur. Et ideo nec anima Christi nec aliquis beatus Deum videns ex defectibus proximorum tristitiam pati potest. Secus autem est in viatoribus, qui ad rationem sapientiae videndam non attingunt. Hi enim etiam secundum rationem superiorem de defectibus aliorum tristantur, dum ad honorem Dei et exaltationem fidei pertinere existimant, quod aliqui salventur, qui tamen damnantur. Sic igitur de eisdem, de quibus dolebat secundum sensum, imaginationem et rationem inferiorem, secundum superiorem gaudebat, inquantum ea ad ordinem divinae sapientiae referebat. Et quia referre aliquid ad alterum est proprium opus rationis, ideo solet dici, quod mortem ratio Christi refugiebat quidem, si consideretur ut natura, quia scilicet naturaliter est mors odibilis, volebat tamen eam pati, si consideretur

[1]) S. Th. De veritate q. 15 a. 2.

ut ratio."[1]) — Quodsi etiam hac posita explicatione aliqua manserit obscuritas, ne obliviscamur oportet illud a Suarezio dictum: „Fuit illud *miraculum* speciali dispensatione in Christo factum propter nostram redemptionem." [2])

Thesis 11.

Naturae humanae Christi potentia erat 1. dominii in eiusdem passiones, 2. causae instrumentalis operum supernaturalium.

Postquam dictum est de iis quae perficiunt Christi animam in *seipsa*, relinquitur ut de perfectione eius quantum ad *operationes transeuntes* dicatur, seu de humanae naturae *potentia*. Dupliciter haec potentia manifestatur: tum in ipsa natura, cui inest, ac prae iis, quae sunt eiusdem infirmiora; tum prae aliis, quae sunt extra ipsam. Scilicet: quamquam propter unionem hypostaticam visionemque beatificam ex ea, ut audivimus, consequentem naturae humanae Christi tam secundum animam quam secundum corpus status gloriae atque perfecta impassibilitas debebatur, voluit tamen Verbum ratione oeconomiae redemptionis humanae etiam imbecilli-

---

[1]) S. Th. Comp. theolog. 232. — Eadem haec explicatio traditur pereleganter in libro ‚*Theologia deutsch*', auctoris saec. 14, distinctione facta inter duos veluti Christi *oculos*, alterum dextrum, sinistrum alterum, his verbis (cap. 7): „Man sol merken, das man list und spricht, die sêle Kristi hête zwei ougen, ein rechtes und ein linkes ouge. In dem anbeginne, dô si geschaffen wart, dô kêrete si das recht ouge in die êwikeit und in die gotheit und stunt dâ in volkomener gebrûchunge und beschowunge götlîches wesens und êwiger volkomenheit unbeweglich und bleib dâ unbewegt und ungehindert von allen den zufellen und arbeiten, lîdens, marter und pîn, die in dem ûsseren menschen ie geschâhen. Aber mit dem linken ouge sach si in die crêatûre und erkante dâ alle dink und nam dâ underscheit in den crêatûren, was dâ besser oder unbesser, edeler oder unedeler wêre, und dar nâch wart der ûsser mensche Kristi gerichtet. Alsô stunt der inner mensche Kristi nâch dem rechten ouge der sêle in volkomenem gebrûchen götlîcher nâtûr, in volkomener wunne, freude und in êwigem fride. Aber der ûsser mensch und das linke ouge der sêle Kristi stunt mit im in volkomenem lîden, in aller trûbsal, jâmer und arbeite, und dis geschach alsô, das das inwendig und das recht ouge unbewegt, ungehindert und unberûret bleib von aller der arbeit, lîden, smerzen und marter, das in dem ûssern menschen ie geschach. Man spricht, dô Kristus an der sûl gegeiselt wart und dô er an dem heiligen crûze hieng nâch dem ûssern menschen, dô stunt die sêle oder der inner mensche nâch dem rechten ouge in alsô volkomenem gebrûchen götlîcher freude und wunne, als er hete nâch sîner himelfart oder als er itzunt hât. Sô wart ouch der ûsser mensche oder die sêle nâch dem linken ouge in iren werken an allem dem, das ir zu gehôret zu der ûswendikeit, nie gehindert, betrûbt oder bekumert von dem inwendigen ouge: ir keines wartet ûf das ander."

[2]) Suarez, Disp. 38 sect. 3.

tatis affectiones assumere, non quidem eas, quae, ut peccatum et intestinus concupiscentiae morbus, contagione culpae aliqua sunt afflatae, sed eas, quae, ut tristitia, lassitudo, fames ipsaque moriendi conditio, passiones irreprehensibiles vocantur. At quamvis passiones huiusmodi essent in Christo, in eo erant ita, ut essent sub plena eius potestate, idque non solum quia ad eius naturam divinam spectabat naturae humanae, ut quae propriae suae sint conditionis agat et patiatur, permittere, sed etiam quatenus *humanae* voluntati passiones illae plene erant subiectae. — Alterum vero, quod thesi asserimus, est: naturam Christi humanam non habere quidem omnipotentiam, bene vero potentiam quandam plane mirificam, virtutem sc. illam ζωοποιόν, in qua extollenda Patres praesertim Graeci adeo sunt eloquentes. Sermo est de potentia, quae competit animae Christi non secundum propriam virtutem, sed prout est *instrumentum Verbi.* Quae quidem potentia *non* est *omnipotentia*: omnipotentia enim, cum sit potentia operandi quidquid rationem entis habet, non est nisi Dei solius; ergo neque humanae Christi naturae communicari potest. Verum ex unione hypostatica natura haec humana donata est *potentia limites proprios excedente.* Nimirum „secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit *instrumentalem virtutem* ad *omnes immutationes miraculosas* faciendas, ordinabiles ad *incarnationis* finem, qui est instaurare omnia sive quae in coelis sive quae in terris sunt.“ [1])

DEMONSTRATUR: **1.** Christus in *passiones* naturae humanae plenum habuit *dominium.*

Quod sponte ex *unione hypostatica* consequitur, *Patres* diserte enuntiant. „Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam adhibuit eas (passiones), ubi adhibendas esse iudicavit. Ille hos motus certae dispensationis gratia ita cum voluit suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo.“ [2]) „Sensus corporei vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine deitatis et mentis; nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis.“ [3])

Hinc Patres et theologi in Christo cum *propassionem* (προπάθειαν) fuisse concedunt, *passionem* (πάθος) negant. „Coepit contristari et moestus esse. Dominus ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus est, sed ne passio in illius anima dominaretur, per propassionem coepit contristari: aliud est enim contristari, aliud incipere contristari.“ [4]) Ex plena porro appetituum subiectione explicant, cur Christus, sicut et Adam in statu integritatis, non intrinsecus, sed

---

[1]) S. Th. 3 q. 13 a. 2.
[2]) Augustin. De civ. Dei 14, 9.
[3]) Leo M. Epist. 35, 3.
[4]) Hieronym. In Matth. 26.

solum externa suggestione potuerit *tentari*. „Tribus modis, ita Gregorius M., tentatio agitur: suggestione, delectatione et consensu. Et nos, cum tentemur, plerumque in delectationem aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit.“ [1])

2. Christi natura humana est *causa instrumentalis operum supernaturalium.*

Quamvis sc. miraculorum atque eorum quae supernaturalia sunt causa principalis non sit nisi Deus, et, quia virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, illa opera a Christo facta divinae eius naturae tribui soleant: humana tamen eius natura in eis causalitatem veram, quamvis instrumentalem, obtinet.

1. *Scriptura* id testatur.

Christum illud „Lazare, veni foras“ (Ioan. 11, 43) etiam ex humana sua natura protulisse patet, secundum quam oratione praemissa exauditus erat. Idem ipse testatur: „quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata“, et in huius potestatis confirmationem „ait paralytico: surge, tolle lectum tuum et vade“ (Matth. 9, 6). Ipse porro Christus ad miracula patranda „extendens manum tetigit“ leprosum dicens: „Volo, mundare“ (Matth. 8, 2 sq.). Qua de re haec habet Cyrillus: „Contingens leprosum Salvator ipsum curavit, ostendens, spiritum, qui in se inerat, morbos sanare, corpus vero attactu suo sanctificationem praebere.“ Mulier sanguinis fluxum patiens „tetigit fimbriam vestimenti eius, et confestim stetit fluxus sanguinis eius . . .; et dixit Iesus: Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse“ (Luc. 8, 44 sq.). Generatim de Christo dicitur: „Virtus de illo exibat, et sanabat omnes“ (Luc. 6, 19).

2. *Patres* eandem veritatem disertissime praedicant.

Eorum fides maxime elucet, ubi Christi carnem in *Eucharistia* contentam ζωοποιόν esse docent. Sic prae omnibus aliis Cyrillus: „Si verum istud est, ignem materiae cuipiam admotum eam natura sua minime calidam nihilominus calidam efficere, quippe huic insitae sibi virtutis efficientiam large communicat: cur non multo magis Verbum, cum sit Deus, propriae carni vivificam vim suam et efficientiam immittet, cum eam secum unitam propriamque reddiderit sine ulla

---

[1]) Gregor. M. Hom. 26 in Evang.

confusione et mutatione?“ [1]) Ipsum Concilium Ephesinum hunc Cyrilli Anathematismum 11 suum fecit: „Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse . . . quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis: a. s.“

3. *Cur* et *unde* talis Christi potentia sit, patet.

Tanta videlicet potentia inest Christi humanitati, quia est divinitatis *instrumentum coniunctum.* Audiatur S. Thomas, qui similitudinem adhibet unionis corporis ut instrumenti cum anima: „Ad quod dicta antiquorum Doctorum concordant, qui humanam naturam in Christo organum quoddam divinitatis posuerunt, sicut et ponitur corpus organum animae. Aliter enim est animae organum corpus et eius partes, et aliter exteriora instrumenta. Haec enim dolabra non est proprium instrumentum, sicut haec manus: per dolabram enim multi possunt operari, sed haec manus ad propriam actionem huius animae deputatur; propter quod manus est organum unitum et proprium, dolabra autem instrumentum extrinsecum et commune. Sic igitur et in unione Dei et hominis considerari potest. Omnes enim homines comparantur ad Deum ut quaedam instrumenta quibus operatur. Sed alii homines comparantur ad Deum quasi instrumenta extrinseca et separata: moventur enim a Deo, non ad operationes proprias sibi tantum, sed ad operationes communes omni rationali naturae, ut est intelligere veritatem, diligere bona et operari iusta. Sed humana natura in Christo assumpta est, ut instrumentaliter operetur ea quae sunt operationes solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam et introducere in perfectionem vitae aeternae. Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum proprium et coniunctum, ut manus ad animam.“ [2])

SCHOLION. Quaeritur, utrum potestas illa humanitatis Christi ad supernaturalia efficienda sit *moralis* an *physica.* Efficientia moralis foret, quae voluntatem divinam ad effectum producendum per modum orationis moveat; physica, quae ipsa eum directe producat. Iam vero si Christi humanitas una cum divinitate atque adeo Christus ipse intelligatur, patet eius potestatem supernaturalem physicam esse. Verum quaeritur de humana eius natura prout a divinitate distinguitur. Atqui eius potestas certe saltem moralis est eaque sane efficacissima. Neque physica videtur esse posse in iis quae Christus operatus est in distans. Utrum vero in aliis potestas non solum moralis, sed etiam physica fuerit, disputatur. Scotistae negant, affirmant Thomistae. Hoc sane ex eis, quae ex revelatione divina de Christi potentia dicta sunt, constare videtur: potentiam illam humanitatis ipsam non esse

[1]) Cyrill. Alex. Dial. ‚Quod unus sit Christus‘. Cf. eiusdem Cyrilli alia praeclare dicta p. 42.

[2]) S. Th. C. gent. 4, 41.

qualitatem physicam, sed potius pertinere ad intentiones intellectus ac voluntatis ordinantis, inesse tamen ei per modum habitus, quatenus humanitas a Verbo assumpta per ipsam unionis gratiam permanenter constituitur reparationis nostrae organum.[1])

Articulus III.

De Cultu Christi.

Priusquam de adoratione, qua Christus colendus est, agamus, de ipsa adorationis notione et distinctione aliqua praemittamus oportet.

Adoratio (προσκύνησις) est species quaedam *honoris*. Honor porro est testificatio quaedam de excellentia alicuius. Quae quidem testificatio vel solum *interior* est vel praeterea etiam *exterior*. Scilicet: „Testimonium redditur vel coram Deo vel coram hominibus. Coram Deo quidem qui inspector est cordium, testimonium conscientiae sufficit; et ideo honor quoad Deum potest consistere in solo interiori motu cordis, dum scilicet aliquis recogitat vel Dei excellentiam vel etiam alterius hominis coram Deo. Sed quoad homines aliquis non potest testimonium ferre nisi per aliqua signa exteriora: vel verbis, puta cum aliquis ore pronuntiat excellentiam alicuius; vel factis, sicut inclinationibus, obviationibus et aliis huiusmodi; vel etiam exterioribus rebus, puta in munerum oblatione, aut imaginum institutione vel aliis huiusmodi: et secundum hoc honor in signis exterioribus et corporalibus consistit.“[2])

Adoratio igitur est actus submissionis ad alterius excellentiam agnitam. *Excellentia* ergo alterius illud est, quo omnis adoratio determinatur. Itaque diversa erit adoratio, prout eius, qui adoratur, excellentia diversa est. Iam vero *Dei* excellentia toto genere differt a quacunque excellentia creata. Ergo etiam adoratio, qua Deus colitur, necesse est ut toto genere differat a qualibet creaturarum adoratione. Hinc porro par esse intelligitur, ut diverso quoque ac proprio illa insigniatur nomine, quo ab omni alia adoratione discernatur. Vocatur autem adoratio Deo exhibenda *latria* (λατρεία), omnis alia *dulia* (δουλεία). „Deo debetur reverentia propter eius excellentiam; quae aliquibus creaturis communicatur non secundum aequalitatem, sed secundum quandam participationem: et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam, et alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam.“[3])

[1]) Unde *Scheeben* (Dogm. vol. 3 § 253) causalitatem hanc potius quam „physicam“ vocat „organico-mysticam“.

[2]) S. Th. 2, 2 q. 103 a. 1.

[3]) S. Th. 2, 2 q. 84 a 1 ad 1.

Non specie, utpote quae et ipsa creatam respiciat excellentiam, sed gradu a dulia distinguitur *hyperdulia*, cuius ratio est excellentia aliis creatis excellentiis maior atque supereminens, qualis est excellentia Beatissimae Dei Genitricis. Atque talis loquendi usus iam antiquitus obtinuit. „*Latria*, ita Augustinus, secundum consuetudinem, qua locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut paene semper, ea dicitur servitus, quae pertinet ad colendum Deum." [1]) Ipsum *adorationis* nomen quandoque iam a Patribus ad supremum cultum designandum restringitur, uti in illo Hieronymi: „Quis, o insanum caput, aliquando martyres adoravit, quis hominem putavit Deum?" [2]) Posteriori tempore nomen etiam adorationis magis magisque restrictum est ad sensum latriae proprie dictae.

Adoratio distinguitur *absoluta* et *relativa:* absoluta est ea, quae alicui personae propter propriam sibique insitam excellentiam exhibetur; relativa est, quae defertur propter excellentiam alterius, quocum quod adoratur nexum habere concipitur. Absoluta maxime est adoratio, qua colitur Deus; absoluta est quoque dulia sanctorum, licet omnis, quae in ipsis colatur excellentia, ab infinita manaverit Dei perfectione. Relativa vero est adoratio v. g. imaginum; quibus Concilium Tridentinum (Sess. 25) statuit „debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda . . ., sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illa repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur." — Hic iuvabit advertere, cultum absolutum non posse exhiberi nisi naturae *rationali*. „Honor seu reverentia, sic S. Thomas, non debetur nisi rationali naturae. Creaturae autem insensibili non debetur honor vel reverentia nisi ratione rationalis naturae. Et hoc dupliciter: uno modo inquantum repraesentat rationalem naturam, alio modo inquantum ei quocunque modo coniungitur; primo modo consueverunt homines venerari regis imaginem, secundo modo eius vestimentum: utrumque autem venerantur homines eadem veneratione qua venerantur et regem." [3])

Distinguunt adorationis *obiectum* materiale, formale, manifestationis. Obiectum *materiale* est illud, ad quod adoratio dirigitur;

---

[1]) Augustin. De civ. Dei 10, 1.
[2]) Hieronym. C. Vigilant. 5.
[3]) S. Th. 3 q. 25 a. 4.

formale est ipsa excellentia, propter quam adoratio exhibetur; *manifestationis* denique obiectum intelligitur, in quo, utpote quod nobis sit notius ac propinquius, obiectum ut colendum speciali modo nobis manifestatur. Sic e. g. materiale obiectum cultus Dei et sanctorum sunt ipse Deus et sancti (i. e. anima et corpus eorum), formale infinita Dei excellentia et in sanctis sanctitas creata animarum eorum, manifestationis denique, prout colendos se exhibent nobis per operationes ad extra ac beneficia nobis collata, praesertim vero, cum de Deo agitur, per opus incarnationis et quae cum eo nectuntur.

Thesis 12.

Christus adorandus est 1. totus una adoratione eaque latreutica; idque ita, ut 2. humanitas eius sit adorationis obiectum tum materiale tum manifestationis, 3. speciatim ss. Cor Iesu hac adoratione colere liceat.

Una tantum adoratione Christum colendum esse fassi sunt et Apollinaris et Nestorius. Sed maligno sensu uterque: *Apollinaris* nimirum, quatenus solam carnem a Verbo susceptam eamque de coelo lapsam Patri consubstantialem asserens nihil in Christo agnovit nisi quod esset divinum; *Nestorius*, quatenus ob honoris consortium ex morali hominis cum Verbo unione proveniens Christum hominem statuit adorandum, quemadmodum una cum rege purpura adoretur, qua rex sit indutus. Solam praeterea relativam adorationem humanitatis Christi sequiori aetate admisisse videtur *Wicleffus*.[1]) — Qui omnes damnantur a Concilio Ephesino et Constantinopolitano II. Concilium *Ephesinum* hunc suum fecit Cyrilli Anathematismum (can. 8): „Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo . . . tamquam alterum cum altero (nam syllaba ‚con' superadiecta haec cogit intelligi), ac non potius *una supplicatione veneratur Emmanuel unamque ei glorificationem dependit*, iuxta quod Verbum caro factum est: a. s." Concilium *Constantinopolitanum II* haec definivit (can. 9): „Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duae adorationes introducuntur semotim (ἰδίᾳ)

---

[1]) Saeculo elapso *Berruyer* distinguens inter Deum Verbum aeternum et Dei filium, qui tempore ex Maria Virgine esse coeperit ac sit filius SS. Trinitatis, desinens esse in morte Christi, iterum genitus in resurrectione, qui opera sua patraverit etiam mere humana, Christum docuit in humanitate sua directe esse adorandum alia adoratione quam qua adoratur Deus. Quam doctrinam ad Nestorii haeresim accedentem Congregatio Indicis a. 1734, Pontifices Benedictus XIV et Clemens XIII a. 1758 damnaverunt. Cf. Le Grand, De incarn. dissert. 11 (Migne, Cursus theol. t. 9).

Deo Verbo et semotim homini; aut si quis ad peremptum carnis aut in confusionem deitatis et humanitatis unam naturam sive essentiam convenientium portentuose dicens sic adorat Christum, sed non *una adoratione Deum Verbum incarnatum cum eius carne adorat*, iuxta quod s. Dei Ecclesiae ab initio traditum est: talis a. s." — In his totius theseos cardo est et summa; reliqua, quae enuntiavimus, suis quaeque locis commodius declarabuntur.

DEMONSTRATUR: **1.** Christus *totus*, i. e. etiam ut hic homo est, *una adoratione latreutica* adorandus est.

1. Ex *ratione theologica*, i e. ex unione hypostatica probatur.

„In eo, qui honoratur, duo possumus considerare: sc. eum, cui honor exhibetur et causam honoris. Proprie autem honor exhibetur toti rei subsistenti. Non enim dicimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur; et si quandoque contingat quod dicatur honorari manus vel pes alicuius, hoc non dicitur ea ratione quod huiusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum: per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta in veste aut in imagine aut in nuntio. — Causa autem honoris est id ex quo ille qui honoratur habet aliquam excellentiam. Nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam. Et ideo si in uno homine sunt plures causae honoris, puta praelatio, scientia et virtus, erit quidem illius hominis unus honor ex parte eius qui honoratur, plures tamen secundum causas honoris: homo enim est qui honoratur et propter scientiam et propter virtutem. — Sic ergo cum in Christo sit tantum una persona divinae et humanae naturae, et etiam una hypostasis et unum suppositum, est quidem eius una adoratio et unus honor ex parte eius, qui adoratur; sed ex parte causae, qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes, ut sc. alio honore honoretur propter sapientiam increatam et alio propter scientiam creatam. Si autem in Christo ponerentur plures personae seu hypostases, sequeretur quod simpliciter essent plures adorationes." [1])

2. Ex *Scriptura* probatur.

Thesi 2 audivimus Christum colendum atque adorandum esse adoratione latriae. Iam vero nunquam in Scriptura duplex distinguitur cultus, quorum altero Christus Deus, altero Christus homo adorandus sit; sed unus tantum cultus unaque adoratio, qua adorandum exhibetur Verbum quod caro factum est. Quod speciatim significatur hisce: „Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei" (Hebr. 1, 6).

---

[1]) S. Th. 3 q. 25 a. 1.

„Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum“ (Phil. 2, 8 sq.).

3. Ex *Patribus* probatur respondentibus ad gentilium et Apollinaristarum obiectionem, christianos esse σαρκολάτρας vel ἀνθρωπολάτρας.

„Nos creaturam neutiquam adoramus. Gentilium enim et Arianorum eiusmodi est error. Sed Dominum creaturae incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamquam enim caro ipsa per sese pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta. Ac neque corpus eiusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus; neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disiungimus. Verbum istud scientes «Verbum caro factum est», hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: recede a corpore ut te adorem?“ [1]) „Unus est Christus, Deus perfectus et homo perfectus, cui unam eandemque adorationem cum Patre et Spiritu non exclusa immaculata eius carne adhibemus. Neque enim adorandam esse eius carnem negamus, quippe quae adoratur in una Verbi persona, quae quidem ipsi persona et hypostasis facta est. Qua in re non creaturae servimus; non enim illam ceu nudam carnem adoramus, sed velut divinitati unitam, et quia duae ipsius naturae ad unam Dei Verbi personam reducuntur unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno coniunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro. Non quartam Trinitati personam infero, absit; sed unam Dei Verbi carnisque ipsius personam confiteor.“ [2])

2. *Humanitas* Christi est adorationis absolutae obiectum, et quidem 1. materiale, licet partiale, et 2. manifestationis.

Humanitatem Christi minime esse adorationis, qua Christus colatur, latreuticae obiectum *formale*, per se patet. „Totus quippe est Deus etiam cum corpore, non secundum corpus; totus adorandus etiam cum corpore, sed non propter corpus“ (Conc. Ephes. p. 4).

1. Humanitas Christi est adorationis absolutae obiectum aliquod *materiale.*

Probatur tum ex praecedentibus tum ex hac propositione 61 Pistoriensium a Pio VI damnata: „Propositio, quae asserit, «adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae», quatenus per hoc verbum ‚directe‘ intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt

---

[1]) Athan. Ep. ad Adelphium.

[2]) Damasc. De fide 3, 8.

ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur; ex Concilio V can. 9: — falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa."

2. Humanitas Christi est adorationis obiectum *manifestationis.*

Illud merito rationem obiecti manifestationis habere dicendum est, per quod singulari aliqua ratione ac iure persona aliqua nobis colenda cognoscitur. At vero huiusmodi in Christo est sanctissima eius humanitas.

a. Humanitas Christi *universa.* In ea enim eximio plane modo infinita Dei ipsius bonitas adoranda nobis manifestatur iuxta illud: „Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei" (Tit. 3, 4), et: „Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne" (1 Tim. 3, 16). Huc spectant, quae habet S. Thomas: „Ea quae sunt divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem et per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus. Sed ex debilitate mentis humanae est, quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota; inter quae praecipuum est humanitas Christi, secundum quod in Praefatione dicitur: «Ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.» Et ideo ea, quae pertinent ad Christi humanitatem, per modum cuiusdam manuductionis maxime devotionem excitant." [1])

b. Christi humanitatis tum *mysteria* singula tum singulae *partes,* in quibus speciali ratione sistuntur mentibus ac affectibus nostris quae Verbum incarnatum pro salute nostra operatum est et passum. Ita v. g. mysterium nativitatis, infantiae, passionis Christi universae. Huiusmodi Verbi in carne manifestationes reduci possunt ad eas, quae Christi vitam ac passionem respiciunt externam, et ad eas, quae respiciunt eius vitam ac passionem interiorem: priores comprehenduntur maxime cultu ss. Christi *vulnerum,* alterae cultu ss. *Cordis* Iesu. De hoc altero cultu speciatim aliqua dicenda erunt.

Interea superest quaestio, utrum ss. Christi humanitas et ipsa possit propter suas *creatas* perfectiones speciali cultu adorari. Iam vero quamvis in humana Christi natura sint eaque excellentissima, propter quae, si seorsim existeret, colenda esset cultu duliae vel hyperduliae, id quod S. Thomas docere dicendus est [2]), nihilominus

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 82 a. 3 ad 2.

[2]) S. Th. 3 q. 25 a. 1 et 2.

quod Suarez, Salmanticenses aliique docuerunt, praeterquam latreutice colatur humanitas Christi, esse eandem propter propria sua ornamenta etiam obiectum cultus hyperduliae, id saltem pro praxi admitti non potest. Nam „honor adorationis proprie debetur hypostasi subsistenti“ [1]); nec unquam Christi humanitati ab Ecclesia alius cultus exhibitus est nisi supremus. „Quoniam caro Christi, ita S. Bonaventura, nunquam est separata a Verbo, ideo semper consideranda est ut coniuncta et semper adoranda est latria, licet humanitati ut per se consideratae non debeatur nisi dulia.“ [2])

3. Cultus speciatim *ss. Cordis Iesu* et fidei et pietati est summopere consentaneus. [3])

Cor suum sacratissimum nobis speciali ratione adorandum exhibuisse dicendus est Christus ipse, cum illud in cruce nobis voluit patefacere. „Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua“ (Ioan. 19, 34). Quae in verba haec habet S. Bernardus: „Ferrum pertransiit animam eius et appropinquavit Cor illius, ut non iam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum Cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.“ [4])

Neque unquam in Ecclesia Christi defuerunt, qui cultum erga Christi Cor sacratissimum speciali modo foverent, ut S. Augustinus, S. Bernardus, S. Franciscus Salesius, S. Gertrudis. Peculiari tamen ratione auctus est maxime ex quo tempore praecipue per S. Iulianam saec. 13 festum ac solemnitas Corporis Christi per Ecclesiam universam propagari coepit. Demum illa quae nunc observatur Cordis Iesu colendi ratio exeunte saeculo 17 orta est et praeprimis revelationibus debetur B. Margaritae Alacoque, sanctimoniali in oppido Paray-le-Monial ducatus Burgundiae, factis. [5]) De prae-

[1]) S. Th. l. c. a. 2.

[2]) S. Bonav. 3 dist. 9 a. 1 q. 1.

[3]) De cultu agitur, qui hac potissimum aetate et Ecclesiae ipsi et christifidelibus quam maxime est cordi, quique praesertim a sacerdotibus nunquam satis vel foveri vel propagari poterit. Quamobrem dicendi non foret finis, si pro rei dignitate dicendum esset. Sed cum libri fere innumeri exstent, in quibus, quae ad cultum hunc spectant, copiose sunt exposita, nobis breves esse licebit. Plura eaque pulcherrima de hoc Cordis Iesu cultu dicta invenies Augustini aliorumque Patrum in Breviario festis pretiosissimi Sanguinis et ss. Cordis. Ex recentioribus qui de hoc cultu bene egerunt consuli utiliter poterunt *Nilles,* De rationibus festorum utriusque sanctissimi Cordis; *Nix,* Cultus ss. Cordis Iesu; *Leroy,* De ss. Corde eiusque cultu; *Dalgairns,* The devotion to the Heart of Iesus.

[4]) Bernard. Serm. in Cantic. 61, 4.

[5]) De qua re haec habent litterae Apostolicae de beatificatione Ven. Margaritae Alacoque d. d. 19 aug. 1864: „Ad tam salutarem ac debitum

cipua sibi facta revelatione (a. 1675) ipsa B. Margarita haec narrat: „Die quodam infra octavam festi Corporis Christi, cum orationi coram sanctissimo Sacramento vacarem, coelestibus gratiis a Domino meo supra omnem modum repleta sum. Ego vero cum pro tantis beneficiis aliquid pro tenuitate mea referre et amorem amore rependere ardenter cuperem, votis meis Dominus annuens: «Nihil, inquit, praestare potueris, quod mihi sit acceptius, quam si illud perfeceris, quod te saepius antea monui.» Tum Cor suum sacrosanctum detegens: «Ecce, inquit, Cor meum, Cor illud tanto amore hominum succensum, ut nihil praetermiserit, viribus exhaustis penitus atque consumptis, quo suum amorem iisdem testaretur. Sed pro recompensatione a plerisque non recipio nisi ingratitudines per ipsorum irreverentias et sacrilegia et frigus et contemptum, quae mihi in hoc amoris sacramento exhibent. Quod eo etiam mihi acerbius accidit, quod ab hominibus quoque mihi dicatis talia pati cogor. Itaque a te requiro, ut feria sexta, quae octavam festi Corporis mei proxime sequitur, Cordi meo colendo proprie sit dicata, ita ut eo die ad sacram mensam accedant et iniurias Cordi meo in altaris mysterio, eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, inflictas, violati honoris expiatione resarciant. Et quidem spondeo, eos omnes, qui hoc honore Cor meum affecerint et ab aliis afficiendum curaverint, ipsius divini Cordis favore coelestium gratiarum copia cumulatum iri.»“ Atque in his occasio erat posita cultus sanctissimi Cordis magis magisque propagandi. Qui quidem cultus cum ab initio acerrimos haberet adversarios eum impugnantes ac calumniantes, maxime e castris Iansenistarum, defensores nactus est praeter sanctimoniales Ordinis Visitationis et Patres Societatis Iesu (nominatim PP. de la Colombière, Croiset, Gallifet), episcopos complures (nominatim Polonos) ac denique ipsam Sedem Apostolicam. Innocentius XII a. 1697 primus permisit, ut in ecclesiis Visitationis feria sexta post octavam Corporis Christi in honorem ss. Cordis missa quinque vulnerum quotannis celebraretur; Clemens XIII a. 1765 episcopis Polonis et archiconfraternitati Cordis Iesu specialem diem festum cum missa propria ac officio Cordis Iesu concessit; Pius IX a. 1856 festum Cordis Iesu in censu festorum ab Ecclesia universa celebrandorum posuit.

---

pietatis cultum instituendum lateque inter homines propagandum eligere Servator noster dignatus est venerabilem famulam suam Margaritam Mariam Alacoque, religiosam sororem ex Ordine Visitationis B. M. V., quae quidem et innocentia vitae et assidua virtutum omnium exercitatione tanto officio ac munere divina adiuvante gratia se dignam probavit.“ Ex his Summi Pontificis verbis aliisque merito colligitur, ipsas revelationes illas B. Margaritae factas, cum per se essent privatae revelationes, Ecclesiae iudicio agnitas ac comprobatas fuisse.

Synopsis veluti brevissima totius de cultu Cordis Iesu *doctrinae* catholicae ac norma haberi possunt quae Pius VI a. 1794 contra propositiones 62 et 63 synodi Pistoriensis hisce statuit: „Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata: falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem iniuriosa." „Item, in eo quod cultores Cordis Iesu hoc etiam nomine arguit (eadem doctrina), quod non advertant, sanctissimam carnem Christi aut eius partem aliquam aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate non adorari posse cultu latriae; quasi fideles Cor Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Iesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro: captiosa, in fideles Cordis Christi cultores iniuriosa."

Iam vero ex his haec sponte colliguntur:

1. Obiectum *formale* colendi atque adorandi Cor Iesu non est aliud quam illud quod solum est formale obiectum omnis adorationis Christo exhibendae, sc. ipsa *divina* excellentia personae Christi naturam humanam et in ea cor humanum habentis. Quaecunque igitur aliae in Corde Iesu sunt et spectantur perfectiones creatae, eae quamvis esse queant ratio cur prae aliis partibus naturae humanae Cor speciatim colatur, minime tamen sunt ratio formalis propter quam Cor, uti par est, adoretur.

2. Obiectum *materiale* huius cultus non est cor sensu translato sumptum, sed Cor Iesu „in propria ac nativa significatione acceptum, videlicet ut pars est corporis Christi nobilissima" [1]), „Cor lancea percussum, vulnera passum, ex quo aqua et sanguis manarunt". [2]) Verum sedulo animadvertere oportet, cultus obiectum non esse Cor illud veluti divulsum ab humanitate reliqua et persona divina, sed „Cor personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est". — Iam vero obiectum hoc duplex est: sensibile et spiritale. *Sensibile* est ipsum Cor *physicum*, pars corporis Christi propter hypostaticam eius cum Verbo unionem infinita veneratione dignum. *Spiritale* est, ut aiunt, Cor *symbolicum*, i. e. Christi *caritas*. At non est duplex hoc obiectum distinctum, sed unum integrum sc. Cor proprie quidem, et non metaphorice, sumptum, sed non absolute, verum cum sibi

---

[1]) Sic Episcopi Poloni in sua supplicatione Clementi XIII allata.
[2]) Sic in Breviario diei festi Cordis Iesu.

inhaerente symbolica caritatis significatione, nimirum „Cor Iesu caritatis igne flagrans“ [1]).

3. *Ratio* porro, cur prae aliis ss. humanitatis partibus Cor specialius colatur, in eo est, quod prae omnibus Cor aptissimum est obiectum *manifestationis* seu illud in quo qui colendus est peculiari atque insigni ratione sese nobis amandum et adorandum manifestat. Siquid enim est Christi Domini, quod ut peculiari quadam ratione colatur iure sibi vindicat, ea sunt profecto, quae vita eius continentur interiori quaeque omnia ad amorem caritatemque revocari possunt. [2]) Iam vero, quod et in se cum interiori hac vita nexu videatur copulari firmiore [3]) et ab omnibus eiusdem existimetur symbolum, aptius atque significantius corde nihil est. „Cordi Iesu, ita Episcopi Poloni, eae insunt proprietates, quae illud speciali cultu dignissimum reddunt, imo nulla res corporea et sensibilis existit, quae cultui fidelium decentius, iustius, fructuosius proponi possit, quam hoc amantissimum aeque ac afflictissimum Cor; nulla quippe res est, quae mysteria sublimiora contineat ac repraesentet; nulla, cuius aspectus et consideratio affectiones sanctiores in cordibus fidelium parere queat; nulla, quae amorem immensum Iesu Christi Domini nostri oculis corporeis simul ac mentis melius exprimat; nulla, quae aptior sit ad beneficiorum omnium amantissimi Redemptoris nostri memoriam in mentem hominum revocandam; nulla, quae acerbissimos Christi dolores interiores nostra causa toleratos sensibilius exhibeat. Haec enim et plura alia in eo sanctissimo Corde, prout pingi solet et adorandum exhiberi, non contenta modo et

[1]) Pius IX in Brevi beatif. Ven. Margaritae Alacoque. — *Leitner* (Ein Wort über den Gegenstand der Andacht zum hl. Herzen Iesu) putat, solum cor physicum esse proximum obiectum huius cultus, Christi vero caritatem colendi cordis esse motivum; *Jungmann* (Die Andacht zum hl. Herzen Iesu) opinatur, in cultu Cordis Iesu nomine cordis primo ac directe intelligi Christi caritatem, cor vero physicum adhiberi tamquam huius amoris aptissimum symbolum; *Nilles* denique (De rationibus festorum utriusque ss. Cord.) ex utroque elemento ita unum integrum statuit coalescere cultus huius obiectum, ut cor physicum sit eius veluti pars materialis, Christi amor pars formalis. Cum inter omnes theologos catholicos conveniat, Christi et cor physicum et amorem necessario esse colendum, quando quidem sermo est de cultu, qui publice in Ecclesia agitur, controversia illa non tam de re quam de modo concipiendi esse videtur.

[2]) „Cum ad voluntatem plures actus pertinere videantur, ut desiderare, delectari, odire et huiusmodi, omnium tamen *amor* et unum principium et communis radix invenitur“ (S. Th. C. gent. 4, 19).

[3]) Quamvis dici nequeat, quod veteribus videbatur, esse cor una cum animo ipsum informante organum affectiones eliciens, nexum tamen intercedere aliquem intimum inter cor et animi affectus, est indubium. Cf. Ranke, Der Mensch 1, 198.

repraesentata, sed inscripta quodammodo et quasi insculpta et oculis subiecta cernuntur."

4. *Caritas* denique, cuius symbolum est Cor Iesu, intelligitur caritas tum *increata*, tum vero maxime caritas *creata* seu caritas naturae humanae Christi utpote cum qua creata caritate cor suam imprimis cognationem habeat. Quod docet decretum S. R. C. a. 1765 declarans „cultu ss. Cordis symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde". Caritas vero creata maxime ea cultu hoc colitur, quae in *crucis* et *altaris* imprimis elucet mysteriis. „Fideles enim, sic legitur in Officii festi ss. Cordis Iesu lectione 6, recolere sub sanctissimi Cordis symbolo caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis atque in suae mortis commemorationem instituentis sacramentum corporis et sanguinis sui." [1])

SCHOLION. De cultu *sanctorum, reliquiarum, imaginum* aliqua hic dicenda videntur.

1. De cultu *sanctorum.* [2])

Licet sanctos *colere*, idque cultu absoluto duliae [3]), et *invocare.* Cultum sanctorum impugnaverunt saeculo 4 *Eunomius Arianus, Faustus Manichaeus,* maxime *Vigilantius.* Negavit Vigilantius martyrum reliquias esse venerandas, ad eorum sepulcra esse vigilandum vel alios, qui consueverant, iis honores esse deferendos, porro nos sanctorum precibus minime iuvari nec terrenis necessitatibus coelites tangi. [4]) Secuti aliquos haereticos, ut Petrobrussianos, e *Protestantibus* plurimi Catholicos ab sanctorum cultum *idololatriae* accusare non verentur, ac si sancti ab iis eodem colerentur cultu quo Deus. [5]) De

---

[1]) De nexu speciali, qui est inter cultum ss. Cordis et Eucharistiae, dicetur in tractatu de ss. Eucharistia.

[2]) Primis saeculis officii episcoporum erat cultum alicuius sancti agnoscere atque decernere; ab Alexandro III a. 1170 vetitum est, quominus Sede Apostolica non approbante quis publice coleretur sanctus. Primum solemnis canonizationis exemplum videtur esse s. Udalrici, episcopi Augustani, a. 993. Cf. Bellarm. De sanct. beat.; Benedict. XIV, De canoniz. sanct.; Kirchenlexicon, sub vocibus ‚Seligsprechung', ‚Heiligsprechung'.

[3]) Cur sanctos, quamvis *Christi membra* sint, *non licet latreutice* adorare? Respondet S. Bonaventura (3 dist. 9 a. 1 q. 5): „Absque dubio cultus latriae membris Christi non est exhibendus: pro eo quod membra Christi sumus secundum humanam naturam; et sic sumus membra, ut tamen ratio membri non tollat rationem servitutis nec ponat aequalitatem dignitatis. Et quoniam latria debetur creatori ratione suae maiestatis et excellentiae: hinc est, quod membris Christi non competit cultus latriae. Multa enim distantia distat caput a corpore ratione divinitatis unitae."

[4]) Cf. Hieronym. C. Vigilant.

[5]) *Lutherus* ipse (ed. Witt. t. 7 p. 7) haec scribit: „Von der lieben Heiligen Fürbitte sage ich und halte fest mit der ganzen Christenheit, dass

invocatione ac veneratione sanctorum ad „catholicae et apostolicae Ecclesiae usum a primaevis christianae religionis temporibus receptum sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum Conciliorum decreta“ provocans haec statuit *Concilium Tridentinum* (Sess. 25): „Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere; illos vero, qui negant sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.“

1. Ex *ratione* Catechismus Romanus probat cultum et invocationem et licitum et nobis utilem esse.

a. „Si reges . . . tanto honore afficiuntur: angelicis spiritibus . . . tanto maiorem honorem non habebimus, quanto beatae illae mentes *dignitate* regibus ipsis antecellant?“

b. „Adde *caritatem* qua nos diligunt . . . nostras preces Deo offerunt et lacrymas.“

c. „Tantum abest, ut sanctis honore afficiendis atque invocandis . . . *Dei gloria* minuatur: ut eo maxime augeatur, quo magis hominum spem excitat, confirmat et ad sanctorum imitationem cohortatur.“ [1])

2. Ex *Scriptura* probatur.

Et in Vetere Testamento (Exod. 23, 20 sq., Ios. 5, 13 sq., Tob. 12, 16, etc.) et in Novo Testamento (Matth. 18, 10 etc.) apparet angelis reverentiam et exhiberi et exhibendam esse. Iam vero eadem ratio est aliorum sanctorum coelicolarum. — Quodsi Apostolus christianos monet: „Nemo vos seducat . . . religione angelorum“ (Col. 2, 18), non sanam angelorum venerationem, sed superstitiosum eorum cultum aeonum prohibet, qui quidem a Gnosticis propagatus posteriori quoque tempore a synodo Laodicena damnatus est. Quando vero angelus a Ioanne apostolo adorari recusare legitur dicens: „Deum adora“ (Apoc. 19, 10), angelus non quidem illicitum esse angelorum cultum docere dicendus est, sed solum humiliter declinare honorem ab Apostolo „conservo“ sibi oblatum.

3. Ex *Traditione* probatur.

a. In *usu* christianorum erat, ut sancti atque imprimis martyres colerentur. Tertullianus testatur: „Oblationes pro natalitiis (martyrum) annua die facimus.“ [2]) Similiter Cyprianus: „Sacrificia offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.“ [3]) Synodus Laodicena (c. 370)

---

man die lieben Heiligen ehren und anrufen solle; denn wer mag das widerfechten, dass noch heutiges Tags sichtiglich bei der lieben Heiligen Körper und Gräber Gott durch seiner Heiligen Namen Wunder thut?“

[1]) Catech. Rom. Praecept. 1.

[2]) Tertull. De corona 3.

[3]) Cyprian. Epist. 39, 3.

statuit, in Quadragesima oportere „sanctorum martyrum facere commemorationes in sabbatis et dominicis." [1]) — Usus huius documenta splendida praeterea sunt omnes *Liturgiae* antiquissimae, in quibus sancti haud raro et celebrantur et invocantur [2]), *templa* et *sacella* in sanctorum honorem iam antiquitus erecta [3]), *inscriptiones* maxime coemeteriorum Urbis subterraneorum. [4])

b. *Testimonia* sunt clarissima. In Actibus martyrii S. Polycarpi ecclesia Smyrnensis haec testatur: „Christum utpote Filium Dei adoramus, martyres vero tamquam Domini discipulos et imitatores merito diligimus." Origenes contra Celsum christianis exprobrantem, quod angelos et astra adorent, negat primo adorationem huiusmodi, sc. qualem gentiles intelligebant, penes christianos vigere, postea concedit angelis, quamvis non illam, aliquam tamen cultus speciem deberi. [5]) Idem Origenes ostendit rationi esse consentaneum, quod sancti curam nostrum gerant: „Omnes sancti, qui ex hac vita excesserunt, habentes adhuc caritatem erga nos, qui in hoc mundo sunt, si dicuntur curam gerere salutis eorum et iuvare eos precibus suis atque interventu apud Deum, non erit inconveniens." [6]) Cyprianus cum Cornelio quodammodo pepigit, ut qui prior obiturus fuisset pro aliis oraret: „Si quis isthinc nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Deum dilectio nostra, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio." [7]) Cyrillus Hieros. consuetudinem testatur fuisse inter sacra eucharistica sanctos invocandi: „Recordamur eorum qui obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum: ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat." [8]) Hieronymus accurate definit cultum sanctis exhibitum: „Honoramus et reliquias martyrum, ut eum, cuius sunt martyres, adoremus; honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit." [9]) Idem Hieronymus contra Vigilantium probat sanctos pro nobis intercedere atque adeo a nobis invocari posse: „Si apostoli et martyres adhuc

[1]) Cf. Mansi, Conc. 2, 572.

[2]) Cf. Asseman. Cod. liturg.; Renaudot, Liturg. orient. collect.; Zaccaria, Bibliotheca ritualis, tom. 1, diss. 2 cap. 5.

[3]) Antiquissima Urbis templa *tituli* vocabantur. Quorum plerisque nomen *sancti* alicuius erat impositum. Et quamvis vox ipsa „sancti" non esset addita nisi saeculo quinto, aliqui tamen eiusmodi tituli, uti Caeciliae, certe iam saeculo quarto exstabant. Verosimile est, iam a Silvestro I († 335) oratorium S. Mariae antiquae (nunc S. M. liberatrix) dicatum fuisse. Basilicae Liberianae a Liberio P. circa a. 360 conditae Sixtus III († 440) nomen indidit S. Mariae maioris. Cf. Grisar ‚Gesch. Roms u. der Päpste', 1 n. 134 et 168. Ephesi tempore Concilii Ephesini templum erat B. Mariae Virgini sacrum; cf. epist. Patrum Concilii ad Coelestinum P. datam (apud Galland. 9, 329). Templum illud Urbis, quod Pantheon dicitur, a. 607 a Bonifatio IV honori B. M. et omnium sanctorum martyrum dicatum est.

[4]) Cf. Kraus, Real-Encyclop. sub voce ‚Gebet' p. 566.

[5]) Origen. C. Cels. 5, 10; 8, 13.

[6]) Origen. In Cantic. 4, 4.

[7]) Cyprian. Epist. 57 ad Cornel.

[8]) Cyrill. Hieros. Catech. 23, 9.

[9]) Hieronym. Epist. 109, 1.

in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti — exempla afferuntur Moysis sexcentis millibus armatorum a Deo veniam impetrantis (Exod. 32, 30 sq.), Stephani pro persecutoribus veniam deprecantis (Act. 7, 59), Pauli ducentas septuaginta sex animas sibi condonatas esse dicentis (Act. 27, 21 sq.) — quanto magis post coronas, victorias et triumphos!"[1]) Clarissme denique totam hanc doctrinam exponit ac tuetur Augustinus: „Quod hinc nobis calumniatur Faustus, quod martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertisse, non tam me movet, ut huic calumniae respondeam . . . Populus autem christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat et ad excitandam imitationem et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adiuvetur, ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exsurgat ad acuendam caritatem et in illos, quos imitari possumus, et in illum, quo adiuvante possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti Dei homines, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus; sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata, quanto etiam fidentiore laude praedicamus iam in vita feliciore victores quam in ista adhuc pugnantes."[2])

2. De cultu *reliquiarum.*

Reliquiae intelliguntur ea, quae ex corporibus sanctorum mortuorum supersunt, deinde minus proprie, quae sanctis, dum in hac vita degebant, usui erant et quae corpora eorum tetigerunt. Patet reliquias solo cultu *relativo* posse coli, i. e. secundum relationem, quam cum ipsis sanctis habent.

Cultus reliquiarum ab iisdem fere impugnatus est, qui sanctorum erant adversarii. Postquam Concilium Nicaenum II eos damnavit, „qui audent spernere . . . vel proiicere sanctas reliquias martyris", et Concilium Constantiense reliquiarum cultum contra Wicleffitas et Hussitas defendit, haec decrevit *Concilium Tridentinum* (Sess. 25): „Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia."

1. Ex *ratione* res probatur. Augustinus haec habet: „Nec contemnenda et abiicienda sunt corpora defunctorum maximeque iustorum atque fidelium, quibus tamquam organis et vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis et annulus ac si quid huiusmodi tanto carius

[1]) Hieronym. C. Vigilant. 6.
[2]) Augustin. C. Faustum 20, 21; cf. De civ. Dei 22, 10.

est posteris, quanto erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque coniunctius quam quaelibet indumenta gestamus . . . Unde et antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt . . . Verum istae auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus, sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant propter fidem resurrectionis adstruendam." [1]) Praeter hanc utilitatem, quod reliquiarum veneratio sit utilis ad „fidem resurrectionis adstruendam", multiplex alia est eius utilitas, de qua sic breviter Damascenus: „Christus Dominus sanctorum reliquias velut salutiferos fontes praebuit . . . Horum intuentes conversationem imitemur fidem, dilectionem, spem, zelum, vitam, passionum tolerantiam, patientiam ad sanguinem usque, ut earundem ac illi gloriae coronarum consortes et participes efficiamur." [2])

2. Ex *Scriptura* ostenditur, Deum ipsum corpora sanctorum mortuorum imo etiam vivorum honori habere eorumque venerationem comprobare. In V. T. legitur: „Quidam sepelientes hominem . . . proiecerunt cadaver in sepulcro Elisei; quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo et stetit super pedes suos" (4 Reg. 13, 21). Ex N. T. huc adduci possunt: Mulier haemorrhoissa tangens fimbriam vestimenti Iesu sanata est (Matth. 9, 20 sq.). Infirmos in plateas eiecerunt, „ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis" (Act. 5, 15 sq.). „Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur" (Act. 19, 11 sq.).

3. Ex *Traditione* ostenditur, sanctorum reliquias iam antiquitus in summa fuisse veneratione et creditum fuisse hunc cultum Deo acceptum esse.

Martyrum reliquiae, ut patet ex martyrio SS. Ignatii, Polycarpi aliorumque, diligenter colligebantur, unguentis et aromatibus conditae „sicut thesaurus inappretiabilis" [3]) et „sicut aurum gemmaque pretiosa" [4]) in locis sacris asservabantur, sub altaribus seu „Dei sub pedibus" [5]) collocabantur [6]), a christianis magno concursu frequentabantur et colebantur. Quanta haec fuerit communis omnium etiam nobilium veneratio, sic describit Chrysostomus: „Sepulcra eorum, qui crucifixo servierunt, regias aulas splendore vincunt, non solum magnitudine aut pulchritudine aedificiorum, nam hac quoque parte illa superant, sed, quod multo maius est, coeuntium studio. Nam et ille qui purpuram gestat, ad sepulcra illa se confert, ut ea exosculetur, abiectoque fastu supplex stat sanctosque obsecrat, ut ipsi apud Deum sibi praesidio

[1]) Augustin. De civ. Dei 1, 13.

[2]) Damasc. De fide 4, 15. Cf. Breviarium Rom. in festo Reliquiarum mense octobri.

[3]) Acta S. Ignatii apud Ruinart.

[4]) Acta S. Polycarpi apud Ruinart. Iam hic dies, quo martyr obiit, „dies natalis" dicitur.

[5]) Prudent. Hymn. de S. Eulalia Virg.

[6]) Lege postea statutum est, ut in altari consecrando martyrum reliquiae reconderentur, qui usus iam tempore Ambrosii universalis fuisse videtur.

sint . . . Atque isti, qui corpora gestarunt, daemones superant, pulvisque, ossa et cinis naturas illas invisibiles dilacerant.“ [1])

Ad sanctorum reliquias *miracula* saepe fieri credebantur. Ambrosius v. g. de inventione corporum SS. Gervasii et Protasii haec testatur: „Cognovistis, imo vidistis ipsi multos a daemoniis purgatos, plurimos etiam, ubi vestem sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus absolutos: reparata vetusti temporis miracula, quo se per adventum Domini Iesu gratia terris maior infuderat, umbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis.“ [2]) Augustinus eorundem miraculorum Mediolani factorum testis est, nominatim caeci alicuius oculorum illuminatorum; idem ad S. Stephani reliquias feminae caecae sanatae et pueri resuscitati mentionem facit. [3])

3. De cultu *imaginum.*

Cultum imaginum sacrarum tamquam sacrilegum lege interdixit a. 726 *Leo Isauricus*, quem plures imperatores *iconoclastae* imitati sunt. *S. Germanus*, patriarcha Constantinopolitanus, primus fortiter pro imaginum cultu pugnavit et cum multis aliis persecutiones pertulit. Eum laudavit *Gregorius II* Pontifex literis ad eum datis a. 729; ipsumque sacrum cultum iterum tuitus est *Adrianus I* ad Constantinum imperatorem eiusque matrem Irenem scribens. *Concilium Nicaenum II* a. 787 copiosissime cultum illum vindicavit definiens: „venerabiles et sanctas imagines . . . in templis sanctis Dei sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis collocandas“.[4]) Quam doctrinam repetit *Concilium VIII* a. 869; et tandem, cum saec. 16 ex *Protestantibus* maxime Calvinianis rursus prodirent in sacras imagines barbarorum more saevientes iconoclastae, *Concilium Tridentinum* (Sess. 25) hunc in modum totam de imaginibus doctrinam catholicam breviter complectens: „Imagines Christi, Deiparae Virginis et aliorum sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus quae in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita ut per imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.“

---

[1]) Chrysost. Hom. 26 in 2 Cor.

[2]) Ambros. Epist. 22, 9.

[3]) Augustin. De civ. Dei 22, 8.

[4]) Quod in Ecclesia occidentali, praesertim quatuor libris Carolinis et synodo Francofordiensi (794) et conventu Parisino (825) decretum Nicaeni Concilii de imaginum cultu impugnatum sit, inde factum est, quod ex aequivoco vocis ‚adorationis‘ sensu et praepostera canonis Graeci interpretatione Patres Nicaeni eam imaginibus putabantur decrevisse adorationem exhibendam, qua solum Deum coli licet. Cf. de tota quaestione historica Hefele, Konziliengesch. § 332 sq. et § 400 sq.

1. Qui sacrarum imaginum *generatim* sit *scopus*, sic egregie explicat S. Bonaventura: „Imaginum introductio in Ecclesia non fuit absque rationabili causa. Introductae enim fuerunt propter triplicem causam, videlicet, propter simplicium ruditatem, propter affectuum tarditatem et propter memoriae labilitatem. Propter *simplicium ruditatem* inventae sunt, ut simplices, qui non possunt scripturas legere, in huiusmodi sculpturis et picturis tamquam in scripturis apertius possint sacramenta nostrae fidei legere. Propter *affectus tarditatem* similiter introductae sunt, ut homines qui non excitantur ad devotionem in his quae pro nobis Christus gessit, dum illa aure percipiunt, saltem excitentur, dum eadem in figuris et picturis tamquam praesentia oculis corporeis cernunt. Plus enim excitatur affectus noster per ea quae videt, quam per ea quae audit. Unde Horatius:

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
Ipse sibi tradit spectator.

Propter *memoriae labilitatem*, quia ea quae audiuntur solum, facilius traduntur oblivioni, quam ea quae videntur. Frequenter enim verificatur in multis illud quod consuevit dici: verbum intrat per unam aurem et exit per aliam. Praeterea, non semper est praesto qui beneficia nobis praestita ad memoriam reducat per verba. Ideo dispensatione Dei factum est, ut imagines fierent, praecipue in ecclesiis, ut videntes eas recordemur de beneficiis nobis impensis et sanctorum operibus virtuosis." [1])

2. *An* cultus imaginum sit *licitus*.

In *S. Sriptura*, quod legitur Exod. 20, 4: „Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper et quae in terra deorsum nec eorum quae sunt in aquis sub terra", sensus manifestus est ex iis quae statim adduntur: „non adorabis ea"; non sc. prohibentur universe imagines, sed, ut rem iam explicat Tertullianus, idololatria et „causae idololatriae" cohibentur. [2]) In ipsa porro Scriptura Deus iubet Cherubim in arca poni (Exod. 25, 18), serpentem aeneum erigi (Num. 21, 8).

Primis *Ecclesiae* saeculis, quamvis tum propter periculum idololatriae tum ne gentilibus ansa praeberetur calumniarum et irrisionum rarius [3]), tamen iam inde a primo saeculo, uti coemeteria Urbis probant, sacrae et fiebant et colebantur imagines. [4]) Persecutionibus demum finitis christiani etiam publice imagines venerari coeperunt. Sic v. g. teste Eusebio Constantinus imperator in aedium suarum summitate signum erexit crucis „in imperii quodammodo tutelam et praesidium". [5]) Sic Hieronymus narrat S. Paulam, „prostratam ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorasse". [6]) De omnium imaginum cultu haec scribit Basilius: „Suscipio et sanctos apostolos, prophetas et martyres; et ad supplicationem, quae fit Deo, hos invoco, ut per

---

[1]) S. Bonav. 3 dist. 9 a. 1 q. 2.

[2]) Tertull. Adv. Marc. 2, 22.

[3]) Huc spectare videtur canon 36 synodi Illiberitanae a. 306, quo prohibetur, ne sacrae imagines in parietibus, i. e. sub divo depingantur.

[4]) Cf. Kraus, Real-Encyclop. sub voce ‚Bildercyklus‘.

[5]) Euseb. Vita Const. 3, 49.

[6]) Hieronym. Epist. 108.

eos, i. e. interventionem eorum, propitius mihi sit misericors Deus et delictorum mihi redemptio fiat et condonetur. Unde et characteres imaginum eorum honoro et osculor eximie, cum hae traditae sint a sanctis apostolis, nec sint prohibitae imo in omnibus ecclesiis nostris depictae sint."[1])

3. *Qualis* sit cultus sacrarum imaginum.

Per se patet, hunc cultum non esse absolutum, sed *relativum*. Videlicet non res illa picta vel sculpta colitur propter se ipsam, sed formaliter ut imago est atque adeo in sua ad prototypum relatione. Hinc tamen duplex sanctitas imaginibus inesse concipi potest: altera nihil est aliud quam illa earum relatio; altera ipsi imagini inesse aliquo modo intelligitur, eaque in eo ut propter illam suam relationem et ipsa res sacra sit. Quodsi priori modo imagines considerantur, cultus earum quamvis exterius etiam imagini videatur exhiberi, vere atque ex intentione colentis non dirigitur nisi ad prototypum et est proinde cultus prorsus idem, quo prototypum colitur, sc. duliae, si sit sanctus, latriae, si sit Deus vel Christus. Si altero modo imagines spectantur, debetur et ipsis aliquis cultus, utique inferior, quatenus sc. omnis res sacra cum reverentia tractanda est. Modo priori imagines considerat S. Thomas cum ait: „Imagini Christi, inquantum est res quaedam, puta lignum sculptum vel pictum, nulla reverentia exhibetur, quia reverentia nonnisi rationali naturae debetur. Relinquitur ergo, quod exhibeatur ei reverentia solum inquantum est imago: et sic sequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi et ipsi Christo; cum ergo Christus adoretur adoratione latriae, consequens est, quod eius imago sit adoratione latriae adoranda."[2]) Altero modo imagines spectavit Concilium Nicaenum II, ubi voluit imaginibus reverentiam exhiberi, „quemadmodum signo venerandae et vivificae crucis et sacris evangeliis et ceteris sacris rebus."

Prior modus praecipuus est in ipsa Ecclesiae liturgia. Imo etiam tunc est praecipuus, cum res quae colitur sacra ex coniunctione cum persona proprie colenda maiorem habet sanctitatem quam sola habeat imago; sic v. g. in ipso cultu instrumentorum passionis Ecclesia profitetur: „Christum, lancea et clavis vulneratum, spinis coronatum, in cruce confixum, tunica pro nobis insignitum etc., venite adoremus!" Semper sc. cultus proprie dictus tandem aliquando ad personam refertur, cuius vel imagines vel reliquias veneramur. „Quod, ut ait Suarez, declaratur exemplo; nam cum aliquis accedens ad Pontificem, genua flectens et pedem deosculans petit aliquid, petitio ad solam personam dirigitur, adoratio vero etiam ad vestem et calceum Pontificis terminatur."[3])

Hinc etiam intelligitur discrimen, quod est inter reliquas res sacras et Christi *crucem* ac, quorum eadem fere est ratio, vestimenta et similia. Distinguenda videlicet est crux quatenus consideratur ut signum, et crux quatenus

---

[1]) Basil. Epist. 360 al. 205.

[2]) S. Th. 3 q. 25 a. 3. — Quam doctrinam per se clarissimam atque obviam non intelligentes aliqui ex Protestantibus v. g. Hagenbach-Benrath (Dogmengesch. § 188) usque ad hunc diem S. Thomam idololatriae absurdissime accusant.

[3]) Suarez, Disp. 44 sect. 4.

consideratur ut res quaedam. Priori modo cons iderata crux cultu latriae relativo adoratur, scilicet eadem adoratione, quae ex hibetur Crucifixo, ad quem adoratio refertur. Altero modo considerata disti nguatur oportet crux illa, quam membrorum contactu ac sanguine suo consec ravit Christus[1]), a vulgaribus crucibus. Cruces vulgares, ut reliquae imag ines sacrae, cultu coluntur mere relativo. Crux Christi vera quomodo col enda sit, non consentiunt doctores. S. Thomas in Commentario crucem sic intellectam dicit colendam esse cultu hyperduliae[2]); in Summa „crux, inqui t, in qua Christus crucifixus est, utroque modo (intellecta) adoratur eadem a doratione cum Christo, sc. adoratione latriae“.[3])

Quamvis vero cultus imaginibus impensus tan lem aliquando ad prototypum dirigatur, possunt tamen etiam eiusdem prototy pi aliae imagines prae aliis *specialius* coli, prout nimirum vel magis movent d evotionem nostram vel Deus frequentius per earum venerationem beneficia s ua largitur. Hinc a Pio VI merito proscriptae sunt hae Pistoriensium propc sitiones: „Doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem c ultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam] potius quam ad aliam confugere: temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicui que prout vult. — Item, quae vetat, ne imagines, praesertim beatae Virgin s ullis titulis distinguantur praeterquam denominationibus, quae sint anal ogae mysteriis, de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio; quasi ne adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsism et publicis precibus Ecclesia probat et commendat: temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi beatae praesertim Virgini debitae iniuriosa. — Item, quae velut abusum exstirpari vult morem, quo velatae asservantur certae im agines: temeraria, frequentato in Ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.“[4])

---

[1]) Christi crucem, postquam diu latuit, a S. Helena a. 326 inventam fuisse testantur Eusebius (In Ps. 87, 13), Ambr osius (Orat. in Theodos. 41 sq.), Cyrillus Hierosolymitanus (Epist. ad Const.; Catech. 4, 10; 10, 19; 13, 4), Paulinus Nolanus (Epist. 31). Praeter festun huius „inventionis“, 3. maii, celebratur in Ecclesia festum „exaltationis“, 14. sept., in memoriam crucis per Heraclium a Persis recuperatae.

[2]) S. Th. 3 dist. 9 a. 2 ad 4.

[3]) S. Th. 3 q. 25 a. 4. — *Signum cruci* manu formatum (σταυροειδὴς σφραγίς) antiquissimum est. Mentio eius fieri videtur in inscriptione Abercii (saec. 2), ubi haec leguntur: λαὸν δ'εἶδον ἐκεῖ (i. e. Romae) λαμπρὰν σφραγῖδα ἔχοντα. Tertullianus (De corona 3) certe haec testatur: „Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et ex itum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedili a, quaecunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.“

[4]) Per se patet, non licere imagines ad arbitrium fieri, maxime si sint ipsius Dei, SS. Trinitatis etc. Monet Co ncilium Tridentinum (Sess. 25): „Doceatur populus non propterea divinitate a figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi po ssit.“ Sunt praeterea omnes serreligiose vandi canones qui hac in re ab Ec clesia statuti sunt.

Articulus IV.

De Matre Christi.

A Christo Mariam [1]) separare nefas est. Nam primo Christus cum Maria intimum nexum habet. „Si enim, sic quidem Christum alloquitur Hesychius Hierosolymitanus, tu es gemma, merito illa est arca; et quia sol exsistis, necessario Virgo vocabitur coelum; cum sis flos immarcescibilis, profecto Virgo erit planta incorruptionis et paradisus immortalitatis." [2]) Secundo omnis qui Mariae impenditur cultus in Christum redundat. „Non est dubium, quidquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere." [3]) Quamobrem ipsa de Christo Verbo incarnato tractatio hucusque instituta, ne manca sit, postulat ut dicatur etiam de Maria. Sed accedit et alia ratio, quam innuit Ambrosius quaerens: „Quid nobilius Dei matre, quid splendidius ea quam splendor elegit?" [4]) „Quocirca post ipsius Dei ac Christi cognitionem, ait Suarezius, nullam aut utiliorem aut viro theologo digniorem esse existimo; neque intelligo, cur de gratia angelorum deque illorum meritis ac statu viae ac denique de eorum gloria ceterisque scientiae et gratiae donis et ministeriis seu officiis tam accurate theologi disputent, de angelorum vero regina eiusque dignitate, gratia, scientia, meritis ac singulari felicitate longe maiori diligentia disserendum non sit, cum haec doctrina et per se dignior ac iucundior et ad pietatem magis sit accommodata." [5])

Duplex autem scopulus hac in inquisitione sedulo vitandus erit. Alter, ne devotioni in Mariam plus aequo indulgentes nec nos solidae ac sobriae pietatis inter limites continentes ea affirmemus, quae ad veritatis ac sapientiae theologicae leges non sint exacta. Nunquam scilicet prae oculis non erit habenda regula, quam sic statuit Gersonius: „Christus posuit terminos nostrae conquisitionis, ut non liceat de divinis alia vel aliter asserere quam quae ex divinis Scripturis habentur vel evidenter concluduntur vel ab Ecclesia, quae Spiritu

---

[1]) ‚*Mariae*' nomen (Μαρία seu Μαριάμ seu hebr. Mirjam) quam habeat significationem, certo dici nequit. Ex diversa etymologia supposita diversae eius statutae sunt explicationes. Ab Hieronymo hae traduntur: illuminatrix, illuminans, illuminata, myrrha maris, stella vel stilla maris; ab aliis: dominatrix, contumax, amara vel afflicta, opima, i. e. ex sensu Orientalium formosa. Cf. Bardenhewer, Der Name Maria.

[2]) Hesych. Sermo 5.

[3]) Bernard. Hom. 4 super ‚Missus est'.

[4]) Ambros. De virg. 2, 2.

[5]) Suarez, Praef. in S. Th. 3 q. 27.

Sancto regitur, credenda traduntur." [1]) Alter scopulus est, ne priorem illum caventes animis plus aequo ieiunis illa sola admittere velimus quae disertis Scripturae testimoniis de Dei matre enuntiantur. Si quae enim sunt quae, quamvis in Scriptura tradi non videantur, ex iis tamen quae aliunde divinitus revelata noscuntur recto ratiocinio colliguntur, ea amplecti et vera habere cordati atque catholici viri prorsus erit. [2])

Totam autem de Maria doctrinam dogmaticam septem thesibus tractari posse putamus. Exordium ducendum videtur ab explicanda Mariae *maternitate* [th. 13], quippe cui quidquid in ea est dignitatis ac decoris id totum refert acceptum; deinde de dote illa insigni erit dicendum, quae, quantumvis priori videatur contraria, intime tamen cum ea nectitur, sc. de eius *virginitate* [th. 14]; tum agemus de *impeccantia* [th. 15], *sanctitate* [th. 16], *gloria* [th. 17], *mediatione* [th. 18], *cultu* [th. 19]. [3])

Thesis 13.

Maria est vere et proprie Dei genitrix.

Ex iis, qui Christum hominem et Deum confessi sunt esse, primi *Theodorus Mopsuestenus* et *Nestorius* ausi sunt asserere Mariam Virginem esse quidem χριστοτόκον, minime vero nisi improprie θεοτόκον.

---

[1]) Gerson, Par. 1 col. 453 sq. — Ex viginti quatuor regulis, quas Gersonius hac de re statuit, has iuverit transscribere: „Christus contulit matri suae ab initio et consequenter illas et tantas gratias, quas et quantas cognovit esse convenientes secundum ordinem suae sapientiae; et in hac veritatis soliditate debet esse contentus quilibet Christianus, quantumcunque sit devotus." — „Christus potuit dare multas gratias humanitati suae et dilectissimae matri pure gratis (e. g. omnimodam impassibilitatem), quas tamen actualiter et de facto non contulit. Et oppositum asserere est falsum et temerarium, imo haereticale." — „Christus non communicavit matri suae, statim dum concepta vel nata est, usum perfectae rationis, quamvis hoc potuisset; et si fecisset, decuisset. Et oppositum asserere scribendo vel praedicando est penitus temerarium: sicut et quod nunquam somniaverit, aut quod in omni somno semper actu Deum contemplata fuerit hic in via. Quod autem ex Scripturis sanctis auctoritatem non habet, iunge, nec ex probabili ratione, eadem facilitate contemnitur, qua probatur."

[2]) Quod alterum periculum non satis cavere videtur *Schell*, cum v. g. (Dogm. 3, 86 sq.) rationes theologicas respuit, quibus et Patres et ipse Romanus Pontifex utuntur ad perfectissimam a peccato etiam originali in Deipara immunitatem probandam.

[3]) Circa totam hanc de Maria doctrinam utiliter consuli poterunt ex recentioribus: *Scheeben*, Dogm. 3 § 274—282 (ubi etiam de vetustioribus scriptoribus bene disseritur); *Morgott*, Mariologie des hl. Thomas; *Schäfer*, Die Gottesmutter in der hl. Schrift; *Lehner*, Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten; *Liell*, Mariendarstellungen in den Katakomben.

Contra quos Concilium *Ephesinum* haec definivit (can. 1): „Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam Virginem; peperit enim secundum carnem factum Dei Verbum . .: a. s.“; et Concilium *Constantinopolitanum II* (can. 6): „Si quis abusive, sed non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, aut si quis hominis genitricem vocat eam aut Christi genitricem, utpote (ὡς) Christo non existente Deo, et non specialiter (κυρίως) et secundum veritatem Dei genitricem eandem confitetur ob id quod ante saecula a Patre genitus Deus Verbum in ultimis diebus ex ea incarnatus et natus est . . .: a. s.“ — Quae doctrina posteriori etiam tempore ab authentico Ecclesiae magisterio, maxime a Paulo IV a. 1555 et Clemente VIII a. 1603 contra Socinianos repetita est.

Doctrina igitur *catholica* est, fuisse Mariam *vere* Dei matrem, utpote quae ipsum genuerit, fuisse *proprie* Dei matrem, utpote quae illum genuerit, qui proprio sensu est Deus. Mariam vere Christi matrem fuisse, i. e. ex purissimis eiusdem sanguinibus formatum fuisse Christi corpus, satis probatum est, ubi corpus Christi verum fuisse ostendimus nec aliunde allatum, sed ex femina productum. Probandum solum est, Mariam non solum matrem Christi, sed sensu proprio *Dei* matrem esse dicendam.

DEMONSTRATUR: Maria sensu proprio est *Dei genitrix.*

1. Ex *Scriptura* probatur, sc. ex iis quae in Scriptura diserte et de Christo et de Maria praedicantur.

„Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum, quod B. Virgo sit mater Dei, invenitur tamen expresse in Scriptura, quod Iesus Christus est verus Deus, et quod B. Virgo est mater Iesu Christi: unde sequitur ex necessitate ex verbis Scripturae quod sit mater Dei. . . . . Dicitur etiam Rom. 9, 5, quod ex Iudaeis est «secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula». Non autem est ex Iudaeis nisi mediante B. Virgine. Unde ille, qui est super omnia Deus benedictus in saecula, est vere natus ex B. Virgine sicut ex sua matre.“ [1])

Et re quidem vera: Christum teste Scriptura verum Deum esse thesi 2 abunde probatum est. Eiusdem porro Christi Mariam veram matrem fuisse luculenter eadem Scriptura enuntiat. Imprimis enim Christi genealogiam texentes Lucas 3, 23 sq. eum filium Adae, Matthaeus 1, 1 sq. filium Abrahami et Davidis fuisse testantur. Iamvero quamvis Israelitis aliquo modo sufficere potuisse videatur, si Christus per Iosephum, „virum Mariae“ (Matth. 1, 16), secundum ius ac legem

[1]) S. Th. 3 q. 35 a. 4 ad 1.

filius Davidis habebatur, nihilominus, ut alia omittantur[1]), teste certe Apostolo per Mariam quoque directe ac naturali origine Christus „factus est ex semine David secundum carnem" (Rom. 1, 3). Sed sunt praeterea etiam testimonia, quibus Maria Christi mater esse explicite affirmatur: Apud Matthaeum 1, 16 sq. sermo est enim de Maria, „de qua (ἐξ ἧς) natus est Iesus qui vocatur Christus", et de eadem Maria dicitur: „quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est." Apud Lucam 1, 31 sq. ab angelo Mariae efficacissimo quo potest modo praedicitur, eam Christi, Filii Dei, matrem futuram esse: „ecce concipies in utero et paries filium"[2]), sc. „Filium Altissimi"; praeterea docetur: „quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei"; ius porro princeps aliquod maternum ei tribuitur, sc. ius nominis imponendi: „vocabis nomen eius Iesum"; denique Elisabeth „repleta Spiritu Sancto" eam salutans exclamat: „Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui; et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?"

2. Ex *Patribus* idem clarius ostenditur.

Ignatius rem ipsam profitetur: „Deus noster Iesus Christus parturiebatur (ἐκυοφορήθη) a Maria ex semine David, Spiritu autem Sancto."[3]) Distinctius Tertullianus sic arguit: „Quod concepit Virgo, id peperit; id ergo nasci habebat, quod erat conceptum et pariundum, i. e. spiritus, cuius et vocabitur nomen Emmanuel."[4]) Vocabulum (θεοτόκος) de Maria usurpatum ante Nestorii haeresim occurrit[5]) apud Alexandrinos Dionysium[6]), Alexandrum[7]), Athana-

[1]) Apud Luc. 1, 26 sq.: „Missus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria" — illud „de domo David", quamvis grammatice tum ad „Ioseph" tum ad „virginem" referri possit, a Chrysostomo aliisque refertur et verosimiliter est referendum ad „virginem", ita ut eius Davidica origo explicite affirmetur. Ratio est: quia de Maria virgine toto illo textu agitur; porro quia v. 32: „et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius" et v. 69: „erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui", clare supponitur iam notum, Mariam Christi matrem esse ex domo David; denique quia, si 1, 27 Iosephi origo Davidica assereretur, non apparet, cur 2, 4: „ascendit Ioseph . . . in civitatem David . . . eo quod esset de domo et familia David" (in Codice Syro-Sinaitico legitur: „quia *uterque* de domo David erat"), illud idem adeo diserte iterum affirmetur.

[2]) „Ex hoc dicitur aliqua mulier alicuius mater quod eum concepit et genuit: unde consequens est, quod Beata Virgo vere dicatur mater Dei" (S. Th. 3 q. 35 a. 4).

[3]) Ignat. Ad Eph. 18.

[4]) Tertull. C. Prax. 27; cf. De carne Chr. 19.

[5]) Nonnulli volunt vocem ipsam θεοτόκος legi iam anteriori tempore apud Aristidem (Sermo 1 apud Pitra, Anal. sacra 4, 284), Archelaum vel Hegemonium (Disp. c. Manete 34 apud Routh 5, 128), Hippolythum (De Susanna et Daniele apud Syncellum, Chronogr. 219), Origenem (Expos. in symb. ad art. ‚Natus ex Maria V.' apud Pitra, Anal. sacra 3). At testimonia haec omnia parum certa videntur esse.

[6]) Dionys Alex. Epist. ad Paulum Samos., de cuius tamen epistolae authentia non constat.

[7]) Alexander Alex. Epist. 1, 12.

sium.[1] Iulianus Apostata christianis irridet, quod tali nomine mulierem vocent.[2] Gregorius Nazianzenus haec habet: „Si quis non Dei genitricem (θεοτόκον) Mariam suscipit, separatus a divinitate sit.“[3] Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium hanc doctrinam antiquam esse ostendit: „Recens quidem draco est nequam ille et veneno temulentam habens linguam quique contempta traditione eorum, qui orbem terrarum sacra mysteria docuerunt, imo potius universa Scriptura valere iussa rebusque novis pro sua libidine introductis, sanctam Virginem θεοτόκον esse negat, sed potius Christum sive hominem peperisse, aliaque his affinia perquam absurda atque stupida rectis ac puris universalis Ecclesiae dogmatibus superinferens.“[4] Vincentius Lirinensis rem et affirmat et clarissime explicat: „Absit, ut quisquam sanctam Mariam divinae gratiae privilegiis ut speciali gloria fraudare conetur. Est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, filii autem sui munere verissime ac beatissime theotocos confitenda. Sed non eo modo theotocos, quo impia quaedam haeresis suspicatur, quae asserit, eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quod eum scilicet pepererit hominem, qui postea factus est Deus, sicut dicimus presbyteri matrem aut episcopi matrem, non iam presbyterum aut episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea presbyter vel episcopus factus est. Non ita, inquam, sancta Maria theotocos: sed ideo potius, quoniam iam in eius sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque unicam personae unitatem sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est.“[5] — Fulgentius sic breviter: „Unus idemque de Patre sine initio Deus semper genitus, de matre homo verus secundum carnem temporaliter conceptus et natus; quam carnem non conceptam accepit unigenitus Deus, sed in ea est Deus altissima humilitate conceptus.“[6] — Damascenus denique explicat, quanti momenti haec Mariae maternitas sit in universa incarnationis oeconomia: „Merito et vere s. Mariam θεοτόκον appellamus. Hoc enim nomen totum incarnationis mysterium adstruit. Nam si Dei mater est quae genuit, profecto Deus est qui ex ipsa genitus est. Profecto etiam homo. Nam qui fieri potuisset, ut Deus, qui ante saecula exstabat, ex muliere nasceretur, nisi homo factus esset? Si enim filius est hominis, homo etiam ipse sit necesse est. Quod si ille ipse, qui ex muliere natus

---

[1]) Athanas. Orat. c. Arian. 3, 29 sq.; cf. 4, 32 sq.
[2]) Cf. Cyrill. Alex. C. Iulian. 8.
[3]) Gregor. Naz. Epist. 101, 1.
[4]) Cyrill. Alex. ‚Quod unus sit Christus‘.
[5]) Vinc. Lir. Common. 21.
[6]) Fulgent. De incarn. 5.

est, Deus est, unus procul dubio atque idem est, qui ex Deo Patre genitus est, quod ad divinam et initii expertem substantiam attinet, quique extremis temporibus ea substantia, quae initium habuit temporique subiecta est, hoc est humana, ex Virgine natus est. Hoc vero unam Domini nostri Iesu personam duasque naturas et duas generationes significat.“ [1])

3. Ex *ratione theologica* probatur, sc. ex unitate hypostaseos Christi ac conceptu generationis, cuius proprium subiectum est hypostasis.

„Omne nomen significans in concreto naturam aliquam potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturae. Cum autem unio incarnationis sit facta in hypostasi, manifestum est, quod hoc nomen ‚Deus‘ potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam et divinam: et ideo quidquid convenit divinae naturae vel humanae, potest attribui illi personae, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans divinam naturam, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Concipi autem et nasci personae attribuitur et hypostasi secundum naturam illam, in qua concipitur et nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta a divina persona, consequens est quod vere possit dici Deum esse conceptum et natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicuius mater, quod eum concepit et genuit. Unde consequens est quod Beata Virgo vere dicatur mater Dei. Solum enim sic negari posset Beatam Virginem esse matrem Dei, si vel humanitas prius fuisset subiecta conceptioni et nativitati, quam homo ille fuisset Filius Dei, sicut Photinus posuit, vel humanitas non fuisset assumpta in unitatem personae vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius; utrumque autem horum est erroneum. Unde haereticum est negare Beatam Virginem esse matrem Dei.“ [2]) — Imo generari et nasci non solum ad hypostasim spectat, sed magis est proprium hypostaseos quam naturae. „Cum enim nasci sit quoddam generari (i. e. fieri), sicut generatur aliquid ad hoc quod sit, ita nascitur aliquid ad hoc quod sit. Esse autem proprie est rei subsistentis; nam forma quae non subsistit dicitur esse solum quia ea aliquid est: persona autem vel hypostasis significatur per modum subsistentis, natura autem significatur per modum formae qua aliquid subsistit. Et ideo nativitas tamquam subiecto nascenti proprie attribuitur personae vel hypostasi, non naturae.“ [3])

[1]) Damasc. De fide 3, 12.
[2]) S. Th. 3 q. 35 a. 4.
[3]) S. Th. l. c. a. 1.

Neque *obiiciatur*, Christum dici ,Deum' secundum *divinam* naturam, sed divinam naturam non accepisse initium ex Virgine. Huic enim obiectioni respondet Cyrillus Alexandrinus: „Sicut hominis anima cum proprio corpore nascitur et tamquam unum reputatur, et si voluerit quispiam dicere, quod est genitrix carnis, non tamen et animae genitrix, nimis superflue loquitur: tale aliquid gestum perspicimus in generatione Christi: natum est enim ex Dei Patris substantia Dei Verbum; quia vero carnem assumpsit, necessarium est confiteri, quod natum est secundum carnem ex muliere." [1])

Neque illud valet, quod ex *Verbi immutabilitate* contra hoc dogma afferri posse videtur. Immutabilitas enim haec, quamquam nullam in Deo ipso permittit mutationem nec proinde relationem quae in eo realis sit, nihilominus quemadmodum non prohibet, quominus Deus creando vere fiat creator, sic nec prohibet, quominus nascendo ex Maria vere eius constituatur filius et Maria mater ipsius. „Dicitur relative filius ad matrem relatione, quae cointelligitur relationi maternitatis ad Christum; sicut etiam Deus dicitur dominus relatione, quae cointelligitur reali relationi, qua creatura subiicitur Deo, et quamvis relatio dominii non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter dominus ex reali subiectione creaturae ad ipsum: et similiter Christus dicitur realiter filius Virginis matris ex relatione reali maternitatis ad Christum." [2])

COROLLARIUM. Ut appareat, quanta ex sua maternitate Mariae contigerit celsitudo ac dignitas, *singula* aliqua inde consequentia et vel ipsam maternitatem physice comitantia vel aliorum donorum fundamentum constituentia breviter considerare necesse est. Ex quibus potiora in sequentibus thesibus fusius tractabuntur.

1. Maria veram cum Dei Filio habet *consanguinitatem*, eandemque prorsus, quae nostrum cuique est cum matre sua. Quocirca Petrus Damianus cum aliis creaturis Deum inesse ostendit tribus modis, sc. essentia, operatione, illuminatione, „quarto modo, inquit, inest uni creaturae, videlicet Mariae Virgini, identitate, quia idem est quod illa" [3]); et Augustinus non dubitat asserere: „De carne Mariae carnem accepit, et ipsam Mariae carnem nobis manducandam ad salutem dedit." [4])

2. In hac cum Dei Filio affinitate mira quaedam eiusdem Virginis includitur relatio ad *Patrem* generantem Filium et *Spiritum Sanctum*, cuius Filius secundum naturam divinam est cum Patre principium et secundum humanam naturam speciali modo quasi quidam fructus. „Maria, ita Hesychius, universum Trinitatis complementum, quandoquidem Spiritus Sanctus adveniebat atque hospitabatur et Pater ombumbrabat et Filius in utero

[1]) Cyrill. Alex. Epist. c. Nestor.

[2]) S. Th. 3 q. 35 a. 5.

[3]) Petr. Dam. Sermo 1 de nativ. Mariae.

[4]) Augustin. In Ps. 95.

gestatus inhabitabat."[1] „Cum Dominus, ita Bernardus, sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac de sua Virginisque substantia . . . unus Christus fieret; qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei et totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque Filius . . . Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, sed et Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis, et Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit et tuum. Filius tecum . . . . . Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum."[2]

3. Mariae in Christum *potestas* erat ex iure naturae maternam dignitatem consequens; Christus porro ipsi ut matri *honorem* atque *amorem* debebat. „Mirare, ita Bernardus expendens illud «erat subditus illis», mirare utrumlibet et elige quid amplius mireris, sive Filii Dei benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum: et quod Deus feminae obtemperet, humilitas sine exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio."[3] „Facit Christus, ita Augustinus, quod faciendum admonet, et exemplo suo suos ministros instruit praeceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus; tamquam lignum illud, in quo fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis."[4]

4. Generatim ex *omnibus creaturis* Maria donorum Dei *maximis* ornata dicenda est. „Maria, sic Andreas Cretensis, divini archetypi imago recte descripta et divinorum attributorum epitome."[5] „Quam familiaris ei fieri meruisti, exclamat Bernardus; in te manet, et tu in eo; vestis eum et vestiris ab eo: vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria maiestatis; vestis solem nube, et sole ipsa vestiris."[6]

5. *Operum* Dei ad extra Maria est velut *fastigium*. „In Beatissima Virgine, inquit Albertus M., fuit perfecta operum consummatio, quia omnia creata in uno homine uniuntur cum creatore, et principium fit ultimum et ultimum principium; non enim est perfectio motus vel operis nisi in circulo."[7] — Cum porro nomine Verbi intelligatur et significetur relatio ad creaturas"[8], Maria Verbi mater ad *creaturas* plures habet *relationes*, praesertim ad homines christifideles, qui sunt membra filii eius; quae quidem relationes eo omnes reducuntur, ut quaecunque refecta sunt ac reparata, non sint restituta sine ipsa.

6. Dignitatem ergo habet Maria aliquo sensu verissimo *infinitam*. „Filius infinitat, sic Albertus M., matris bonitatem, infinita bonitas in fructu infini-

---

1) Hesych. Sermo 5.
2) Bernard. Hom. 3 super ‚Missus est'.
3) Bernard. Hom. 2 super ‚Missus est'.
4) Augustin. In Ioan. tr. 59.
5) Andreas Cret. Orat. 2 Assumpt.
6) Bernard. Serm. in domin. infra oct. Assumpt.
7) Albert. M. Mariale 202. — „In te magnificenza, in te s'aduna Quantunque in creatura è di bontate" (Dante, Parad. 33, 20 sq.).
8) Cf. S. Th. 1 q. 34 a. 3.

tam quandam adhuc ostendit in arbore bonitatem." [1]) „Humanitas Christi, inquit Angelicus, ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei, et Beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis." [2]) „Maiorem mundum, ait Auctor quidam pius, potest facere Deus, maiorem matrem quam matrem Dei facere non potest." [3])

7. Maternitas divina Mariae ipsi gratis prorsus concessa est ac *gratia maxima.* Quodsi Maria nonnunquam dignitatem illam dicitur *meruisse* vel „regem coelorum portare *digna* fuisse", auctore Angelico „Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex *gratia* sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut *congrue* posset esse mater Dei." [4]) — Gratia haec divinae maternitatis pertinet quodammodo ad ordinem *unionis hypostaticae*, quacum necessariam habet coniunctionem. Quamvis ea porro per se et praecise spectata non videatur esse nisi gratia aliqua gratis data [5]), iure tamen suo ac sua natura postulat ac secum fert omnium gratiarum comitatum plenissimum. Atque hoc sensu Albertus M. „Quidquid, ait, claudit alterum in se, plus est eligendum quam illud, quod non claudit alterum in se, sed esse matrem Dei per naturam necessario claudit in se filium Dei adoptivum." [6])

SCHOLION. Tanta Mariae dignitas fieri non potuit, ut non singulari quadam ratione in sacris Litteris exhiberetur et *praedestinata* et *praenuntiata.* Est enim Maria, ut ait Bernardus, „a saeculo electa, ab Altissimo praecognita et sibi praeparata, ab angelis servata, a patribus praesignata, a prophetis promissa". [7])

1. Speciali modo Maria Deipara est *praedestinata.* Huc pertinent, quae leguntur Prov. 8, 22 sq.: „Dominus possedit me in initio viarum suarum . ., ab aeterno ordinata sum." Quae quamquam directe de Sapientia increata dicta sunt, ab Ecclesia ad eam quoque, de qua Verbum habitaculum sibi formavit, transferuntur. — „Maria est initium operum Dei, sic Ambrosius, et ideo non mirum, si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoavit a matre, ut, per quam salus omnibus parabatur, prima fructum salutis hauriret ex pignore." In Bulla ‚Ineffabilis' haec leguntur: „Deus ab initio et ante saecula unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit tantoque prae crea-

[1]) Albert. M. Mariale 197.
[2]) S. Th. 1 q. 25 a. 6 ad 4.
[3]) Opp. S. Bonav. Specul. B. M. V. 10.
[4]) S. Th. 3 q. 2 a. 11 ad 3.
[5]) Sunt aliqui, ut Ripalda (De ente supernaturali 2 disp. 79), qui doceant maternitatem, utpote quae Mariam in superiori collocet gradu proximitatis cum Deo quam gratia adoptionis, eam etiam *formaliter* sanctificare. At immerito. Non enim hic eadem est ratio, quae est Christi. In Christo propter hypostaseos unitatem humanitas non potest non esse sancta. Hypostasis vero B. Virginis alia est ab hypostasi filii sui.
[6]) Albert. M. Mariale 141.
[7]) Bernard. Hom. 2 super ‚Missus est'.

turis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit."

2. Speciali modo Maria in V. T. *praenuntiata* est.

a. Praedicta est *prophetiis*, nominatim illa Gen. 3, 15: „Inimicitias ponam inter te et mulierem etc.", et illa Is. 7. 14: „Ecce virgo concipiet etc." De quibus postea plura dicenda erunt.

b. Praesignata est *figuris*.

Mulieres V. T. typicae recensentur: *Iudith, Esther, Rebecca, Maria prophetissa*, praecipue vero *Eva*. Mariae cum Eva triplex est relatio: *maternitatis, concausae, oppositionis*: „Ab Eva totius est in terris humani generis origo deducta; a Maria virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat et viventium sit mater." [1]) „Quemadmodum Eva inobediens facta et sibi et universo generi causa facta est mortis, sic et Maria . . . obediens et sibi et universo generi humano facta est causa salutis." [2]) Quae omnia sic complectitur Augustinus: „Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, a Domino Iesu Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus; per feminam mors, per feminam vita; per Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta a serpente propinatum libenter accipit et viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi: haec gratia coelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari." [3])

Praecipuos Mariae typos *reales* sic complectitur Damascenus: „Tu es *solium* illud regium, cui angeli adstiterunt suum herum et creatorem cernentes insidentem. Tu spiritualis es *Eden*, antiqua illa sanctior ac divinior: in illa siquidem terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus, qui de coelo descendit. Te olim *arca* figuravit, in qua secundi mundi semen servatum fuit: tu enim Christum mundi salutem peperisti, qui peccatum quidem submersit eiusque fluctus sedavit. Te *rubus* delineavit, *tabulae* a Deo exaratae expresserunt, *legis arca* praenuntiavit, *urna* aurea, *candelabrum*, *mensa*, *virga* Aaronis, quae floruit, aperte praesignarunt: nam ex te flamma divinitatis, Patris terminus et Verbum, suavissimum illud et coeleste manna, nomen illud nominis expers, quod est super omne nomen, lumen illud sempiternum et inaccessum, vitae panis coelestis, nulla cultura editus fructus, ex te corporaliter pullulavit. Quid? annon te *fornax* illa praemonstravit, cuius ignis roridus simul ac flammeus erat, quae divini ignis in te habitantis figuram praeferebat? Quin *Abrahami tabernaculum* te manifestissime significabat: Deo quippe Verbo in utero tuo velut in tabernaculo degenti humana natura subcinericium panem, sui primitias, ex purissimo sanguine tuo obtulit, divino igne coctas panemque factas, in divina eius persona subsistentes et ad veram corporis anima rationali et intelligente instructi exsistentiam venientes. Parum abfuit, quin me *Iacob scala* praeteriret: quid enim? annon cuivis perspicuum est, te ea praesignatam figuratamque esse? ut enim ille per extremas scalae partes coelum cum terra copulatum et angelos per eam descendentes et ascendentes, quin etiam illum, qui vere fortis insuperabilisque est, typice

---

[1]) Epiph. Haer. 78.
[2]) Iren. Adv. haer. 3, 22.
[3]) Augustin. Sermo 8 ad catech.

secum luctantem vidit: sic tu quoque mediatricis munus obiens effectaque Dei ad nos descendentis scala, ut debilem nostram naturam assumeret sibique copularet et uniret adeoque hominem mentem videntem Deum redderet, ea quae dirempta erant, collegisti; quocirca angeli ad eam descenderunt, uti Domino ac Deo inservirent; homines autem angelicum vitae genus amplectentes in coelum evehuntur. Quodnam est dominicum illud *vellus,* in quod regis omnium Dei Filius, qui Patri coaeternus est eiusque regni consors, pluviae instar descendit? annon tu perspicue? Quaenam item ea *virgo*, quam Isaias (7, 14) provido Spiritu in utero habituram Deumque, qui nobiscum foret, seu qui cum factus esset homo simul maneret Deus, parituram praedixit? Quid *mons* ille Danielis (2, 34), ex quo lapis angularis Christus sic abscissus fuit, ut viri scalprum non subierit? Nonne ipsa es, quae nullo semine suscepto peperisti ac rursus virgo permansisti? Veniat divinissimus Ezechiel *clausamque portam* ostendat (44, 2), Domino perviam, nec tamen apertam, quemadmodum prophetico instinctu praenuntiavit; dicta sua eventu comprobata monstret: te dubio procul ostendet, per quam transiens, qui super omnia Deus est, assumpta carne, virginitatis portam nequaquam aperuit; signaculum quippe in aeternum perseverat. Quocirca te prophetae praedicant, tibi ministrant angeli, inserviunt apostoli, virgo ille ac theologus, perpetuae virgini Deique genitrici." [1])

Thesis 14.

Maria virgo est ante partum, in partu, post partum.

„Castitas virginalis, ita Ambrosius, est expers contagionis integritas." [2]) Duo in se complectitur: alterum quasi materiale, quod in carnis integritate consistit; alterum veluti formale, quod est animus vitandi quidquid huic integritati opponitur. Perfecta hac virginitate non mentis solum, sed etiam corporis Mariam, quamvis vere fuerit mater, semper ornatam fuisse est catholica veritas; eaque adeo manifesta, ut apud christifideles omnes nomina ‚Mariae' et ‚Virginis' idem prorsus significare videantur. At ne haec quidem veritas ab impugnationibus hominum perversorum immunis fuit. Irenaeus iam reprehendit nonnullos, qui ut ait „Scripturam tollant: ecce virgo in utero concipiet et pariet filium"; quibusque accesserint „*Ebionaei* dicentes eum ex Ioseph genitum esse". [3]) Ebionitas

[1]) Damasc. Hom. in dormit. B. M. V. 1, 8 sq. — Quas Mariae figuras eleganter prae aliis prosequitur noster *Walther von der Vogelweide* in carmine (Leich) quod incipit: „Got, diner trinitate".

[2]) Ambros. De virg. 1.

[3]) Iren. Adv. haer. 3, 21; cf. Orig. In Luc. hom. 17; Epiph. Haer. 30, 2 sq. — In oppositione ad Ebionitas, „qui christianos se esse simulant", *Nazaraeos* Hieronymus (Epist. 89) testatur „credere in Christum Filium Dei natum de virgine Maria".

saeculo 4 secuti sunt in Arabia quidam ab Epiphanio vocati *Antidicomarionitae*, et in Italia *Bonosus*, *Helvidius*, *Iovinianus*, *Vigilantius*, qui et generatim virginitatis excellentiam negaverunt et speciatim Mariae perpetuam virginitatem infitiati sunt, docentes sc. eam tum partu saltem cessasse esse virginem tum postea ex Ioseph alios peperisse filios. Quorum impietatem amplexi sunt *Sociniani* et ex *Protestantibus* maxime nostrae aetatis plurimi. [1])

Doctrina *catholica* de perpetua Mariae virginitate solemniter declarata est in synodo *Lateranensi* sub Martino contra Monotheletas a. 649 habita (can. 3): „Si quis secundum ss. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque Virginem immaculatam Mariam . . . absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam genuisse indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate: a. s." Eandem doctrinam deinde sic brevius definivit a. 681 Concilium *Constantinopolitanum III:* „Mariae illibata virginitas ante partum, in partu et post partum interminabilis " Quae ipsa fere verba iam usurpata reperiuntur a Gregorio Thaumaturgo († 270), qui haec habet: „Ante partum et post partum virgo in virginitate sua permansit." [2])

Tres igitur erunt theseos partes, quarum longe praecipua erit prima, qua affirmatur Mariam virginem fuisse ante partum, i. e. Filium Dei absque semine concepisse ex Spiritu Sancto.

DEMONSTRATUR: **1.** Maria fuit virgo *ante* partum, i. e. sine semine virili Christum concepit.

1. Ex *Veteris Testamenti* vaticinio. [3])

Isaias 7, 14, ut argumentum exhibeat populi ab hostibus liberandi, signum tradit virginem parituram Emmanuelem sic vaticinans: „Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel"; hebr. הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּאֵל id est ad verbum: „Ecce virgo (haalma) gravida et pariens filium, et vocabit nomen eius nobiscum Deus." — Iam vero his verbis conceptio virginalis significatur. Et sane:

---

[1]) Ratio praecipua, qua ab his recentioribus Mariae virginitas negatur, non est alia ab illa, qua veteres virginitatis osores movebantur. Audiatur *Rade* (‚Der rechte evangelische Glaube', 1892, p. 13): „Aus Wunderscheu kommt es nicht, dass ich kritisch dazu (sc. doctrina de conceptu virgineo) stehe . . . Nein, mir liegt jene Lehre mit anderen christlichen Erkenntnissen im Widerstreit, für die ich Gott dankbar bin, vor allem mit dem evangelischen Begriff von der *Ehe* und dem *ehelichen Leben*."

[2]) Gregor. Thaum. Hom. in nativ. Christi c. 16 (apud Pitra, Anal. sacra 4).

[3]) Alia V. T. loca minus clara, quae ad Christi partum virgineum afferri solent probandum, cf. apud *A. Schäfer*, Die Gottesmutter in der hl. Schrift, p. 48 sq.

a. Filius, de quo hic est sermo, *Christus* est.[1]) Quod patet: tum ex ipso contextu, quo vocatur Emmanuel, dicitur esse is, cuius est terra Israël (8, 8), cuius imperium est sempiternum (9, 7), cuius conceptus est supra naturae leges; tum ex interpretatione et omnium Patrum et ipsius Spiritus Sancti (Matth. 1, 23).

b. Mater eius *virgo* praedicatur, manens virgo dum concipit et parit. Quod probatur: tum textu ipso, quo vocatur *alma* (παρθένος), quae vox usu loquendi biblico puellam innuptam significat, determinatur articulo (ha alma, ἡ παρθένος)[2]), exhibetur ut signum animos fideles confortans atque *prodigium*[3]); tum interpretatione Spiritus Sancti (Matth. 1, 23), Patrum omnium[4]), ipsorum denique Iudaeorum partum virgineum Messiae exspectantium.[5])

2. Ex *Novi Testamenti* narratione.

a. *Positive* Evangelistae Lucas 1, 26 sq. et Matthaeus 1, 18 sq. Mariae conceptionem virgineam fuisse ipsamque in ipso conceptu mansisse virginem affirmant multipliciter:

α. Vocant eam, quamvis iam „desponsatam viro, μεμνηστευμένην ἀνδρί“[6]), simpliciter „*virginem*, παρθένον“.

---

[1]) Celebrem de vaticinio nostro controversiam saeculo elapso excitavit *Laur. Isenbiehl*, qui contra unanimem nominis christiani doctrinam oraculum illud non de Messia, sed de futuro ipsius prophetae filio interpretatus est. Opus eius iam a plurimis facultatibus theologicis reprobatum a. 1778 a Pio VI proscriptum et damnatum est.

[2]) „Additione articuli insignem quandam et hanc solam fuisse nobis subindicat; . . . nam ferme videntis et imaginem in mente habentis haec erant multamque in se habentis eorum quae dicebantur evidentiam“ (Chrysost.).

[3]) „Et quod signum est, parere puellam non virginem, et cui magis convenit genuisse Emmanuelem, i. e. nobiscum Deum, num mulieri, quae virum experta est et solito feminarum more conceperit, an mundae adhuc et intactae virgini?“ (Orig. C. Cels. 1, 35.)

[4]) Quos plurimos citat *Reinke*, Die Weissagung von der Jungfrau, p. 233 sq. — *A. Harnack* (Dogmengesch. 1, 87) haec fatetur: „Der Glaube, dass Iesus von einer Jungfrau geboren sei, ist aus Ies. 7, 14 entstanden. Bei Paulus ist er noch nicht nachweisbar; aber er muss sehr frühe aufgekommen sein, da die Christen aus den Heiden im 2. Iahrhundert ihn, wie es scheint, einhellig bekannt haben (sc. das römische Symbol, Ignatius, Aristides, Iustin. u. s. w.).“ — In coemeterio *S. Priscillae* est *pictura* secundi vel fortasse etiam primi saeculi, in qua conspicitur B. Virgo cum puero, supra capita eorum stella a Balaam praedicta, prope adstans ac altera manu librum tenens alteraque Virginem veluti monstrans Isaias propheta. Cf. *De Rossi*, Imagini scelte 1; *idem*, Bulletino 1868; *Liell*, Mariendarstellungen 316 sq.

[5]) Cf. Drach, De l'harmonie entre l'Eglise et la Synagogue t. 2 sect. 1 ch. 2 et 3.

[6]) Vox ‚desponsata‘ significatione sua propria significat, sponsalia tunc inita fuisse inter Mariam et Ioseph, non vero nuptias solemnes fuisse celebratas. Verum adverti oportet, apud Iudaeos sponsalibus iam matrimonium quoad vinculum ratum ac sponsis eadem iura fuisse personalia quae habent matrimonio iuncti.

β. Excludunt modum concipiendi *naturalem*, quia et ipsa Maria inducitur immobile propositum virginitatis significans, quaerens sc.: „quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?“ et Ioseph vir eius conceptionis modum ignorans exhibetur.

γ. Docent modum esse prorsus *supernaturalem*, scilicet conceptum diserte tribuentes operationi „Spiritus Sancti“, eum qui nasciturus est „Filium Dei“ esse declarantes, ad praedictionem per Isaiam de virgine paritura factam alludentes, ad Dei omnipotentiam et miraculum in Elisabeth patratum provocantes

b. *Negative.* Nihil sc. ex S Scriptura afferri potest, quo Christi conceptus virgineus negetur:

α. Monent, *Iosephum* vocari Christi „patrem“ (Luc. 2, 48).

Respondetur: Merito Iosephus pater Christi dicebatur, quia iure veri matrimonii, quod inter ipsum et Mariam erat, pater eius legalis fuit. „Eo modo pater Christi dicitur Ioseph, quo et vir Mariae intelligitur, sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugii multo videlicet coniunctius quam si esset aliunde adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non eum genuerat concumbendo: quandoquidem pater esset etiam ei, quem non ex sua coniuge procreatum aliunde adoptasset.“ [1]) Nec quidquam timendum erat evangelistae, ne paternitas haec intelligeretur naturalis, siquidem in immediate praecedentibus virgineum Christi conceptum luculentissime docuerat.

β. Obiicitur praecipue duplex Christi *genealogia.* Alteram Matthaeus in initio evangelii sui tradit (1, 1 sq.): „Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac . . . Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.“ Alteram Lucas ab initio enarrandae vitae publicae Christi (3, 23 sq.) exhibet: „Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli . . . qui fuit Adam, qui fuit Dei.“ Iam vero, aiunt, genealogia hic texitur Iosephi: ergo Christus filius naturalis Iosephi esse exhibetur.

Respondetur: Conceditur antecedens, nimirum Iosephi tradi genealogiam; sed negatur consequens et consequentia. Et re quidem vera: Quidquid est de vera utriusque genealogiae interpretatione, *Evangelistarum mens non est,* Christum filium naturalem esse Iosephi. Uterque enim, ut probatum est, non obstante genealogia conceptum Christi docet esse virgineum. Lucas porro suam genealogiam diserte exorditur dicens: „Iesus erat . . . ., ut putabatur, filius Ioseph, ὢν ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς, Ἰωσήφ.“ Scilicet, ut ait Ambrosius (in h. l.), „puta-

---

[1]) Augustin. De consensu evang. 2, 1.

batur, quia natura non erat; sed ideo putabatur, quia eum Maria, quae Ioseph viro suo erat desponsata, generaverat". Matthaeus porro absoluta genealogia statim gradum facit ad conceptum virgineum enarrandum dicens: „Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto etc." (1, 18). Quorum nexum cum praecedente genealogia sic explicat Chrysostomus: „Ne audiens ‚virum Mariae' putares communi naturae lege Christum natum esse, adverte quomodo ea addat quae opinionem istam corrigant; audisti, inquit, virum, audisti matrem, audisti nomen puero datum, audi etiam generationis (γεννήσεως) modum."

Cur igitur Iosephi posita est genealogia, si ipse nihil ad Christi conceptionem contribuit? Responsum ex his tribus intelligitur: Primo non solet Scriptura originem alicuius determinare ex matris genere.[1]) Secundo etiam Mariam ex familia David ortum duxisse certum est, quod quidem nonnulli probant quia, ut aiunt, Maria uti filia haeres viro propriae tribus desponsata esse debebat, quod porro concluditur inde quod cum Ioseph in Bethlehem ad censum agendum profecta est, quod probabiliter diserte enuntiatur Luc. 1, 26 sq., quod denique clare enuntiatur a Paulo dicente (Rom. 1, 3): „De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem." Tertio genealogia Iosephi merito recensetur tamquam Christi genealogia, quia inter Iosephum et Mariam virginem verum fuit coniugium, et Christus ex Iosephi legitima uxore natus iure ipso coniugii filius legitimus Iosephi habendus erat.

γ. At est *specialis* difficultas, quae genealogiam S. Matthaei spectat. Provocant sc. ad lectionem, quae huius genealogiae reperitur in *Codice Syriaco* evangeliorum, qui a. 1892 in Sinaï monte ab Agnete Smith-Lewis inventus et a. 1894 Cantabrigii editus antiquior esse existimatur editione Peschitho. Quod enim Matth. 1, 16 secundum textum Graecum et versionem Peschitho legitur: „Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus" — id in Codice illo Syriaco sic habet: „Iacob genuit Ioseph, cui

[1]) Sic Hieronymus et alii. — „Wenn man sich gegen die evangelischen Berichte von dem wunderbaren Ursprunge Iesu auf die Geschlechtsregister als solche Dokumente beruft, welche die Vaterschaft Iosephs voraussetzen, so vergisst man, dass in Israël das Erbrecht des Sohnes sich nicht von der Mutter, sondern vom Vater aus bestimmte, mochte dieser im natürlichen oder nur — wie hier — im rechtlichen Sinne Vater sein. Deshalb wird in der evang. Geschichte wiederholt die Davidsohnschaft Iosephs betont, weil sich dadurch die rechtliche Angehörigkeit Iesu zum Davidischen Hause vermittelte." (Luthard, Vorträge 2, 256.)

desponsata erat Maria virgo. Genuit Iesum qui vocatur Christus."[1]) Iam aiunt: hoc ,genuit' (אולד) est 3 sing. masc., ergo subiectum eius est Ioseph.

At vero imprimis animadvertendum est, textum ipsum Codicis Syro-Sinaitici non omnino liquere. Reperitur enim punctum ante ,genuit'; ut autem hoc ,genuit' rite referatur ad Iosephum, ex legibus grammatices debet praecedere pronomen demonstrativum: tale autem pronomen in textu desideratur. Porro nequit certe textus huius, quicunque sit sensus, talis adhiberi interpretatio, ut cum textu graeco committatur, utpote qui eruditis plerisque consentientibus potioris est et antiquitatis et auctoritatis. Genuinitate porro textus supposita sunt qui lectionem illam ab Ebionitis introductam fuisse velint.[2])

Verum etiamsi lectionem illam genuinam esse quis contenderit, nihilominus nullum ex ea argumentum efficax contra Christi conceptum virgineum colligi posse probabimus. Et sane:

In genealogiis termini ,genuit' et ,filius' usurpantur, etiamsi paternitas non sit nisi *indirecta*, quemadmodum 1 Esdr. 7, 3 Maraioth pater dicitur esse Azariae, quamquam inter utrumque sex interposita sunt membra, et in ipsa hac nostra genealogia plura membra v. g. inter Ioram et Oziam subintelligenda omissa sunt; adhibentur, quin distinguatur filiatio naturalis et *legalis*, quemadmodum Luc. 3, 23 Heli dicitur pater Iosephi, quamquam eius pater non erat nisi legalis, et in ipso etiam Codice nostro Matth. 1, 12 Iechonias dicitur genuisse (אולד) Salathiel, quamquam hic illius non est filius nisi legalis.[3]) Ergo

[1]) Etiam Italae aliqui Codices habent: „Iacob genuit Ioseph, cui desponsata virgo Maria genuit Iesum qui dicitur Christus." Codex Colbertinus ante illud ,genuit' repetit ,Maria'.

[2]) De lectione illa haec habet *Graefe* (Theolog. Studien und Kritiken. 1898, p. 125): „Es ist merkwürdig, dass die Witwe Lewis und ihre Begleiter Burkitt, Bensly und Rendel Harris erst nach der Heimkehr in England auf den ebionitischen Sinn dieses Textes aufmerksam wurden; es könnte nicht schaden, wenn er noch einmal genau photographirt würde. Er ruht auf zwei Augen, die sich schon geschlossen haben! Immerhin kann ich dieser widerspruchsvollen Rezension einen Quellenwert nicht beilegen, weil nach dem ganzen Zusammenhang auch in diesem Syrer das Geheimnis der Geburt Christi anerkannt wird. Der widerspruchsvolle Ausdruck der Genealogie scheint einfach eine Gedankenlosigkeit zu sein, wenn nicht ein Schreibfehler vorliegen sollte . . . . Mir ist es wahrscheinlich, dass der Text des Syrus Ludovicus nur eine Verstümmelung der Italaform enthält (etwa Auslassung des zweiten Μαριάμ in der Vorlage). Also brauchen wir den Glauben an die wunderbare Geburt des Heilandes um dieser *einen* Handschrift willen nicht preiszugeben." Cf. etiam ,Texte u. Untersuchungen' 10, 5 p. 197.

[3]) In illud Luc. 3, 23 „Ioseph qui fuit Heli" haec habet Augustinus (De cons. evg. 2, 3, 6): „Quamquam si etiam Lucas *genitum* diceret Ioseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet . . . neque enim absurde quisque dicitur non carne, sed caritate genuisse, quem filium sibi adoptaverit."

ex verbo ,genuit', nequit certo definiri, qualis inter Iosephum et Iesum paternitas intercedat.

Iam vero verbo ,genuit' *non posse* in contextu nostro intelligi paternitatem naturalem patet. Nam primo immediate praecedit, Mariam fuisse virginem (בתולתא). Secundo in immediate subsequentibus legitur: „Christi autem generatio (ילדה) sic erat: cum Maria, mater eius, desponsata esset Ioseph, quamquam non convenerant, inventa est praegnans de Spiritu Sancto . . . Ioseph . . . voluit dimittere eam . . . Angelus Domini apparuit in visione ei dicens: . . . quod ex ea genitum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem tibi[1]) filium . . . Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam Isaiam dicentem: ecce virgo concipiet et pariet filium . . ." Iam vero quot versus, tot argumenta Iosephi paternitatem naturalem excludentia. Demum Luc. 3, 23 Codex noster haec habet: „Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut nominabatur, filius Ioseph." [2])

3. Ex *Ecclesiae* antiquissima et universalissima praedicatione.

a. In *Symboli Apostolorum* omnibus omnino editionibus conceptus Christi virgineus clare exprimitur. Forma antiquissima Romana [3]) haec habet: „εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν κύριον ἡμῶν, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου." [4]) Reliquae formae similia prorsus habent. [5])

b. Ex *Patribus* vetustissimis dogma virginei conceptus luculenter probatur.

Iustinus M. Messiae conceptum virgineum et contra Gentiles et contra Iudaeos propugnat. Contra *Gentiles* animadvertit, quod „Iesum natum ex virgine tenemus", id ipsis non adeo posse videri mirum,

---

[1]) Quod ,tibi' in solo Codice nostro legitur.

[2]) Auctor libelli ,Geboren von der Iungfrau von P. R.' primitus in ,Preussischen Iahrbüchern', deinde separatim editi, qui totus in eo est, ut virgineum Christi conceptum evertat, fatetur: „Auf die Genealogie folgt von Vers 18 ab die ganz *unmissverständlich* erzählte *jungfräuliche* Geburt, und auch sonst findet sich in der ganzen Handschrift an keiner Stelle eine Spur davon, dass man dort, wo sie gebraucht wurde, die jungfräuliche Geburt beanstandet hätte." Existimat vero auctor iste, nos hic in „aenigmate" versari. Aenigma utique est insolubile, si cum ipso conceptum virgineum negaveris; aenigma nullum est, si ex superioribus Iosephi paternitatem explicaveris fuisse tantum legalem.

[3]) Symbolum hoc Romanum Caspari (Quellen zur Gesch. des Taufsymbols 3, 3 sq.) ante annum 150 in ecclesia Romana iam notum et probabiliter ex oriente Romam translatum fuisse probat. Cui assentitur A. Harnack (Patr. Apost. 1, 2 p. 116).

[4]) A. Harnack (Dogmengesch. 1, 131) dicit operae pretium esse ut animadvertatur, partum virgineum hic primo loco poni.

[5]) Cf. Denzinger, Enchir.

quia habeat „id commune cum Perseo“ [1]); argumentum vero christianis fidei suae esse prophetarum libros, in quibus „praenuntiatum reperimus Iesum Christum nostrum advenientem atque ex virgine nascentem“; ac symbolum quidem esse „sanguinem uvae“, de quo Gen. 49, 11, quique significat, „eum qui appariturus erat, sanguinem quidem habiturum, sed non ex humano semine, verum ex divina virtute (quemadmodum enim uvae sanguinem non homo facit, sed Deus, ita et hic sanguis significabatur non ex humano sanguine, sed ex virtute Dei futurus)“; prophetiam porro huius mysterii esse illam de „stella exorta et flore ascendente e radice Iesse“, speciatim vero illam Is. 7, 14: „Ecce virgo in utero concipiet“. De qua postrema haec scribit Iustinus: „Illud «ecce virgo concipiet» significat absque concubitu concepturam; nam si cum aliquo consuevisset, non iam esset virgo: sed virtus Dei superveniens virgini obumbravit eam fecitque ut tum, cum esset virgo, praegnaret.“ [2]) Contra *Iudaeos* Iustinus animadvertit, apud Is. 7, 14 non legendum esse „ecce adolescentula“, sed „ecce virgo“; et rem sic probat: „Si ille non erat ex virgine nasciturus, quis tandem ille est, de quo Spiritus Sanctus clamabat: «Ecce Dominus ipse nobis dabit signum: ecce virgo in utero concipiet et pariet filium?» Nam si hic quoque perinde ac alii omnes primogeniti ex concubitu oriturus erat, cur Deus ipse signum, quod minime omnibus primogenitis commune esset, daturum se dicebat? . . . Quasi vero res magnae significarentur, si mulier ex concubitu paritura esset etc.“ Ceterum rei huius quamvis mirae Iustinus analogiam docet esse originem „Evae ex costa Adae, et omnium animantium ex verbo Dei“. [3]) Denique rei certissimum argumentum significat esse narrationem evangelicam de Iosepho Mariam dimittere volente et angelo ei asserente, „ex Spiritu Sancto esse quod illa in utero habebat“. [4]) — *Irenaeus* de vaticinio Isaiae et narratione evangelii eadem fere habet ac Iustinus. [5]) Praeterea aliquod rei argumentum videt in Ps. 131, 11, ubi Davidi Christus praedicitur futurus „de fructu ventris eius“, „non de fructu lumborum eius“; in Dan. 2, 34, ubi propheta eius adventum vaticinatur tamquam „lapidem sine manibus abscissum“; in Is. 28, 16, ubi Deus ipse ac solus in fundamentis Sion ponit „lapidem pretiosum“; in Exod. 7, 9, ubi virga a Moyse in terram proiecta „incarnata“ est. Irenaeus demum haec profitetur: „Qui nude tantum hominem eum (Christum) dicunt ex

---

[1]) Iustin. Apol. 1, 22.
[2]) Iustin. l. c. 31, 32, 33.
[3]) Iustin. C. Tryph. 67 sq.
[4]) Iustin. l. c. 78.
[5]) Iren. Adv. haer. 3, 21.

Ioseph generatum, perseverantes in servitute pristinae inobedientiae moriuntur . . . .; ignorantes autem eum qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere eius quod est vita aeterna.“ [1]) — *Ignatius* haec profitetur: „Deus noster Iesus Christus conceptus est ex Maria secundum dispensationem Dei ex semine quidem David, Spiritu autem Sancto.“ [2]) — *Tertullianus* inter alia haec habet: „Verbum delatum ex Spiritu Patris Dei et virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero eius et ex ea natum exisse Iesum Christum.“ [3])

Sed opus non est, ut ex Traditione plura huius dogmatis testimonia afferantur. Fatentibus enim adversariis Maria in Ecclesia nunquam non agnoscebatur virgo, virgo simpliciter dicta, ἀειπαρθένος. „Quis, quaerit Epiphanius, unquam aut in qua generatione ausus est pronuntiare nomen Mariae, quin interrogatus continuo subiiceret appellationem Virginis?“ [4])

4. Ex *ratione theologica* iam a Patribus ostenditur conceptus virginei, ne dicamus necessitas, summa saltem congruitas.

S. Thomas omnes convenientiae huius rationes ad quatuor revocat [5]): „Primo conveniens erat propter mittentis *Patris* dignitatem conservandam: cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens, quod alium patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium.“ — Quam rationem sic evolvit Tertullianus: „Si ex Deo Patre est, utique non est ex homine patre; si non, et ex homine (nihilominus est), superest ut ex homine sit matre. Si ex homine, iam apparet quia ex virgine; cui enim homo pater non datur, nec vir matri eius deputabitur; porro cui vir non deputabitur, virgo est. Ceterum duo iam patres habebuntur, Deus et homo, si non virgo sit mater.“ [6])

„Secundo, prosequitur S. Thomas, hoc fuit conveniens proprietati ipsius *Filii* qui mittitur, qui quidem est *Verbum* Dei: verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur, quinimo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur; quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur.“ — Huc spectat quod habet Ambrosius: „Divinitatis est filius; divinitatis, inquam, incorruptae, integrae, illibatae. Intelligo plane mysterium. Ideo enim secunda nativitas per immaculatam Mariam, quia prior

[1]) Iren. l. c. 19.
[2]) Ignat. Ad Eph. 18.
[3]) Tertull. De praescr. 13.
[4]) Epiph. Haer. 78, 6.
[5]) Cf. S. Th. 3 q. 28 a. 1.
[6]) Tertull. Adv. Marc. 4, 10.

per divinitatem constiterat illibata, ut cui prior nativitas gloriosa exstitit, eius secunda contumeliosa non fieret, hoc est, ut, quemadmodum virgo illum divinitas ediderat, ita eum et virgo Maria generaret.“ [1])

„Tertio hoc fuit conveniens dignitati *humanitatis* Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur: non poterat autem esse quod in natura iam corrupta ex concubitu caro nasceretur sine infectione originalis peccati.“ — Unde Tertullianus: „Nec Adam ex semine caro, quod et Christus.“ [2]) Et Ambrosius: „Ex terra virgine Adam, Christus ex virgine.“ [3])

„Quarto propter ipsum *finem* incarnationis Christi, quae ad hoc fuit, ut homines renascerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo, id est, ex ipsa Dei virtute; cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi.“ — Hinc Augustinus: „Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia: nam ipsa quoque mater et virgo est, mater visceribus caritatis, virgo integritate fidei.“ [4]) Et Leo M.: „Originem, quam Christus sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis: dedit aquae quod dedit matri; virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus Sancti, quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.“ [5])

Atque haec quidem de rationibus, propter quas Christus ex virgine debuit nasci: liquet profecto inde, *quanti* hoc dogma virgineae Christi conceptionis et sit et in Ecclesia semper existimatum fuerit esse *momenti*. [6])

2. Maria fuit virgo *in* partu.

1. Ex *Scriptura* hoc dogma probatur.

Is. 7, 14 et Matth. 1, 23 *virgo pariens* non minus dicitur et prodigium exhibetur quam praegnans. — „Ab Isaia edoctus es de innupta matre, de carne carente patre, de parturitione doloris experte, de partu non inquinato.“ [7])

Ezech. 44, 2 sq.: „Porta haec clausa erit; non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi.“ — Quorum verborum sensus litteralis est: ut templi cultusque sanctitati consulatur, portam templi

[1]) Ambros. Sermo de Nativ. 6 (al. 16), 4.
[2]) Tertull. De resurr. carn. 49.
[3]) Ambros. In Luc. 7, 4.
[4]) Augustin. Sermo 192, 2.
[5]) Leo M. Sermo de Nativ. 24, 11.
[6]) Cf. Scheeben, Dogm. 3, 923 sq.; ‚Pastor bonus‘ 1895, 73 sq., ubi quae recentissime a Protestantibus obiiciuntur, a Knabenbauer refutata sunt.
[7]) Gregor. Nyss. Or. 1 de resurr.

orientalem soli principi epulas sacrificales ibi celebranti aperiendam esse. Verum Patres plurimi Mariae perfectissimam virginitatem iis significari vel innui docent. Hieronymus haec habet: „Pulchre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, Mariam virginem intelligunt quae et ante partum et post partum virgo permansit.“ Imo etiam in partu ipso virginitatem Mariae servatam fuisse illis verbis expressum existimant. Sic v. g. Ambrosius: „Quae est haec porta nisi Maria, ideo clausa, quia virgo? Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu et genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.“ [1]) — Quodsi quaeratur, quo iure Patres illa prophetae verba de Mariae virgineo partu interpretati fuerint, quamquam in illis verbis nec vaticinium nec proprie dictum typum situm esse concedendum videtur, non tamen solam accommodationem dicendam esse putamus, sed interpretationem quam sensus consequentis vocant. Videlicet: „ratio quae affertur cur ea porta nemini pervia esse debeat, ea est adeoque in universum profertur, ut ad aulam virginalem matris Messiae congruo modo et ex pari causa valere iure merito dici possit vel etiam debeat . . . Dignitas illius in quam Spiritus Sanctus supervenit et quam virtus Altissimi obumbravit et quae lumen aeternum mundo effudit, talis esse perhibetur exemplo portae huius et hoc praecepto divino de claustro perpetuo, ut ea ab omni consortio longissime abesse debuerit, idque quam maxime saltem decuerit.“ [2])

2. *Patres* Mariae partum virgineum, quamvis non aeque frequenter, non secus ac eius virgineam conceptionem affirmant. [3])

Irenaeus virgineum partum saltem innuisse videtur cum scribit: „Filius Dei, filius hominis purus pure aperiens vulvam eam, quae regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit.“ [4]) Clemens Alexandrinus Mariam non solum docet sine viri congressu concepisse, sed agnoscit etiam virginitate integra peperisse, ita ut post partum inveniretur virgo. [5]) Augustinus rem probat, tum quod „matri omni-

---

[1]) Ambros. De instit. virg. 1, 8.

[2]) Knabenbauer in Ezech. 44, 2.

[3]) *Tertullianus* (De carne Chr. 23) et *Origenes* (Hom. 14 in Luc.), Deiparae conceptionem virgineam clarissime propugnantes, videri possunt partum virgineum negare. Verum ita explicari poterunt, ut vulvam apertam esse eo solum sensu affirment, ne vera Mariae maternitas veraque Christi secundum carnem nativitas docetarum errore in dubium vocetur.

[4]) Iren. Adv. haer. 4, 23.

[5]) Clem. Alex. Strom. 7, 16.

potens Filius nullo modo virginitatem abstulit, quam nasciturus elegit"[1]), tum inde quod, „si Christo nascente corrumperetur Mariae integritas, iam non ille de virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de virgine tota confiteretur Ecclesia".[2]) Mariam sine dolore peperisse asserunt crebro, Ambrosius, uterque Gregorius etc.[3]) Damascenus, Patrum Graecorum doctrinam complexus, rem et affirmat et declarat: „Quemadmodum ille, qui conceptus fuit, eam, quae conceperat, virginem servavit: sic nascendo virginitatem illius incolumem custodivit, solus per eam transiens clausamque servans".[4])

Patres rem *supra* naturae limites esse docent; ut vero aliquatenus miraculum explicent, variis utuntur *analogiis*. Provocant ad exemplum *fructus* maturi ultro ab arbore illaesa cadentis (Cyprian.), *rubi* ardentis, qui non consumebatur (Ambros.), *sideris* absque sui laesione vel corruptione radium emittentis (Bernard.), *lucis* innocuo tramite vitrum ingredientis et penetrantis (Ambros.), *fontis* purissimi, ex quo Patris facies, qui est Filius, impressa refulget (Richard. a S. Laur.), *manna*, quod subtile ac splendidum et purissimum manens odorem generavit suavissimum (Maxim.), *epistolae*, quam obsignatam Deus ipse scripsit, quaeque, quin sigillum solveretur, lecta est (Off. Syr.), denique *corporis spiritualis* e sepulcro obsignato per ostia clausa transeuntis (Augustin.).

3. Ex *ratione theologica* res et suadetur et aliquo modo declaratur.

„Hoc conveniens fuit propter tria. Primo quidem, quia hoc competebat proprietati eius qui nascebatur, qui est *Verbum* Dei: nam verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit: unde ut ostenderetur quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit ut de incorrupto virginis utero nasceretur. Secundo hoc est conveniens quantum ad *effectum* incarnationis Christi; nam ad hoc venit ut nostram corruptionem tolleret: unde non fuit conveniens, ut virginitatem matris nascendo corrumperet. Tertio fuit conveniens, ne *matris* honorem nascendo diminueret qui parentes praeceperat honorandos."[5])

3. Maria mansit virgo *post* partum.

1. Ex *Scriptura* nihil afferri potest, quod obstet.

a. Provocant adversarii ad illud Matth. 1, 18 sq.: „*Antequam convenirent* . . .; et non cognoscebat eam *donec* peperit filium suum *primogenitum*" (cf. Luc. 2, 7).

---

1) Augustin. Sermo 188.
2) Augustin. Enchir. 34.
3) Cf. Knabenbauer in Luc. 2, 7.
4) Damasc. De fide 4, 14.
5) S. Th. 3 q. 28 a. 2.

Respondetur: α. Verbum conveniendi (συνελθεῖν) de habitatione in eadem domo sumendum est, ita ut sensus sit: antequam nuptiarum solemnia rite celebrarentur.

β. Quodsi illud verbum de congressu maritali accipiatur, „non sequitur, ut postea convenerint, sed Scriptura quod factum non sit ostendit". [1])

γ. „Mos divinarum Scripturarum est, ut *primogenitum* vocent non solum eum quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit: alioquin si non est primogenitus, nisi quem sequuntur fratres, tamdiu secundum legem primogenita non debentur, quamdiu et alia fuerint procreata: quod patet esse falsum, cum intra unum mensem primogenita redimi mandarentur secundum legem." [2])

b. *Urgent:* in Evangelio (Matth. 13, 55; Marc. 6, 3) *fratres* et *sorores* Domini commemorantur.

Resp.: Pluribus modis in Scripturis fratres dicuntur: sc. natura, gente, cognatione, affectu. Iam vero fratres Domini dicti sunt non secundum naturam, quasi ab eadem matre nati, sed secundum cognationem, quasi consanguinei. Et sane:

α. Tum vox graeca ἀδελφός tum vox hebraica אָח et potest significare quemcumque consanguineum et frequenter significat (Gen. 14, 16; 4 Reg. 10, 13).

β. Argumenta in thesi allata, maxime vero unanimus Patrum consensus, non admittunt aliam in quaestione nostra fraternitatis significationem. [3])

2. *Patres* rem ut certissimam habent.

a. Doctrinam Antidicomarianitarum Patres vocant haeresim, temeritatem, insaniam, sacrilegium, blasphemiam, iudaicam perfidiam.

b. Probant rem tum ex revelata dignitate Deiparae, tum ex appellatione emphatica Virginis (ἀειπαρθένος), tum ex Mariae proposito virginitatem illibatam servandi, tum ex figuris propheticis, tum ex historia matris commendatae Ioanni, tum denique ex con-

---

[1]) Hieronym. In Matth. 1. — Idem Hieronymus contra Helvidium haec habet: „‚Usque' et ‚donec' dupliciter potest intelligi: quandoque designat certum tempus, quandoque vero significat infinitum tempus . . . ut si dixerimus: Helvidius antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est, non sequitur, quod post mortem poenitentiam egerit" (Hieronym. C. Helvid. 3).

[2]) S. Th. 3 q. 28 a. 3 ad 4.

[3]) Ἀδελφοί Domini dicuntur fuisse Iacobus, Ioseph, Simon, Iudas (Matth. 13, 55, cf. Luc. 8, 19 sq. et alibi). — Quo vero gradu hi Christi fuerint consanguinei, interpretes disputant. Alii ex vetustioribus evangelium aprocryphum Petri secuti eos ex matrimonio aliquo priore Iosephi ortos fuisse existimant alii eorum patrem Cleopham seu Alphaeum (cf. Gal. 1, 19) fratrem Iosephi, fuisse putant, alii cum Hieronymo ex Ioan. 19, 25 Mariam Cleophae, illorum matrem, Beatae Virginis sororem fuisse dicunt.

stanti traditione. „Numquid, ita Hieronymus alloquitur Helvidium, non possem tibi totam veterum scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Iustinum Martyrem multosque alios apostolicos et eloquentes viros?" [1])

3. Ex *ratione theologica* multipliciter ostenditur summa rei congruitas.

Error detestandus Helvidii „primo derogat *Christi* perfectioni, qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia filius eius, ita decuit ut esset unigenitus matris, tamquam perfectissimum germen eius. Secundo hic error iniuriam facit *Spiritui Sancto*, cuius sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit: unde non decebat quod de cetero violaretur per commixtionem virilem. Tertio derogat dignitati et sanctitati *Matris* Dei, quae ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. Quarto etiam ipsi *Ioseph* esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam quam revelante angelo de Spiritu Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret." [2])

SCHOLION **1.** Si quaeratur *quomodo* virgineus conceptus Christi intelligendus sit, imprimis tenendum est quod Ambrosius dicit: „Multa in hoc mysterio et secundum naturam invenies et ultra naturam." [3]) Quae S. Thomas sic explicat: „Si consideremus id quod est ex parte materiae conceptus, quam mater ministravit, totum est *naturale*. Si vero consideremus id quod est ex parte virtutis activae, totum est *miraculosum*. Sed quia unumquodque magis iudicatur secundum formam quam secundum materiam, . . . inde est quod conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa et supernaturalis sed secundum aliquid naturalis." [4]) — Circa alias hac de re quaestiones accuratiores, praesertim quid proprie Mariae Virginis ad Christi corpus formandum contulerit concursus S. Bonaventura sapienter monet, non oportere ut in his curiosius immoremur: „tum quia homo habere debet munda labia in tali materia; tum etiam quia certitudinem non habet ex se nec verbis sanctorum videtur multum consonare: unde stultum est in talibus velle ita curiose singula pertractare; hoc tamen sufficiat dixisse, videlicet quod Virgo ministravit materiam aptam generationi Filii Dei secundum carnem." [5])

---

[1]) Hieronym. C. Helvid. 17.

[2]) S. Th. 3 q. 28 a. 3.

[3]) Ambros. De incarn. 6.

[4]) S. Th. 3 q. 33 a. 4.

[5]) S. Bonav. 3 dist. 4 a. 3 q. 1. — Veteres secundum diversa, quibus adhaerebant, physiologiae placita diverse huic quaestioni satisfacere nitebantur. Qui, ut S. Thomas, cum Aristotele opinabantur, matrem in generatione humana tantum *passive* concurrere, B. Virginem in conceptione ipsa nihil active operatam esse docent, sed solam materiam ministrasse (cf. S. Th. 3 q. 32 a. 4);

Similiter respondendum erit, quando quaeritur, in *qua accurate re* partus Mariae virgineus constiterit; sc. quidquid illud est, in quo virginitatis materialis essentia sita sit, de qua re nobis investigandum non est[1]), illud certe in B. Virgine filium suum pariente servatum fuisse credamus oportet, et „dicendum est, quod omnia ista facta sunt miraculose per virtutem divinam". [2])

2. Postquam de *physico* B. Virginis ad incarnationem exhibito concursu dictum est, dicenda aliqua videntur de eius concursu veluti *morali*, sc. de *assensu* Deo opus illud facienti et angelo nuntianti ab ea praestito. Cuius assensus aliquam necessitatem, non sane proprie dictam, sed summae convenientiae sic ostendit S. Thomas: „Congruum fuit B. Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura. Primo quidem ut servaretur congruus ordo coniunctionis Filii Dei ad Virginem, ut sc. prius mens eius de ipso instrueretur quam carne eum conciperet; unde Augustinus dicit: «Beatior est Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi», et postea subdit: «Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset». [3]) Secundo ut posset esse certior testis huius sacramenti, quando super hoc divinitus erat instructa. Tertio ut voluntaria sui obsequii munera Deo offerret; ad quod se promptam obtulit dicens: «Ecce ancilla Domini.» Quarto ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam; et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae." [4])

3. De *matrimonio* inter Mariam et Ioseph quamvis nihil ab Ecclesia sit definitum, verosimilius tamen est, *verum* illud matrimonium fuisse. Et re

---

qui, ut S. Bonaventura, sententiam Galeni sequuntur, matrem etiam *active* concurrere, aliquem B. Mariae Virginis concursum activum admittunt, sin minus, ut aliqui volunt, in ultimae formae inductione, saltem tamen quatenus „B. Virgo habuit virtutem sibi divinitus datam, per quam administraret materiam illi conceptui, quae non solum habuit rationem materiae sive potentiae passivae, sed etiam sufficientiam et virtutem ad prolis productionem" (S. Bonav. 3 dist. 4 a. 3 q. 1).

[1]) Iam *Damascenus* (4, 14) clare propugnans virginitatem Mariae in partu illibatam reiicit ut fabulam opinionem eorum, qui exitum alium volunt fuisse Messiae ex utero, quam qui per se naturae convenit. „Neque enim, ait, hoc ei impossibile erat, ut per portam transiret sigillis eius nulla parte labefactis." — Medio saeculo 9 inter *Paschasium Radbertum* et *Ratramnum* controversia orta est de modo, quo Christus ex Virgine natus sit. Uterque et perfectam Mariae parientis virginitatem admisit et clausum in nativitate uterum. Verum, ne virginitati illi derogetur, Radbertus censet Christum per aliam viam quam quae naturae competat editum fuisse; Ratramnus contra, ne Christi vera negetur nativitas atque adeo docetismo faveatur, existimat, via prorsus naturali, quamvis utero clauso adeoque miraculose, Christum matris uterum reliquisse. Cf. Bach, Dogmengesch. des Mittelalters 1, 152 sq.

[2]) S. Th. 3 q. 28 a. 2 ad 3; ubi Angelicus non admittit Christum nascentem dotem agilitatis assumpsisse, sed rem ad solum miraculum et virtutem Dei reducit.

[3]) Augustin. De virgin. 3.

[4]) S. Th. 3 q. 30 a. 1.

quidem vera: in genealogia legitur: „Iacob genuit Ioseph, virum Mariae“ (Matth 1, 16); angelus mittitur ad „virginem desponsatam viro“ (Luc. 1, 27); Ioseph dicitur in Bethlehem ascendisse „cum Maria desponsata sibi uxore“ (Luc. 2, 5); occurrunt porro termini: parentes, pater, mater, filius (Matth. 13, 55; Luc. 2, 27 sq., 3, 23; Ioan. 6, 42): atqui haec omnia sensu obvio intellecta probant, tum ex mente Iudaeorum tum secundum rei veritatem verum inter Iosephum et Mariam intercessisse matrimonium. — Neque obstat, quod Luc. 1, 34 legitur: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?“ Nam his verbis solum hoc patet, B. Virginem proposuisse vel etiam vovisse virginitatem, id quod una cum vero matrimonio optime componi potest.[1]) Patres porro, qui matrimonium inter Mariam et Ioseph negare videntur, ita poterunt explicari, ut ad tuendam Mariae virginitatem non tam matrimonium ipsum quam eius per copulam habitam consummationem negare dicantur. „Omne, inquit Augustinus, nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi: proles, fides et sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum, fidem, quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum divortium; solus ibi nuptialis concubitus non fuit.“[2]) — Sed quaeritur, quo tempore hoc inter Mariam et Ioseph matrimonium initum fuerit, utrum sc. illud iam constiterit tempore, quo Verbi incarnatio facta est. Controvertitur. Sententia probabilior est, quae ex iam citatis Scripturae textibus suadetur, illo tempore nondum quod penes Iudaeos solemne habebatur matrimonium quodque deductione sponsae ad sponsi domum fiebat, locum habuisse, sed sponsalia tantum. Verum animadvertere oportet, huiusmodi iam sponsalibus ex iure Iudaeorum ius collatum fuisse ad maritalem concubitum.[3])

Conveniens fuisse Christum de *desponsata* nasci virgine, Patres plurimis rationibus ostendunt, quarum hae sunt praecipuae:

Conveniens 1. propter ipsum *Christum,* ne sc. a. tamquam illegitime natus abiiceretur, b. ut genealogia eius modo consueto per virum describeretur, c. ad tutelam pueri nati, d. ut a Ioseph nutriretur; 2. propter ipsam *Virginem,* ne a. lapidaretur a Iudaeis tamquam adultera, b. ne temeratae virginitatis adureretur infamia, c. ut ei a Ioseph ministerium exhiberetur; 3. propter *nos,* a. quia testimonio Ioseph comprobatum est, Christum ex virgine natum, b. quia ipsa verba virginis matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis, c. ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam, d. quia per hoc significatur universa Ecclesia, quae cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo, e. ut in Mariae persona et virginitas et matrimonium honoraretur contra haereticos alteri horum detrahentes.[4])

---

[1]) De qua quaestione in tract. de Matrimonio.

[2]) Augustin. De nupt. et concup. 1, 2.

[3]) Cf. Zeitschrift für kath. Theologie (Oenipont.) 1888, 656 sq.

[4]) Cf. S. Th. 3 q. 29 a. 1. — Ad postremam hanc rationem haec egregie a commentatore recentiore dicta sunt: „So strenge und ein für alle Mal hat Gott den Kindersegen nur an die Ehe geknüpft, so sehr hat er bereits mit der Schöpfung des ersten Menschenpaares die Form der ehelichen Zusammengehörigkeit als Quelle alles Menschenlebens geheiligt, dass er von der sitt-

4. Sponte hic offertur occasio, ut de *S. Iosepho* aliqua dicantur.

1. *Dignitas* S. Iosephi in eo est, quod erat a. „vir Mariae", i. e. vere et proprie Mariae sponsus, omnia habens in eam iura maritalia, hinc b. Christi pater putativus, imo c. cum nomine ex vero illo matrimonio secundum legem simul habebat iura omnia paterna et officium, affectum ac sollicitudinem paternam[1]), d. erat secundum legem caput et superior Virginis et Christi ipsius ut hominis, unde e. est singularis eius erga Christum et Virginem affectus amoris, amicitiae, familiaritatis, gratitudinis.[2])

2. *Sanctitas* S. Iosephi, si *absolute* spectatur, erat, ut probat Suarezius, omnino eximia. Id quod patet a. ex munere a Deo ei collato, b. ex eo, quod iam ante matrimonium cum Virgine contractum et ante Christum natum vir iustus erat et perfectus, multo igitur magis post matrimonium illud postque Christum natum, c. ex signis sanctitatis huius in Evangelio manifestis, sc. prudentiae, fidei, obedientiae.

Quodsi S. Ioseph cum *reliquis sanctis* comparetur, Suarezius, „Non existimo, inquit, esse temerarium neque improbabile, sed pium potius et verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil est, quod repugnet, neque in Patribus aliquid reperio."[3])

---

lichen Norm selbst da nicht Umgang nimmt, wo mit der geheimnisvollen Befruchtung des jungfräulichen Schoosses irgend eine Thätigkeit des Mannes absolut unverträglich ist. Die Iungfrau also empfängt vom hl. Geiste, aber nur als die Verlobte Iosephs: ihm darum, in die Ehe mit ihrem Verlobten gebiert sie den Sohn, mit dem der Herr ihren reinen Schooss gesegnet hat." (Grimm, Das Leben Iesu 1, 121.)

[1]) Quodsi Iosephi dignitas cum *Apostolorum* dignitate conferatur, Suarezius haec statuit: „Quaedam sunt ministeria praecise pertinentia ad ordinem gratiae gratum facientis: et in hoc ordine intelligo Apostolos habuisse supremum dignitatis fastigium. Alia vero sunt ministeria, quae attingunt ordinem unionis hypostaticae, qui ex suo genere perfectior est: et in hoc ordine intelligo institutum esse ministerium S. Ioseph, et esse veluti in infimo gradu illius, et ex hac parte excedere reliqua. Unde D. Thomas dixit, Apostolos esse maiores officio Novi Testamenti, officium autem Ioseph non pertinuit ad Novum Testamentum neque proprie ad Vetus, sed ad utriusque auctorem et lapidem angularem, qui fecit utraque unum." (Suarez, Disp. 8.)

[2]) Cf. ‚Pastor bonus' 1897, 105 sq., 153 sq.

[3]) „Nihilominus tamen, ita idem Suarezius, cordati ac prudentis hominis esse existimo, nihil temere aut nimium asseveranter affirmare, quia revera, ubi deest Scripturae auctoritas aut Ecclesiae traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo in re praesertim ex divina electione ac praedestinatione pendente, cuius consilia inscrutabilia sunt et abditissima mysteria. Multo autem minus censeo esse asserenda vel credenda quaedam privilegia, quae nonnulli huic Sancto tribuunt, ut fuisse sanctificatum in utero matris, caruisse fomite vel omni actuali peccato. Haec enim et similia, quae sunt praeter generales canones Scripturae non sunt sine convincente ratione et magna auctoritate Ecclesiae vel ss. Patrum approbanda. Denique quae dona scientiae aut sapientiae aut quae gratiae gratis datae huic Sancto donatae fuerint, incertum nobis est . . . In his donis et gratiis facile credi potest, superatum fuisse hunc Sanctum non solum ab Apostolis, sed etiam ab aliis, quibus ad utilitatem Ecclesiae magis erant necessaria." (Suarez, Disp. 8 sect. 2.)

3. *Cultus* S. Iosephi saltem publicus primis saeculis non apparet. Ratio, cur et generatim sanctorum et speciatim S. Iosephi cultus ab initio parcius ageretur, erat absque dubio periculum tum labendi in idololatriam, tum calumniarum quae facile contra Virginem Deiparam imo et ipsum Christum ex cultu Iosephi peti poterant. In Oriente cultus S. Iosephi non probatur esse antiquior saeculo decimo, in Occidente saeculo octavo. Ex scriptoribus ecclesiasticis S. Iosephum laudibus eximiis prosecuti sunt primi Alcuinus et Rhabanus Maurus, postea Ioannes Gersonius, Petrus Alliacensis, Vincentius Ferrerius, Bernardinus Senensis, Ioannes Trithemius. Festus S. Iosephi dies reperitur in Breviario Fratrum Minorum saec. 14 et decreto anni 1399 ad totum ordinem extenditur; in Breviario Romano occurrit anno 1479. Magna incrementa cultus S. Iosephi cepit inde a saeculo 16, summa hoc nostro saeculo: Pius IX a. 1847 festum „Patrocinii S. Ioseph“ ad universam Ecclesiam extendit, a. 1870 eum „Patronum Ecclesiae catholicae“ declaravit.[1])

Thesis 15.

Maria ab omni peccato tum actuali tum etiam originali erat immunis.

Sanctitas cum duobus constituatur, sc. gratiae donis et immunitate a peccatis, utrumque in Maria Virgine Deipara considerare oportet. Prius de immunitate a peccatis, quae sanctitatis est pars velut negativa, dicemus. Cum vero in ordine praesenti haec immunitas a peccato non sit nisi ex gratiae infusione, eo ipso quod hac thesi illa immunitas probabitur, simul iam de gratia B. Virginis dicetur.

Duplex porro est peccatum: alterum quod a singulis propria committitur voluntate; alterum quod ab Adamo, generis nostri capite, atque adeo voluntate naturae commissum in omnes et singulos eius posteros derivari credendum est. Ab utroque peccato, sc. tum ab actuali tum etiam ab originali, Deiparam prorsus immunem fuisse, *fidei catholicae* est veritas. Immunitatem B. Mariae Virginis a peccato omni actuali, quam nemo unquam christifidelium negavit, Concilium Tridentinum (Sess. 6 can. 23) in oppositione ad reliquos homines omnes sic enuntiavit: „Si quis hominem semel iustificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio; quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia:

---

[1]) Alcuinus (c. a. 750) nomen S. Iosephi ponit in litaniis pro feria tertia. Recensetur „S. Ioseph, sponsus Mariae Virginis“ in martyrologiis Rhemensi et S. Maximini Trevirensi eiusdem temporis. Codices denique Epternacensis, Wissemburgensis, Fontanellensis, Bernensis. qui sunt ineuntis saeculi octavi in diem 13 cal. Aprilis (20. Martii) primo loco haec habent: „In Antiochia Natale S. Ioseph.“ Cf. Stimmen aus Maria-Laach 1890, 2; Studien und Mitteilungen aus dem Benediktiner- u. dem Cistercienser-Orden 1898, 571 sq.

a. s.“ Immunitatem Deiparae a culpa originali, postquam circa eam fuit aliquando in scholis catholicis controversia, tandem Pius IX in Bulla ‚Ineffabilis‘ a. 1854 sic definivit: „Declaramus, pronuntiamus et definimus: doctrinam, quae tenet, Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam.“

DEMONSTRATUR: **1.** Maria immunis erat ab omni peccato *actuali*.

1. Probatur ex *deposito fidei.*

a. Ac primo quidem ostenditur *nihil* ex fidei deposito *obstare*, quominus B. Virgo ab omni prorsus peccato credatur immunis, quamvis aliqui, ut Tertullianus, Origenes, Basilius, Chrysostomus aliquando parum commode de nonnullis Scripturae locis locuti sint.

Reprehendunt *infidelitatem*, qua peccaverit interrogando: „Quomodo fiet istud?“ At tantum abest, ut verbo illo de re ab angelo nuntiata dubitaverit, ut potius modum interrogans, quo res futura esset quidque sui foret officii, rem certo faciendam supposuerit; id quod satis probatur encomio ab Elisabeth pronuntiato: „Beata quae credidisti.“ [1])

Accusant Mariam *negligentiae*, quod filium perdiderit. Verum ipsum Evangelium eam excusat dicens: „Et non cognoverunt parentes eius.“ Quomodocunque porro factum fuerit, ut parentes puerum abesse non cognoscerent, patet Iesum ipsum et potuisse et voluisse occulte ab eis divertere; quocirca Maria interrogavit: „Fili, quid fecisti nobis sic?“

In nuptiis humana dicitur *ambitione* a filio miraculum impetrasse. At ubinam talia leguntur? Ex ipsius filii reprehensione: „Quid mihi et tibi mulier“, id dicunt concludi. Verum α. non ambitionem, sed magnam potius in filium omnia ostendunt fiduciam. „Magnam auctoritatem et dignitatem deferri sibi a Domino mater non ignoravit, quae persuaso, ut par erat, filio ministros praeparat.“ [2]) β. Christi Verba nullam praeseferunt reprehensionem. Non sane obiurgavit matrem verbo, quam facto honoravit. Verba porro Christi instructionis sunt; voluit sc. Christus, ne adstantes opus illud, quod, cum miraculum esset, ad divinitatem eius perficiendum spectabat, ex naturae vel affectu vel potestate profectum putarent. [3])

[1]) Cf. S. Th. 3 q. 30 a. 4 ad 2.

[2]) Cyrill. Alex. In Ioan. 2, 22.

[3]) Illud τί ἐμοὶ καὶ σοί et latinum „quid mihi et tibi“, seu „quid mihi tecum“ nihil aliud significat quam: nihil mihi tecum commune in hoc ne-

In morte filii Mariam *animo defecisse* dicunt, ad verba Simeonis: „Tuam ipsius animam pertransibit gladius" provocantes. At quam absurde haec sint dicta, nemo non videt. Gladius ille, de quo Simeon, non est dubium aliquod mentis vel animi inconstantia, sed summus dolor, quo animum matris filii dolores affecerunt. Quam vero in hisce angoribus Virgo fuerit constans, quam fortis, ex ipsa Scriptura manifestum est. „Stantem, ita Ambrosius, lego, flentem non lego." [1])

b. *Positive* demonstratur Mariae ab omni peccato immunitas.

Constat ea ex illo (Cant. 4, 7): „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te", quod Patres de Maria dictum interpretantur et Ecclesia ad eam applicat. Constat ex laudibus illis eximiis quibus Patres summam Virginis Deiparae puritatem ac sanctitatem extollunt; sed de his aliqua infra audiemus. Constat maxime ex luculento Augustini testimonio hanc certissimam omnium christifidelium imo et haereticorum fidem fuisse comprobante. Pelagio videlicet, ut suam de hominis perfecta iustitia doctrinam demonstret, obiicienti multos iustos V. T. sine peccato vixisse, ipsamque Domini et Salvatoris nostri matrem, „quam sine peccato confiteri necesse est pietati", Augustinus respondet: „Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quae concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possimus et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod ista dicit, an quod Ioannes Apostolus?" [2])

2. Probatur ex *ratione* theologica sc. ex summa Deiparae dignitate.

„Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei. Beata autem Virgo

---

gotio (cf. Theol. Quartalschr. 1892, 215); verum non necessario repulsam vel reprehensionem exprimit, uti patet ex Luc. 8, 28, ubi daemon Christo dicit: „Quid mihi et tibi est, Iesu Fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas."

Illud porro quod sequitur: „nondum venit hora mea" a Tatiano, Gregorio Nysseno, Knabenbauer interrogatio esse existimatur; id quod etiam ex contextu satis suaderi videtur. Hinc sensus huius loci hic erit: Christus, qui praesciens et volens facere miraculum ad nuptias venerat, matri miraculum hoc sollicitanti respondet: quid est mihi tecum, sc. ut me quid agendum sit moneas? Hora mea, qua me manifestari decretum est, iam advenit. Cf. Knabenbauer in h. l.

[1]) Ambros. De obitu Valentin.

[2]) Augustin. De nat. et grat. 42.

fuit electa divinitus, ut esset mater Dei: et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit. Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando. — Tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. 17, 6: «Gloria filiorum patres eorum»: unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundasset; tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit; tum etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero: dicitur autem Sap. 1, 4: «In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.» Et ideo simpliciter fatendum est quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit nec mortale nec veniale; ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. 4, 7: «Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.»" [1])

3. Ostenditur, *cuiusmodi* sit Mariae impeccantia.

Ea nimirum oritur imprimis non secus atque in Apostolis ex *confirmatione in gratia*, qua fit ut gratiae abundantia ac divina singulari providentia a peccato quis infallibiliter custodiatur. Oritur praeterea ex *dono integritatis*, quod, in immunitate a concupiscentia positum, Mariae non minus infra audiemus collatum existimari debet quam protoparentibus ante lapsum. Videtur demum etiam oriri ex *gratia maternitatis*, sc. ex abundantia illa gratiae ac sanctitatis quam in conceptione filii sui accepit, quaque factum est, ut quasi intrinsecus redderetur impeccabilis, quamvis saue non ea necessitate ac iure quo ipse Christus homo impeccabilis erat.

2. Maria immunis erat a peccato *originali*.

1. Probatur ex *Scriptura*.

In Scriptura plura leguntur testimonia, quibus, licet per se ipsa spectata rem non prorsus evincant, ratione tamen habita intellectus catholici, iuxta quem ea interpretari oportet, immaculatus Deiparae conceptus satis clare significari dicendus est. Testimonia duo sunt praecipua, ad quorum utrumque etiam Pius IX dogma definiens provocat.

a. „*Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*" (Gen. 3, 15).

Imprimis de textu ipso aliqua dicenda videntur. Quod in Vulgata legitur „*ipsa*", concedendum est ex hebraeo הוּא, cui suffragantur Septuaginta et omnes vetustissimae versiones, verti debere „ipsum", sc. semen vel „ipse" sc. personificando semen. Nihilominus

---

[1]) S. Th. 3 q. 27 a. 4.

sensus, quantum ad rem ipsam, sive legatur „ipse“ sive „ipsa“, idem est: tum quia sensus dogmaticus versione Vulgatae authentice expressus falsus esse nequit, tum ex materia subiecta, quia sc. seminis victoria etiam victoria mulieris est, et mulieris victoria tandem aliquando tota est ex victoria seminis. Discrimen solum est in modo eandem rem exprimendi, et lectio Vulgata authenticam huius rei interpretationem explicite enuntiat. — Quod in Vulgata legitur „*conteret*“ et „*insidiaberis*“, hoc utrumque in textu hebraeo uno verbo שׁוּף exprimitur, ita ut in utroque casu una eademque res dicenda sit significari. Apte tamen Vulgata hanc rem prae duplice diverso subiecto, de quo praedicatur, sc. semine et serpente, duplice verbo diverso exhibet; cum nimirum de semine capiti serpentis lethale vulnus infligenti congrue dicatur „conteret“, et serpentis morsus, qui lethalis non est, potius per „insidias“ exprimatur. — „*Serpens*“ est idem qui antea Evam tentavit, sc. serpens utique naturalis, sed non tam ut talis quam ut instrumentum diaboli intus latentis et ipse hic diabolus tentator et peccati auctor. „*Semen serpentis*“ sensu obvio est progenies serpentis; atque adeo in hoc contextu, ubi per serpentem maxime diabolus intelligitur, sensu translato omnes daemones. „*Mulier*“ הָאִשָּׁה per se eadem est quae in tota narratione, sc. Eva; verum Eva intelligitur, quae hoc vaticinio ipso inimica iam constituitur diaboli. „*Semen mulieris*“ est tota mulieris illius posteritas atque adeo genus humanum universum; in quo tamen semen aliquod a muliere distingui ac proinde eminere videtur.

Iam vero his positis duo circa hoc vaticinium probantur: *primo* illud messianicum esse, *secundo* in eo Mariae de daemone talem praedici futuram victoriam, quae in ea omne ipsumque originale excludat peccatum. Atque haec quidem illo vaticinio praedici affirmamus. Non tamen opus est ut protoparentes haec iam clare et distincte intellexisse existimentur; intellexerunt sane, agi de eximio aliquo futuro eventu, quo genus humanum in ipsis lapsum per hominem aliquem redimendum foret.

α. Ad *primum* quod spectat, ex dictis sensus vaticinii hic est: inimicitiae veri nominis praedicuntur extremae et perpetuae inter genus humanum et serpentem seu diabolum, inimicitiae vero tales ex quibus, cum utrinque aliquod inferatur damnum, tandem sequetur perfecta de diabolo victoria a semine mulieris reportanda. Atqui victoriae huius non universum genus humanum, sed unus quidam ex hoc genere debebat esse auctor. Hoc enim iam ipso textu suadetur, cum prae muliere semini eius potius promittitur victoria; hoc etiam mox post vaticinium editum ex universali generis humani

ruina subsequente erat manifestum et variis etiam gentium traditionibus significabatur; hoc denique eventu luculentissime probatum est, cum Redemptor noster alius non exstiterit nisi solus Christus. Ergo vaticinium *messianicum* est et merito *protoevangelium* vocatur. Atque hunc in sensum illud etiam veteres Hebraei (sc. Chald., Targ. Hier. etc.) communiter interpretati sunt.

β. *Secundum* illud patet, si „semen", quod imperium diaboli destructurum praedicitur, Christus est, „mulierem", cuius hoc semen est, esse Christi matrem *Mariam*. De Maria etiam hoc accipiunt Vulgata diserte vertens „ipsa", atque adeo in illa lectione contentus ipse Ecclesiae sensus vetustissimus et universalissimus. De Maria illud praeterea intelligunt ex Patribus antiquissimis Iustinus [1]), Irenaeus [2]), Cyprianus [3]), Epiphanius [4]) etc.

Verum non qualiscunque inter Mariam et diabolum praedicitur futura inimicitia nec qualiscunque Mariae de diabolo reportanda victoria, sed talis qua omne prorsus in Maria Deipara excludatur peccatum, etiam *peccatum originale*. Et sane: *Simpliciter* dicitur futura esse Deiparae contra serpentem inimicitia; at talis inimicitiae, quousque non probatur limitatio, praesumitur universalitas. Inimicitia porro mulieris describitur *specialis*, qualis non erit ullius alterius hominis; at inimicitia, quae sola ponatur in immunitate a peccatis actualibus, est multorum, omnium sc. baptizatorum ante usum rationis morientium. Inimicitia praeterea statuitur a Deo ut *ultio* in daemonem, peccati originalis auctorem („quia fecisti hoc"); at ultio haec illusoria fuisset, si ea, quacum dicitur habiturus inimicitiam, et ipsa originali peccato esset obnoxia. Deipara denique cum Christo in ordine hoc reparationis exhibetur ut *unum aliquod totum*, ita ut et ipsi Deiparae aliqua in hoc ordine adseratur causalitas instrumentalis et eadem plane significetur tum Christi tum Deiparae contra daemonem inimicitia: at haec dici non possent, si Mariae vel uno instanti cum daemone fuisset consortium. Unde merito Bulla ‚Ineffabilis' de testimonio hoc haec testatur: „Divino hoc oraculo clare aperteque demonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, sc. unigenitum Dei Filium Christum Iesum ac designatam Beatissimam eius matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insignitur expressas . . . sic sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum eo coniuncta una cum illo et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exer-

---

[1]) Iustin. C. Tryph. 100.
[2]) Iren. Adv. haer. 3, 22; 5, 21.
[3]) Cyprian. C. Iud. 2, 9.
[4]) Epiphan. Haer. 58, 18.

cens ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit."

b. „Et ingressus angelus ad eam dixit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* Χαῖρε, κεχαριτωμένη. ὁ κύριος μετὰ σοῦ [εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν]" (Luc. 1, 28). „Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth et exclamavit voce magna et dixit: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui,* Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου" (Luc. 1, 41 sq.).

De textu ipso haec animadvertantur: Maria hic salutatur: κεχαριτωμένη. In N. T. χάρις est gratia divina, quod etiam ex angeli explicatione patet: „invenisti enim gratiam apud Deum". Verbum χαριτόω ex ipsa sua forma significat: gratia cumulare vel plenum reddere; unde Vulgata, Itala, Syrus illud κεχαριτωμένη merito verterunt: gratia plena. Nomen vero hoc Mariae ab angelo tribuitur antonomastice, loco sc. nominis proprii, tamquam ipsa singulariter imo sola vocanda sit gratia plena. Ex huiusmodi gratiae plenitudine sponte deinde sequitur, quod specialissimo modo Dominus cum ea sit et quod ipsa sit benedicta in mulieribus, i. e. plus quam omnes mulieres. Animadvertatur praeterea, angelum haec non veluti adprecando dicere, sed affirmando; idque antequam Christus in ea concipiatur, ita ut bonum praesens ei gratuletur, illud sc. bonum quo, ut digna Dei mater esset, Deus ipse eam praeparavit. Hinc merito de tota hac angelica salutatione haec habet Origenes: „Id quod ait: Ave, gratia plena, ubi in Scripturis alibi legerim non recordor. Sed neque ad virum istiusmodi sermo est: Salve, gratia plena. Soli Mariae haec salutatio servatur. Si enim scisset Maria et ad alium quempiam similem factum esse sermonem, habebat quippe legis scientiam et erat sancta et prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat, nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset." [1])

Quibus declaratis facile perspicitur, illa salutatione Mariae sanctitatem prorsus *eximiam* significari, quaeque sit talis qua etiam perfecta eius ab omni peccati labe includatur immunitas. Et sane: Maria hic simpliciter tamquam appellatione propria vocatur a Deo κεχαριτωμένη i. e. plenitudine gratiae cumulata tantaeque gratiae, ut digna redderetur Deipara; atqui gratiae plenitudo perfecta quodvis excludit instans peccati. Porro virginem salutatam patet esse ipsam mulierem protoevangelio a Deo *promissam;* quamobrem gratiae plenitudo quae ei asseritur tanta sit oportet, ut inde plena ac perpetua illi intelligatur esse praedicta contra daemonem inimicitia. —

1) Origen. In Luc. hom. 6, 16.

Hac ratione *Patres* intelligunt salutationem angelicam, cum eam vocant prorsus novam et in ea explicanda antithesim instituunt inter Mariam et Evam. „Ave, quia per te mutabitur nomen Evae: illa fuit plena peccato, sed tu plena gratia; illa recessit a Deo, sed Dominus tecum; illa fuit maledicta in mulieribus, sed tu benedicta; per illam mors intravit in orbem, sed per te vita rediit ad orbem.“ [1]) Hinc merito salutatione illa nunquam alias audita Pius IX in Bulla ‚Ineffabilis‘ docet „ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorundem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum, adeo ut nunquam maledicto obnoxia et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: Benedicta tu inter mulieres.“

2. Probatur ex Ecclesiae perpetua *Traditione.* [2])

a. Ad *Patres* quod spectat, huc pertinet illa inter *Evam* et *Mariam* instituta comparatio, qua tantopere delectantur.

Sic Iustinus: „Filium Dei intelligimus ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet: Eva enim cum virgo esset et incorrupta sermone serpentis concepto inobedientiam et mortem peperit; Maria autem Virgo, cum fidem et gaudium percepisset, nuntianti angelo Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum . . . respondit: Fiat mihi secundum verbum tuum.“ [3]) Irenaeus: „Quemadmodum illa (Eva) per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum praevaricata verbum eius: ita et haec (Maria) per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum obediens eius verbo; et si ea inobedierat Deo, sed haec suasa est obedire Deo, ut virginis Evae virgo Maria fieret advocata; et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem, aequa lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.“ [4]) Tertullianus: „Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam aemula operatione recuperavit: in virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis; in virginem aeque introducendum erat Dei verbum exstructorium vitae, ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria

---

[1]) Innoc. III Serm. de Virg. purif.

[2]) Traditionis monumenta ac praecipue Patrum testimonia innumera collecta sunt a *Plazza*, Causa immac. conceptionis, *Ballerini*, Sylloge monumentorum, *Passaglia*, De immac. Deiparae conceptu.

[3]) Iustin. C. Tryph. 100.

[4]) Iren. Adv. haer. 5, 19; cf. 3, 22.

Gabrieli; quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit." [1]) Iam vero in his omnibus Eva et Maria ita sibi opponuntur, ut illa a daemone victa, haec eius victrix exhibeatur. Cum vero eo maxime Eva a diabolo fuerit victa, quod lapsa una cum Adamo auctrix fuit peccati originalis, ubi tam perfectus nobis describitur de daemone et peccato triumphus, fieri vix poterat, ut Patres non cogitaverint de peccato originali a Maria excludendo.

Patres porro Mariae *puritatem* et *sanctitatem* adeo extollunt, ut cum macula originali ea constare non posse videatur. Vocant enim simpliciter et antonomastice puram atque sanctam ἡ ἁγνή, ἡ ἁγία etc.; vocant puram et sanctam gradu superlativo, penitus et per omnia immaculatam, πάναγνος, πανυπέραγνος; comparatam cum reliquis vocant ἁγίων ἁγιότερα, ἁγιότερα τῶν ἀγγέλων, θεοειδέστερα, δεύτερα τῆς Τριάδος. Quae quamvis nonnunquam virginitatem Mariae potius significent quam sanctitatem, tamen propter ipsam suam amplitudinem fieri non potest, ut non etiam de sanctitate accipiantur. — Ceterum diserte etiam de *immunitate a peccatis* loquuntur. Sic Hippolytus arcam factam „ex lignis, quae putrescere non poterant" (Exod. 25, 10), habens symbolum humanitatis Christi, uti ligna illa corruptionis erant expertia, sic hanc humanitatem dicit prorsus impeccabilem, et deinde prosequitur: „Dominus peccati expers erat et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, h. e. ex Virgine et ex Spiritu Sancto, intus et foris tamquam purissimo Verbi Dei auro circumtectus." [2]) Ephrem Christum alloquitur: „Tu revera et mater tua soli estis, qui omnino omni ex parte pulchri estis: in te enim, Domine, nulla est labes, nec ulla in matre tua macula." [3]) Ambrosius vocat Mariam „Virginem per gratiam ab omni integram labe peccati." [4]) Augustinus: „Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem" [5]); ubi tum locutio „de peccatis" universalissima est, tum ratio addita „propter honorem Domini" non minus valet ad excludendum peccatum originale, quam personale.

Patres denique a Virgine Maria *peccatum originale* explicitis verbis excludunt. Sic in carmine quodam, quod a nonnullis Ambrosio tribuitur, postquam dictum est de veneno serpentis i. e. peccato originali prorsus omnes inficiente, legitur Deus redemptionem decrevisse „inscia cernens piaculi viscera Virginis". [6]) A Prudentio de

[1]) Tertull. De carne Chr. 17.
[2]) Hippolyt. In Ps. 23, 1 (de Lagarde n. 127).
[3]) Ephrem. Carm. Nisib. 27 (Bickell, 122).
[4]) Ambros. In Ps. 118 sermo 22, 30.
[5]) Augustin. De nat. et grat. 42.
[6]) Cf. Ballerini, Sylloge monumentorum 1, 34.

Maria dicitur: „Omnia virgo venena domat.“ [1]) Sedulius baec habet: „Ut velut e spinis mollis rosa surgit acutis, nil quod laedat habens matremque obscurat honore: sic Evae de stirpe sacra veniente Maria virginis antiquae facinus nova virgo piaret.“ [2])

Quodsi obiiciatur, a Patribus *solum Christum* dici fuisse absque peccato, Mariam vero dici habuisse carnem peccati et a Spiritu S. mundatam [3]): haec respondenda sunt: Solius utique Christi esse dicunt Patres immunitatem a peccato, quae non sit ex gratia, sed iure proprio ipsius conceptionis; carnem porro Mariae Virginis dicunt carnem peccati, ut significent consubstantialem eam esse prorsus carni peccato infectae, quo sensu Christi quoque carnem peccati carnem esse nonnunquam affirmant.

b. Ex *cultu* Ecclesiae res probatur. Conceptionis *festum* apparet primum in Typo S. Sabae a. 485, teste Andrea Cretensi a. 675 celebratum est in ecclesia graeca, saec. 9 in ecclesia neapolitana, saec. 12 in Galliis et teste Potone Prumiensi in Germania; a. 1476 Sixtus IV illud commendavit (reprobans a. 1483 opinionem, qua hoc festo non ipsa Virginis conceptio, sed eius sanctificatio putabatur celebrari), Pius V demum a. 1568 ab universa Ecclesia celebrandum praecepit. — Iam vero quamvis ex mente aliquorum, imo etiam per se sensus huius festi is esse potuerit, ut non necessario immaculatus conceptus Mariae proprie dictus eo significaretur: Ecclesiae tamen mens, quae ex festi officiis ac sermonibus colligitur, in eo celebrando manifesta est. Eam exprimit Bulla ‚Ineffabilis‘ hunc in modum: „Hanc doctrinam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis conceptionem veluti singularem, miram et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de sanctis dies festos concelebret.“

c. Consensus *scholarum* hac in re dubius esse poterit videri. At ut difficultas huiusmodi evanescat, necesse est ut distinguamus, quid explicite hac de re creditum fuerit et quid implicite contentum sit in iis quae explicite semper credebantur. Ab omnibus christifidelibus semper et ubique firmissime creditum est, B. Virginem Mariam fuisse sanctissimam, purissimam, ab omni diaboli servitute maxime

---

1) Prudentius, Hymn. ante cibum.

2) Sedulius, Carm. pasch. 2, 28 sq.

3) Huiusmodi testimonia *Bandellus* (De singulari puritate et praerogativa conceptionis Salvatoris nostri) adduxit 216. Sed pleraque spuria sunt aut abs re. Cf. Perrone ‚De immaculato Virginis conceptu‘ p. 1 c. 6.

immunem; atque in his implicite certe etiam credebatur immaculatus eius conceptus. At non aeque distincte semper quaerebatur de instanti temporis, quo Maria coepit esse sancta; imo quo tempore doctrina fidei de universalitate peccati originalis nondum satis in tuto posita existimari poterat, consultius visum est, maxime in occidente, non nimis urgere originis in Maria puritatem. Sic iam, cum a Pelagio contra universalitatem peccati originalis Augustino obiiciebatur: „Tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis", sanctus hic Doctor et peccatum universale fuisse tuetur, nec tamen de Mariae perfectissima puritate ut dubitetur permittit, sic respondens: „Non transscribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo, quia ipsa conditio nascendi solvitur gratia renascendi." [1]) Accedit, quod ipsius conceptus immaculati, de quo quaeritur, et festi, quod celebrabatur, notio non satis accurata apud plures reperiebatur: sic nonnullis videbatur agi de miraculosa Mariae nativitate, non de animae praeservatione, sed de corporis efformatione carnisque speciali aliqua ac supernaturali puritate, de sanctificatione quae corporis informationi praecesserit, quae in Virgine etiam debitum remotum peccati originalis eiusque per Christum factam redemptionem excludat.

Iam vero hac ratione statu quaestionis haud parum obscurato mirum non est doctores etiam summos, cum hanc tractarent materiam, nonnunquam obscurius imo etiam minus accurate de ea locutos esse. Atque hoc valet imprimis de magnis illis doctoribus, qui in aliis Mariae sanctitatem tantopere extollunt, de S. Anselmo, S. Bernardo, S. Thoma. *S. Anselmus* haec habet: „Decens erat, ut ea puritate, qua sub Deo maior nequit intelligi, Virgo illa niteret"; atque adeo principium, ex quo immaculata Virginis conceptio necessario consequitur, clare posuit. Nihilominus ad interrogationem, „quomodo Christus potuerit esse mundus, cum caro eius sumpta sit de massa peccatrice", Anselmus respondens ex illo principio hoc solum, quod sufficiebat, concludit, Virginem, „quoniam et ipsa in Adam peccavit" (i. e. ad massam peccatricem spectavit), ante Christi conceptionem fuisse mundatam". [2]) — *S. Bernardus*, non secus ac alii, ipsum festum immaculatae conceptionis impugnandum aggressus est. Reprehendit nimirum monachos Lugdunenses, quod ipsi privatis revelationibus innisi „contra Ecclesiae ritum" et quin prius consulta fuerit „Apostolicae Sedis auctoritas" novum illud festum introduxerint. Rem porro ipsam ideo potissimum repudiavit, quia monachi illi festo introducto seminalem corporis Virginis conceptionem colere, eius per Christum factam redemptionem negare, Christi conceptionis miracu-

[1]) Augustin. Op. imperf. c. Iulian. 4, 122.
[2]) Anselm. De concept. Virg. 2, 16 sq.

losae singularitati derogare videbantur. Hac utique occasione S. Bernardus puritatis fidei defendendae ardore paulo vehementius abreptus eo progreditur, ut, concedens Virginis in utero sanctificationem, perfectam eius a peccato originali immunitatem neget, ita tamen, ut haec „absque praeiudicio dicta sint sanius sapientis" et universa reservet „Romanae Ecclesiae auctoritati atque examini". [1]) — *S. Thomas* difficilius explicatur. Qui sunt definitione vetustiores plerique ex correligiosis eius eum immaculato conceptui adversari sincere fassi sunt. [2]) Alii vero censent, docere quidem Angelicum B. Virginem conceptam fuisse cum debito peccati originis contrahendi, verum probari non posse, eum affirmasse Deiparae animam actu contraxisse ipsum originis peccatum. [3]) Nobis illud certum esse videtur, S. Thomam non secus ac reliquos doctores eius temporis, statu quaestionis non satis determinato, docuisse B. Virginem in utero post animae infusionem sanctificatam fuisse. [4])

Scoti insigne meritum est, quod primus quaestionis statum hac in re clare determinaverit et dogma ipsum immaculati conceptus saltem ut probabile defenderit. Distinctione sc. facta inter ordinem *naturae* et *temporis* docet, B. Virginem, cum et ipsa esset filia Adae, natura seu debito aliquo prius sub peccato fuisse, at animam eius eodem temporis instanti et creatam et corpori infusam et sanctificatam fuisse, ita ut actu nunquam haberet peccatum originis. Ostendit deinde, nihil hinc detrahi Christi omnium redemptoris dignitati, imo hunc esse redemptionis modum perfectissimum. Rem totam sic concludit: „Deus potuit facere, quod ipsa (Maria) nunquam fuisset in peccato originali; potuit etiam fecisse, ut tantum in uno instanti esset in peccato; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato . . . Quid autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile, quod est excellentius attribuere Mariae." Post Scotum dogma immaculatae conceptionis propugnaverunt *Aureolus*, *Franciscus de Mayronis*, *Dionysius Carthusianus*, *Gabriel Biel* aliique plurimi, maxime ex Ordine S. Fran-

[1]) Bernard. Epist. 174.

[2]) Textus Angelici, qui immaculato Virginis conceptui certe non favent, sunt 3 q. 27 a. 2 et 6; 3 dist. 3 q. 1 a. 1; Quodl. 6 a. 7; Comp. theol. 224.

[3]) Sic duce Seraphino Capponi de Porrecta inter alios aetate nostra Morgott ‚Mariologie des hl. Thomas' et C. Schneider ‚Unbefleckte Empfängnis und Erbsünde'. Mirum plane est quod C. Schneider affirmat, S. Thomam immaculatam Mariae conceptionem melius explicasse et efficacius probavisse quam qui vulgo eius dicantur defensores.

[4]) Cf. In Opp. S. Bonav. Scholion ad 3 dist. 3 p. 1. a. 1 q. 1 et 2; Scheeben, Dogm. 3 § 279 b; Többe ‚Die Stellung des hl. Thomas zu der unbefleckten Empfängnis'.

cisci.[1]) *Academia Parisiensis* a. 1384 et 1387 propositiones Ioannis de Montesono, docentis esse contra fidem negare B. Virginem in originali peccato conceptam fuisse, damnavit ut „falsas, scandalosas, piarum aurium offensivas et praesumptuose assertas". Eadem porro Academia a. 1469 socios suos iureiurando adegit ad doctrinam de immaculata conceptione propugnandam; quam aliae deinceps Universitates secutae sunt. Saeculo 16 *Caietanus*, ipse adversarius, iam fatetur: „Doctores tenentes, B. Virginem esse praeservatam ab originali peccato, sunt numero infiniti, si ad modernos spectemus." [2]) *Bartholomaeus de Medina* scribit: „Suffragantur huic sententiae omnes Universitates studiorum, in quibus viri docti et magistri sequuntur hanc sententiam et maxime schola parisiensis reliquarum parens et magistra." [3]) Post medium denique saeculum 16 haec testatur *Canisius*: „Qui secus modo sentiunt, eorum sane rarus est numerus, hique pudore impediti, quod in animo gerunt et secum ipsi tacite loquuntur ac sentiunt, palam efferre ac pronuntiare non satis tutum arbitrantur." [4])

d. Quid *magisterium authenticum* Ecclesiae hac de re senserit, breviter dicamus. *Concilium Basileense* a. 1483 immaculati Virginis conceptus definitionem condidit; quod decretum, cum tunc temporis iam schismaticum esset Concilium, quamvis non sit proprii nominis definitio, luculenter tamen qui tunc Ecclesiae fuerit hac in re sensus manifestat. *Sixtus IV* a. 1482 damnavit quorundam assertum, haereticam esse doctrinam de immaculata Mariae conceptione. *Pius V* a. 1570 damnavit prop. 73 Baii: „Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum etc." *Paulus V* a. 1616 ne quis publice Mariae conceptionem pollutam asserere praesumeret prohibuit; quod vetitum *Gregorius XV* a. 1621 ad privata quoque colloquia extendit. *Alexander VII* a. 1661 omnia praecedentia decreta in favorem immaculati conceptus innovavit, ne libri contra eam ederentur vetuit, doctrinam „animam B. Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse" vocat „piam sententiam". Denique *Concilium Tridentinum*, postquam de peccato originali egit (Sess. 5), haec statuit: „Declarat s. Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem" Qua declara-

[1]) Scotus in 3 dist. 3 q. 1.
[2]) Caiet. De concept. Virg. 5.
[3]) Medina in 3 q. 27 a. 2.
[4]) Canisius, De Maria Deipara 1, 7.

tione, ait *Pius IX* in Bulla ,Ineffabilis' dogma definiens, „Tridentini Patres ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adiunctis satis innuerunt."

3. Quod ex fidei deposito probatum est, *ratione theologica,* quae et ipsa illo deposito continetur, vehementer suaderi dicendum est.

a. „Decebat, ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit." [1])

b. „Decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius." [2])

c. „Si Ieremias, quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus, et Ioannes Dominum in spiritu et virtute Eliae praecessurus Spiritu Sancto est ex utero matris repletus: quis dicere audeat singulare totius saeculi propitiatorium ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium mox in suae conceptionis exordio Spiritus Sancti gratiae illustratione destitutum?" [3])

COROLLARIUM. De *fomite* quaeritur, seu de concupiscentiae motibus. Constat inter theologos omnes, Mariam saltem eo sensu a fomite fuisse immunem, quatenus fomes erat ligatus atque consopitus, ita ut in motus rationi contrarios minime prorumperet. Consentiunt etiam, fomitem in ea prorsus fuisse sublatum et exstinctum saltem ex tempore conceptionis Verbi. Verum fuitne fomes sublatus inde a propria Virginis conceptione? S. Thomas sufficere censet, ut admittatur, inde ab initio usque ad Verbi conceptionem fomitem in Virgine non fuisse nisi ligatum. [4]) At, ni fallimur, ex iis, quae thesi allata sunt, Mariam non secus ac Adamum in statu integritatis ab ipsa sui conceptione fomite prorsus caruisse, non immerito alii concludunt. Atque vere. „Perfectio boni est, quemadmodum monet Augustinus, ut nec ipsa concupiscentia sit in homine" [5]), et „perfectio virtutis, ita ipse S. Thomas, quae est secundum rationem rectam, non excludit passibilitatem corporis, excludit autem fomitem peccati, cuius ratio consistit in resistentia sensualis appetitus ad rationem." [6]) Iam vero ex Patrum doctrina consequi videtur, nullum gratiae donum, atque adeo nec perfectam a fomite immunitatem,

[1]) Bulla ,Ineffabilis'.
[2]) Bulla ,Ineffabilis'.
[3]) De concept. B. M. V. inter Opp. Anselmi.
[4]) S. Th. 3 q. 27 a. 3.
[5]) Augustin. Retr. 1, 15.
[6]) S. Th. 3 q. 15 a. 2 ad 1.

quod ulli homini fuisset unquam concessum, Mariae fuisse negatum, eamque protoparentes ratione quoque sanctitatis et puritatis aequare, imo antecellere.

SCHOLION. Quodsi quaeritur de *debito* peccati originalis, utrum illud habuerit B. Virgo necne, haec breviter dicenda sunt. Revelatione non solum factum praeservationis a culpa originali docemur, verum etiam *modum*, quo praeservatio haec concipi debeat. Docemur videlicet, Deiparam praeservatam fuisse ab omni labe „ex morte filii sui praevisa“ (Orat. Eccl.), vel „intuitu meritorum Christi Redemptoris humani generis“ (Alexander VII in Constit. ‚Sollicitudo‘); docemur itaque etiam B. Virginem fuisse *redemptam.* Iam vero si credi debet redempta fuisse, cum a peccato ipso certe esset immunis, saltem debitum aliquod peccati contrahendi habuisse videtur dicenda. At vero quidnam debitum hoc erit? Nihil est certe reale in ipsa Deipara positum; nulla pariter macula, nihil dedecoris. Formaliter nihil aliud est, quam necessitas per Adamum peccantem facta ut, cum ab ipso simus, peccatum insit nobis; radicaliter est ipsa origo naturalis ex Adamo peccatore. Huc igitur res redit, ut dicatur: si B. Virgo in primo existentiae suae instanti secundum legem communem sibi fuisset permissa nec Redemptoris merita ei fuissent applicata, ipsa vi suae ex Adamo protoparente naturalis originis, non secus ac reliqui, peccatum habuisset.

Thesis 16.

Maria habuit gratiam 1. inde ab initio maiorem quam ulla pura creatura, 2. non tamen consummatam.

Duplex distinguitur sanctificatio: prima, quae fit per gratiam sanctificantem a Deo gratuite prorsus collatam; secunda, quae consistit in augmento huius gratiae ope actuum supernaturalium perfecto. Sunt qui opinari videantur, iam inde a primo sanctificationis instanti, quod ipsum conceptionis Deiparae instans audivimus fuisse, vel saltem in conceptione Filii sui tantam eiusdem fuisse gratiam, ut deinde nova incrementa non acciperet. Verum primam quidem Mariae sanctificationem probabimus fuisse eiusmodi, ut gratiam acceperit maiorem quam quae ulli unquam collata fuerit creaturae; at hanc gratiam existimamus non fuisse unquam consummatam ita, ut Maria per totam suam vitam in ea non creverit.

DEMONSTRATUR: **1.** Prima Mariae gratia *maior* fuit gratia omni, quae purae creaturae data fuerit.

Probatur ex *ratione theologica,* i. e. Mariae ad Deum *propinquitate* seu *maternitate.*

Ac primo quidem *gratiam* ipsam in Maria plane eximiam fuisse patet. „Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dionysius dicit, quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis quam homines. Christus autem est principium

gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. Beata autem Virgo Maria *propinquissima* Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae caeteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere." [1] — „An non mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium (Is. 2, 2). Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae super omnes sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons quippe et domus apte dicitur, quae dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum praeparavit uterum." [2]

In prima sanctificatione B. Virgo in gratia fuit *confirmata*. Et sane: Ecclesia nativitatem et conceptionem Virginis celebrans hoc ipso sentit, nascentem iam Virginem gratiam habuisse *inamissibilem;* non enim veneratur Ecclesia nisi sanctitatem perpetuo duraturam. Hoc praeterea modo Ecclesiae sensus semper gratiae *plenitudinem* intellexit illam, qua B. Virginem inde ab initio auctam fuisse audivimus. „Beata Virgo ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit . . ., cuius signum est, quod B. Virgini praestitum est, ut de cetero non peccaret nec mortaliter nec venialiter; aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse, ut de cetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente." [3]

In prima sanctificatione B. Virgo omnes *virtutum* et *donorum* habitus accepit. Atque *certum* quidem est, datas esse Virgini una cum gratia omnes virtutes *per se* infusas et omnia Spiritus Sancti *dona*; haec enim veluti ex natura rei gratiam consequuntur. [4]

---

[1] S. Th. 3 q. 27 a. 5.

[2] Gregor. M. In 1 Reg. 1.

[3] S. Th. 3 q. 27 a. 6 ad 1. — De *aliis* sanctificatis *in utero* haec habet S. Th. (l. c.): „Quia expresse in Evangelio dicitur de *Ioanne*, quod «Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae», et de *Ieremia* expresse dicitur: «antequam exires de vulva sanctificavi te», asserendum videtur eos sanctificatos in utero; quamvis in utero usum liberi arbitrii non habuerint, sicut etiam pueri, qui sanctificantur per baptismum, non statim habent usum liberi arbitrii. *Nec* est credendum aliquos *alios* sanctificatos in utero, de quibus Scriptura mentionem non facit, quia huiusmodi privilegia gratiae, quae dantur aliquibus praeter legem communem, ordinantur ad utilitatem aliorum, quae nulla proveniret ex sanctificatione aliquorum in utero, nisi Ecclesiae innotesceret."

[4] Neque excipiendae sunt virtutes illae, quae, ut *fides* et *spes*, cum beatitudine constare nequeunt nec idcirco in anima Christi locum habere poterant.

Probabile est datas fuisse Virgini etiam virtutes morales *per accidens* infusas. Nam virtutes huiusmodi infusae erant Adamo et Evae in prima eorum sanctificatione: at nullum gratiae donum negatum est Virgini, quod aliis est datum; valde porro decuit, ut B. Virgo Deipara in hac virtutum perfectione Christo esset simillima.

De *charismatibus*, quae habuit B. Virgo, haec S. Thomas docet: „Non est dubitandum, quin B. Virgo acceperit excellenter donum sapientiae et gratiam virtutum et etiam gratiam prophetiae; non tamen accepit, ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius. Sapientiae enim usum habuit in contemplando secundum illud Lucae 2, 19: «Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo»; non autem habuit usum sapientiae quantum ad docendum, quia hoc non conveniebat sexui muliebri. Miraculorum usus autem ei non competebat, dum viveret; quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis: et ideo soli Christo et eius discipulis, qui erant baiuli doctrinae Christi, conveniebat miracula facere; propter quod etiam de Ioanne Baptista dicitur, quod «signum fecit nullum», ut sc. omnes Christo intenderent. Usum autem prophetiae habuit, ut patet in Cantico quod fecit: «Magnificat anima mea Dominum etc.»“ [1])

2. Maria in corpore mortali degens *non* accepit gratiam *consummatam*.

Gratia non est consummata nisi in statu termini. At B. Virgo ab initio, imo quousque in corpore mortali vixit, fuit viatrix. — Ex sententia porro omnium theologorum *speciale* animae humanae *Christi* erat *privilegium*, ut esset ab initio semper comprehensor, utpote cui ratione unionis gloria esset connaturalis. Nec *decuisse* videtur, ut praeter animam Christi Deum habitualiter videret anima ulla, saltem antequam satisfactio pro universo genere praestanda fuisset oblata. Hinc gratia, quam Maria in prima sua sanctificatione accepit, decursu totius vitae cooperatione propria iugiter *aucta est*. Eam sicut „olivam fructiferam“ crevisse dicit Damascenus [2]); fuisse eam, ait Rupertus, „in prima sanctificatione ut auroram, in filii conceptione ut lunam, in morte ut solem“. [3])

Ut de *virtutibus* aliqua dicamus, quae in vita B. M. Virginis elucent, haec a S. Ambrosio accipiantur: „Sit tamquam in imagine descripta virginitas vita Mariae, de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi,

---

[1]) S. Th. 3 q. 27 a. 5 ad 3.
[2]) Damasc. De fide 4. 15.
[3]) Rupert. In Cant. 6.

ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit? Nam de caeteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior; non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere; nullum laedere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, aequalibus non invidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu laesit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem: eos solos solita coetus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque praeteriret verecundia? Nihil torvum in oculis, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo praetendat ingressu nihil intus latere tenebrarum; ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tamquam lucernae lux intus posita foris luceat. Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturae defuisse; illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit, et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda praenuntiat. Prodire domo nescia, nisi cum ad ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu; nullo meliore tamen sui custode quam se ipsa, quae incessu affatuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem: plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat quae virtutes magistras habet; quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneretur; sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disceret, quam doceret. Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei praedicaverint,

quae digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur? Haec ad ipsos ingressus angeli inventa domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet; neque enim comites feminas desiderabat, quae bonas cogitationes comites habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetae? Denique et Gabriel eam, ubi revisere solebat, invenit; et angelum Maria quasi virum specie mota trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit. Ita peregrinata est in viro, quae non est peregrinata in angelo; ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, et appellata respondit; sed quae primo turbaverat affectum, postea promisit obsequium. Quam vero religiosa in propinquas fuerit, Scriptura divina significat. Nam et humilior facta est, ubi se a Deo cognovit electam et statim ad cognatam suam in montana processit: non utique ut exemplo crederet, quae iam crediderat oraculo; beata enim, inquit, quae credidisti. Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti autem intervallo temporis non fides quaeritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in utero parentis exsiliens puer matrem Domini salutavit, prius compos devotionis, quam naturae. Inde tot sequentibus signis, cum sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, exspectaret Simeon, sidera nuntiarent. Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum: conservabat, inquit, haec omnia in corde suo. Quamvis mater Domini, discere tamen praecepta Domini desiderabat: et quae Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat. Quid, quod annis quoque omnibus ibat in Ierusalem solemni die paschae, et ibat cum Ioseph? Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit. Haec est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus; ut quaecunque sibi eius exoptat praemium, imitetur exemplum. Quantae in una virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiae, vexillum fidei, devotionis obsequium; virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum." [1])

SCHOLION. Quaeritur, *quaenam* B. Virgo susceperit *sacramenta.* Certum est, sacramentum illud, quod in remedium peccati originalis feminis applicabatur, Virgini paulo post nativitatem eius fuisse applicatum: „sicut Ioannes Baptista circumcisus fuit, etiamsi in utero matris fuisset sanctificatus; extraordinaria enim Dei sanctificatio non obstat, quominus ordinaria remedia contra peccata applicari debeant, praesertim cum haec supernaturalia

[1]) Ambros. De virg. 2, 2.

et divina mysteria non sint hominibus nota." [1]) Certum porro est, Virginem non accepisse sacramenta Ordinis et Poenitentiae nec Matrimonii, quia hoc non contraxit postquam in sacramentum est institutum. Certum denique videtur, Virginem suscepisse sacramentum Baptismi, quamvis id non susceperit ad delenda peccata [2]), Eucharistiam accepisse frequenter, in die Pentecostes non secus ac Apostolos imo multo perfectius consecutam esse, quamvis non signum visibile, rem tamen et effectus Confirmationis, characterem sc. et Spiritus Sancti gratiam. Quantum ad Extremam Unctionem Suarezius respondet „sub conditione, si, ut homo sit capax huius sacramenti, necessarium non est, quod actualiter peccaverit, B. Virginem fuisse capacem illius; si autem fuit capax illius, verosimilius esse, illud suscepisse, tum propter fructum eius, tum propter fidei ac fidelium aedificationem et humilitatis exemplum."

Thesis 17.

Maria 1. secundum corpus in coelum assumpta est, ibique 2. beatitudine fruitur omnium creaturarum beatitudine maiore.

Quae de Mariae gloria dicenda sunt, ad duo capita revocari possunt: ad gloriosam eius in coelum *assumptionem* et ad *beatitudinem*, qua illic fruitur. Primum igitur quod thesi asserimus, est, B. Virginem secundum *corpus* quoque in coelum fuisse assumptam; alterum, Virginem in coelo *gloria* ac *beatitudine* frui omnium et hominum et angelorum gloriam ac beatitudinem longe superante.

Mariae assumptio non est sane intelligenda fuisse resurrectio et ascensio, cuiusmodi Christi erat resurrectio et ascensio, sc. ex propria virtute, sed qualis omnium hominum virtute divina facta resurrectio, quamvis accelerata. Est igitur privilegium non tam contra, quam supra legem. Virginis in coelum secundum corpus *assumptio*, quamvis non sit diserte ab Ecclesia definita, tamen gravissimis theologis auctoribus, quorum Benedictus XIV affert testimonia, tam est certa, ut qui eam negaverit, *temeritatis summae* sit notandus. [3]) Imo dogma videtur dicendum proxime *definibile*; quemadmodum inde manifestum est, quod in Concilio Vaticano 204 Patres perardenter postulaverunt, ut a Concilio explicite et solemniter declararetur atque

---

[1]) Suarez, Disp. 18, sect. 3.

[2]) „Scribunt quidam Apostolorum temporis proximi, quod Christus Petrum et Virginem matrem baptizaverit, Petrus vero reliquos Apostolos." (Euthym. In Ioan. 3). — Etiam *Ioannem* baptizatum fuisse, verosimile esse existimant Gregorius Naz. (Orat. 39), Ioannes Chrysost. (Hom. 4 Imperfecti), Hieronymus (In c. 3 Matth.), S. Thomas (3 q. 38 a. 6 ad 3), et omnes Patres, qui Ioannem inter sanctos Novi Testamenti ponunt (cf. S. Th. 2, 2 q. 174 a. 4 ad 3).

[3]) Benedict. XIV De festis B. M. V.

definiretur: „Beatam Mariam anima immaculata et corpore virgineo ad dexteram Dei Filii nostram praestantissimam mediatricem in coelis adstare.“

DEMONSTRATUR: **1.** Maria secundum *corpus* in coelum fuit *assumpta.*

Universam rei demonstrationem sic egregie complectuntur Patres illi Vaticani: „Cum iuxta apostolicam doctrinam (Rom. 5—8; 1 Cor. 15, 24 sq.; Hebr. 2, 14) aliisque locis traditam triplici victoria de peccato et de peccati fructibus, concupiscentia et morte, veluti ex partibus integrantibus constituatur ille triumphus, quem de satana, antiquo serpente, Christus retulit; cumque (Gen. 3, 15) Deipara exhibeatur singulariter associata Filio suo in hoc triumpho: accedente unanimi ss. Patrum suffragio, non dubitamus, quin in praefato oraculo, eadem beata Virgo triplici illa victoria praesignificetur illustris; adeoque non secus ac de peccato per immaculatam conceptionem et de concupiscentia per virginalem maternitatem, sic etiam de inimica morte singularem triumphum relatura per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem ibidem praenuntiata fuerit.“ [1])

1. Mariae assumptio corporea *ratione theologica* valde suadetur.

a. Dignitas *matris* et curae ab ea Christo exhibitae illam assumptionem postulare videntur: „Putredo et vermis, sic legitur in libro alicuius incerti auctoris, humanae est opprobrium conditionis, a quo opprobrio cum Iesus sit alienus, natura Mariae excipitur, quam Iesus de ea suscepisse probatur; caro enim Iesu caro est Mariae.“ [2]) „Cum corpore, sic Absalo saec. 12, dicam exaltatam an sine illo? Vere dicam cum corpore, quoniam, etsi hac parte erravero, ipse error est mihi gratissimus, qui fonti pietatis, matri misericordiae incumbit excusandus. Numquid enim dicam Dei Filium honorem matri denegasse, quem servo voluit impendere? Elias in coelum curru levatur igneo, et mater Dei computruit in tumulo? Praeterea si spiritu eius migrante sacro sanctum eius corpus terra detinuit, cur Filius venerationem illam denegavit in terris reliquiis matris, quam cuilibet martyri vel confessori voluit exhiberi? . . . Propterea nonne Dei Filius dedit hoc praeceptum: honora patrem et matrem . . . Sed ecce secundum eos, qui aestimant eam non migrasse cum corpore, ipse suo praecipuo praecepto videtur obviasse, qui maiorem honorem voluit in terris exhiberi reliquiis martyriis quam sacrosancto corpori suae matris. Longe aliter sonare videtur illa universalis Ecclesiae oratio, in qua de ipsa dicitur: «Nec tamen mortis nexibus deprimi

[1]) Collect. Lac. 7, 869.

[2]) Opp. Augustini, De assumpt. B. M. V. liber unus 5.

potuit, quae Dominum nostrum Iesum Christum de se genuit incarnatum»; quod si verum est, consequitur quod devicta morte cum corpore glorificata ascenderit." [1])

b. Summam Virginis *sanctitatem*, *virginitatem* praesertim et *immaculatam conceptionem* hoc privilegium maxime decebat. „Si voluit integram matrem virginitatis servare pudore, sic in eodem libro de assumptione, cur non velit incorruptam a putredinis servare foetore?"

„Sit, sic idem citatus liber, *integriter vivens*, quae omnium integram perfectamque genuit vitam; sit *cum* illo, quam in suo gessit utero; sit *apud* illum illa, quae genuit, fovit et aluit illum: Maria Dei genitrix, Dei nutrix, Dei ministratrix et Dei secutrix."

2. Mariae corporea assumptio ex *fidei deposito* probatur, sc. ex pervetusto et constanti utriusque Ecclesiae consensu.

„Hoc factum, sic Patres dogmaticam definitionem assumptionis corporeae B. M. V. in Concilio Vaticano postulantes, quod sc. hominis corpus ante extremum iudicii diem in coelis vivat, neque sensibus neque humana auctoritate testificari potest. . . . Nisi igitur firmissima Ecclesiae fides quoad corpoream B. M. V. assumptionem dici velit levis nimis credulitas, quod vel cogitare impium est, procul dubio eam a traditione divino-apostolica i. e. a revelatione ortum habere firmissime tenendum." [2])

a. Patrum *diserta* testimonia haec sunt. *Epiphanius* († 403), qui de Mariae morte dubitat, uti certum hoc habet: „Sacrum illius corpus omni felicitate cumulatum est, per quam mundo lumen illuxit." [3]) *Iuvenalis Hierosolymitanus* Pulcheriae imperatrici de Mariae reliquiis sciscitanti a. 451 respondet: „Ex antiqua et verissima traditione accepimus . . . (post tres dies tumulo aperto) Apostoli corpus nequaquam invenire potuerunt . . . hoc solum cogitare potuerunt, quod qui incorruptam eius servavit virginitatem, eidem placuit et ipsius, postquam migravit, immaculatum corpus incorruptione et translatione ante communem et universalem resurrectionem honorare." [4]) *Gregorius Turonensis* († 596), postquam de Mariae morte disseruit, haec narrat: „Et ecce iterum adstitit ei Dominus susceptumque corpus sanctum in nube deferri iussit in paradisum, ubi nunc resumpta anima cum

---

[1]) Absalo Sprinckirsbacensis, Sermo 44.

[2]) Collect. Lac. 7, 868.

[3]) Epiph. Haer. 77.

[4]) Apud Damasc. Hom. 2 in dormit. Deiparae 18; cf. Niceph. Callist. Histor. eccles. 15, 14. — Quod idem Iuvenalis potestatis cupidus in aliis fide non est dignus, hac in re, cum de traditione universali aliqua testatur, testimonium eius infringere non potest.

electis eius exultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfinitur." [1]) *Modestus Hierosolymitanus* († 632) primus festum dormitionis diem agi testans orationem habuit, in qua Mariae assumptionem postquam multipliciter probavit sic exclamat: „O beatissima dormitio gloriosissimae Deiparae post partum semper Virginis, quae corporis, quo vita continebatur, nullam passa est in sepulcro corruptionem, carne servante, qui ex ea natus est, omnipotente Salvatore Christo." [2]) Similiter deinde *Andreas Cretensis* († 720)[3]), *Germanus Constantinopolitanus* († 733)[4]), *Ioannes Damascenus* († c. 750)[5]). — Ex dictis scriptoribus Iuvenalis, Andreas Cretensis, Ioannes Damascenus, Nicephorus Callistus ad *Dionysium* vulgo Areopagitam provocant, qui verosimiliter saeculo 4 vixit. [6])

b. *Festum* corporeae assumptionis Mariae antiquissimum est.

Teste Nicephoro Callisto Mauritius imperator (582—602) festum assumptionis B. M. V. die 15. Augusti celebrari iussit. [7]) Verum constat festum ipsum iam prius celebratum fuisse; occurrit enim iam in Sacramentario Gelasiano, quod probabiliter saeculi 5 est. Iam vero festi huius proprium obiectum corporea B. M. V. assumptio fuisse dicendum est. Hoc iam innuitur in Sacramentario Gelasiano, ubi „ineffabile mysterium" vocatur, clare significatur in Missali Gothico, quod ante Carolum M. in Galliis in usu erat, et in Sacramentario Gregoriano, in quo haec habetur oratio: „Veneranda nobis, Domine, huius diei festivitas opem conferat sempiternam, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, ne tamen nexibus mortis deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum genuit incarnatum." — Dubium aliquod de ipso festi assumptionis obiecto exortum est saeculo 9, maxime propter auctoritatem epistolae alicuius, quae

---

1) Gregor. Turon. De gloria martyr. 4.

2) Modestus, Encom. in B. V. 7.

3) Andr. Cret. Hom. 3 in dormit. Deiparae.

4) German. Const. Hom. 3 in dormit. B. M. V.

5) Ioannes Damasc. Hom. 3 in dormit. Deiparae.

6) Verba *Dionysii* haec sunt (De div. nom. 3): „Cum et nos et ipse (Hierotheus) plurimique sanctorum fratrum nostrorum ad corpus illud, quod dedit principium vitae Deumque susceperat, contuendum venissemus, aderat autem et frater Domini Iacobus et Petrus, suprema ista atque antiquissima summitas theologorum, placuissetque post contuitum antistitibus omnibus, pro virili cuique sua, infinita potentia praeditam divinae imbecillitatis bonitatem collaudare." In illud „principium vitae" S. Maximus († 662) haec habet: „Corpus vitae fontem et numinis tabernaculum sanctissimae Deiparae forte intelligit, quae tunc obierat."

7) Antiquitus in aliquibus ecclesiis duplex festum agebatur: alterum 18. ian., quod dormitioni B. M. V., alterum 15. aug., quod assumptioni videtur sacrum fuisse.

Hieronymi existimabatur esse, incipiens a verbis ‚Cogitis me‘ et in qua probabiliter ut caveatur a libro apocrypho ‚de transitu B. V.‚ reprobato, prima de re ipsa haesitatio occurrit. Dubii huius vestigia deinde perseverant esse maxime in martyrologiis, v. g. Adonis et Usuardi. Verum mox evanuit dubium omne, cum rei rationes accuratius considerari coeperunt; ita ut Fulbertus Carnotensis (c. a. 1000) asserere non dubitaverit: „Credit christiana pietas, quia Christus Deus Dei Filius matrem suam gloriose resuscitaverit et exaltaverit super coelos“ [1]); et Petrus Damiani eodem tempore Mariae assumptionem cum Christi ascensione comparare non sit veritus. [2])

c. *Scholastici* omnes in affirmandam corpoream Mariae assumptionem conspirant, etiam ii, qui eius immaculatam conceptionem videri possunt negare.

S. Bernardi testimonium cf. in Brev. Rom. die 5 infra Octavam festi. *S. Antoninus* haec habet: „De Virgine gloriosa pie creditur ab omni Ecclesia et doctoribus, in corpore et anima glorificatam in coelis.“ [3]) *Albertus M.*, postquam rem fuse probavit, sic concludit: „His rationibus et auctoritatibus et multis aliis manifestum est, quod Beatissima Dei mater in corpore et anima super choros angelorum est assumpta; et hoc modis omnibus credimus esse verum.“ [4]) *S. Thomas*: „A maledictione (quod omnes homines in pulverem revertuntur) immunis fuit Beata Virgo, quia cum corpore est assumpta in coelum; credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit et portata in coelum.“ [5]) Apud sequiores scholasticos de re ipsa nullum iam dubii vestigium apparet. [6])

d. In ecclesia *orientali* doctrina de corporea Mariae assumptione, quam inde a saeculo 5 audivimus clarissime ibi praedicari, nullo interveniente dubio ab omnibus admissa est.

Duo praeprimis huius rei sunt testimonia solemnia: *Armeni* in synodo 1342 profitentur: „Sciendum est, quod ecclesia Armenorum credit et tenet, quod s. Dei genitrix virtute Christi assumpta fuit in coelum cum corpore.“ *Graeci* in synodo Hierosolymitana 1672 adversus Calvinistas habita haec definiunt: „Ipsa est procul dubio Virgo sanctissima, quae magnum in terra signum cum exstiterit, eo quod Deum in carne genuit et post partum integerrime virgo per-

[1]) Fulb. Carn. Or. 5 de nativ. Mariae.

[2]) Cf. de hoc dubio et generatim de traditione huius rei ecclesiastica ‚Zeitschrift für kath. Theologie‘ 1880, 595 sq.

[3]) Antonin. Summa theol.

[4]) Albert. M. QQ. super ‚Missus est‘ 132.

[5]) S. Th. Opus 8 de salut. angelica.

[6]) Pauci aliqui, inter quos *Launoyus*, cum a. 1668 martyrologium Usuardi iterum ederetur, dubium ibi de rei veritate expressum suum fecerunt. Cf. Bened. XIV De festis B. M. V.

mansit, recte etiam signum esse dicitur in coelo, eo quod ipsa cum corpore assumpta est in coelum. Et quamvis conclusum in sepulcro fuerit immaculatum corporis eius tabernaculum, in coelum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio et ipsa die in coelum migravit."

2. Maria in coelo *beatitudine* fruitur omnium creaturarum beatitudine *maiore.*

1. Quam veritatem *Ecclesia* confitetur, cum his verbis de Maria utitur: „Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad coelestia regna." Nec opus est *Patrum* hac de re testimonia manifesta prosequi.

2. Ex *ratione theologica* haec res extra dubium prorsus ponitur.

a. Dignitas *matris* id postulat. „Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in coelis regali solio, in quo Mariam hodie Mariae filius sublimavit." [1])

b. *Ministerium* quod filio praestitit. „Nullus mihi plus ministravit in humilitate mea, nulli abundantius administrare volo in gloria mea nec satis glorificatus videor, donec tu glorificeris." [2])

c. Plenitudo *sanctitatis.* „Quantum gratiae in terris adepta est prae ceteris, tantum obtinuit in coelo gloriae singularis." [3])

SCHOLION. Fuerunt, qui de Virginis Deiparae *morte* dubitarent. „Quaerant, ita Epiphanius, vestigia Scripturarum, et invenerint utique neque mortem Mariae, neque an mortua sit aut non mortua, neque an sepulta sit aut non sepulta . . . Non omnino definio hoc, et non dico quod immortalis mansit, sed neque affirmo an mortua sit." [4]) Accedit quod neque ex historia reliqua quidquam habetur certi de morte Mariae. [5])

Nihilominus sine dubio dicendum est Mariam mortem obiisse. „Ita sentit hoc tempore, verba sunt Suarezii, universa Ecclesia. Et ad id confirmandum sufficit generalis regula Scripturarum: Nam omnes filii Adae corporali morti obnoxii sunt, a qua regula neque auctoritas ulla neque ratio suadet excipiendam esse Virginem. Quin potius gravissimi et antiquissimi Patres eam mortuam esse testantur . . . Ratio etiam hoc suadet: quia imprimis decuit esse similem Christo; cum ergo Christus mortem susceperit, non oportuit B. Virginem ab hac lege excipi; deinde ut per mortem Virginis constaret evidentius, et indiguisse Christi morte, qua fuit redempta, et habuisse carnem passibilem, a qua Christus similem sumpsit, et ita excluderetur error eorum, qui finxerunt B. Virginem fuisse cuiusdam coelestis seu

---

[1]) Bernard. Serm. 1 de assumpt.
[2]) Guarricus Serm. de assumpt.
[3]) Bernard. l. c.
[4]) Epiph. Haer. 78.
[5]) Libri duo, qui ‚De transitu Mariae' inscribuntur, et quorum alter a Trithemio tribuitur Melitoni, alter vel Hieronymo vel Sophronio, apocryphi sunt. Primi Mariam mortuam esse certe affirmaverunt Germanus Constantinopolitanus, Andreas Cretensis, Ioannes Damascenus.

angelicae naturae; tandem quia mors nullam imperfectionem includit, quae Virginem non deceat, quin potius est poena, quae propter Deum suscepta magnum gratiae augmentum promereri potest, propter quod mors sanctorum pretiosa in conspectu Domini esse dicitur. Ergo nulla est causa ob quam a morte corporis fuerit praeservata.“ [1]) Atque haec de Mariae morte veritas enuntiatur etiam in Secreta festi assumptionis, ubi Ecclesia profitetur, eam „pro conditione carnis migrasse“.

Quaerunt, *quo mortis genere* Maria mortua dicenda sit. Non videtur morbo vel aegritudine fuisse consumpta, sed, sicut mortui videntur Moyses et Ioannes Evangelista, sola Dei voluntate. Nam „hic mortis modus, ita idem Suarezius, videtur excellentior et innocentiae ac puritati Virginis quodammodo debitus; item, quia mortua creditur sine ullo dolore: tum quia sine libidine concepit omnique inordinata concupiscentia semper caruit; tum etiam quia in morte filii maiores dolores, quam in morte sentiantur, degustavit. Addere tamen possumus, quamvis B. Virgo mortua non fuerit vi alicuius morbi corporalis, vi tamen *amoris et ardentissimi desiderii et intensissimae contemplationis* eam obiisse. Fieri enim potest, ut mens tanta efficacia et intensione in his actibus occupetur, ut veluti destituat corpus, ita ut paulatim eius dispositiones remittantur ac deficiant, ac tandem ob earum defectum non possit anima in corpore conservari.“ [2])

Thesis 18.

Maria mediatrix nostra est.

Mediator inter Deum et homines sensu maxime proprio Christus est, isque solus, uti infra probabitur. At vero aliqua est mediatio, quae Traditione teste etiam *Mariae* competit quaeque in eo est sita, ut inter Deum et nos sic Maria interveniat media, ut sua nos ope ad Deum provehat Deumque nobis conciliet. Quomodo vero mediatio haec, quantumvis sit excellens, nullo modo *Christi* mediationi deroget, imo eam magis extollat atque commendet, ex his patet: „Multiplex est discrimen inter Christi et Mariae mediationem *Christus* enim a. mediatione sua obtinuit salutis *possibilitatem* et hinc ad salutem consequendam omnium auxiliorum gratiae inexhaustam copiam; ideoque b. mediator est *primarius*, ante quem nullus alius; c. *necessarius*, sine quo nulla salus; d. *universalis*, seu mediator generis, quo vel ipsa eius mater indiguit; e. *sufficiens*, cuius mediatio alterius mediatione non innititur; sed f. est ex *sese* et *infinitae* virtutis. *Maria* vero mediatrix est altero tantum gradu, supposita iam Christi mediatione, a qua etiam omnem suam vim mutuatur et cui innititur: nisi enim Christus et ipsi gratiarum plenitudinem promeruisset, nullius ponderis

[1]) Suarez, De Myst. vitae Chr. disp. 21 sect. 1.
[2]) Suarez, l. c.

esset ipsius penes Deum intercessio; nec Deiparae intercessio absolute necessaria est, quamvis summae utilitatis ut salutis possibilitas nobis a Christo sua mediatione obtenta securius faciliusque transeat in actum.“ [1])

DEMONSTRATUR: Maria aliquo sensu *mediatrix* nostra est.

1. Ex *deposito fidei* probatur.

1. In *Scriptura* sicut in ordine lapsus Eva iungitur Adamo, ita in ordine salutis Maria sociatur Christo mediatori. Exhibetur sc. ut mulier una cum semine suo conterens caput serpentis (Gen. 3, 15), ut virgo cum filio Emmanuele (Is. 7, 14), ut radix cum flore (Is. 11, 1), ut femina circumdans virum (Ierem. 31, 22), ut mater cum filio (Matth. 1, 18 sq.; 2, 11; Luc. 2, 16 sq.; 1, 41 sq.; Ioan. 2, 1 sq.). Postremo hoc maxime loco, quomodocunque accipiatur illud a Christo dictum: „nondum venit hora mea“ [2]), videtur non posse negari Christum Mariae precibus aliquo modo exoratum patravisse miraculum, idque et Mariae ipsi et ministris fuisse persuasum.

2. Hinc a *Patribus* vocatur „viventium mater“ [3]), „salutis ministra“ [4]), „mediatrix“ [5]). Salutatur: „Maledicti solutio et peccati expiatrix Virgo sancta! Per te solutum est condemnationis signaculum, et per te erecta est prima mater, quae peccando cecidit.“ [6]) „Benedicta tu inter mulieres, per quam maledictum terrae exstirpatum est et sententia damnationis accepit solutionem.“ [7]) „Salve verus virginitatis thesaurus, revocatio progenitricis et solutio maledicti, quo fuit progenitor maledictus.“ [8]) „Pavet coelum, tremunt angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, et una puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, coelis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum coelestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat.“ [9])

3. *Ecclesiae* sensus idem testatur. Applicat enim illi Ecclesia verba illa: „In me omnis spes vitae et virtutis“ (Eccl. 24, 25); „in me gratia omnis viae et veritatis“ (ibid.); „qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino“ (Prov. 8, 35). Vocat eam

---

[1]) Hurter, Medulla n. 787.

[2]) Cf. Rottmanner in ‚Theolog. Quartalschrift‘ 1892, 213 sq.; Nisius in ‚Zeitschrift für kath. Theologie‘ 1893, 548 sq.

[3]) Epiph. Haer. 18.

[4]) Chrysol. Sermo 140.

[5]) Bernardus, Anselmus etc.

[6]) Hymn. in nativ. Christi.

[7]) Offic. Syr. 1 noct. Sabb.

[8]) Menae. Graec. 4. febr.

[9]) Chrysol. Sermo 140.

Ecclesia in ‚Salve Regina' „vitam, spem nostram", postulatque ut „post hoc exilium Iesum nobis ostendat." Hinc demum Leo XIII non veretur haec de Maria scribere: „Vere proprieque affirmare licet nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro (redemptionis), quem attulit Dominus, si quidem gratia et veritas per Iesum Christum facta est, nihil nobis nisi per Mariam Deo sic volente impertiri, ut quo modo ad summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere, ita fere nisi per matrem accedere nemo possit ad Christum." [1])

2. Ex *ratione theologica* colligitur.

1. Maria multum contulit ad *incarnationis* et *redemptionis* mysterium: tum *physice*, ex substantia sua corpus mediatoris atque salutis nostrae pretium ministrando; tum *moraliter*, loco totius naturae humanae consensum suum praebendo voluntarium et ad suam cum Deo coniunctionem et ad spirituale inter Filium Dei et humanam naturam velut matrimonium ineundum.

2. Maria hinc plurimum valet ad *gratiam et salutem nobis obtinendam*. „Non sola familiaritatis est causa, quod diu mansit (Maria), sed etiam tanti vatis (i. e. Ioannis) profectus; nam si primo ingressu tantus processus exstitit, ut ad salutationem Mariae exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis: quantum putamus usu tanti temporis sanctae Mariae addidisse praesentiam?" [2]) „Fecit tibi magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in coelo et in terra . . . accedis ad illud aureum reconciliationis humanae altare non solum rogans, sed etiam imperans, domina, non ancilla." [3]) Cf. Bernard. in lect. 2 noct. fest. Auxilii christianorum.

COROLLARIUM **1.** Tanta est Mariae *potentia* ad salutem nostram procurandam, ut theologi asserere non dubitent: a. eiusdem preces plus habere apud Deum efficaciae quam omnium reliquorum sanctorum orationes etiam simul sumptas [4]); b. nullam a Deo cuiquam concedi gratiam, quae non concedatur aliquo modo per Mariam, ita ut, quemadmodum ait Contenson, „Christi vulnera gratiarum fontes sint, sed ad nullos deriventur rivi nisi per Mariam"; c. sicut Christus est caput hominum et angelorum, ita etiam angelos aliquo modo per Mariam salutem fuisse consecutos: „Utraque natura per hanc reparatur, et angelorum ruina per hanc restaurata est et natura humana reconciliata." [5])

2. Huc spectat, quod Maria *mater* nostra et dicitur et est. Mater autem Maria est tum omnium hominum tum maxime fidelium; idque titulo multiplici: a. Titulo *cognationis*, quia cum sit sensu proprio mater Christi, Chri-

[1]) Leo XIII, Encycl. 22. sept. 1891.
[2]) Ambros. In Luc. 2, 29.
[3]) Petr. Dam. Sermo 1 de Nativ. 14.
[4]) Suarez, Disp. 23 sect. 4.
[5]) Rich. Victorin. In Cantic. 4.

stus vero sit „primogenitus in multis fratribus“ (Rom. 8, 29) i. e. hominibus, atque adeo „non confunditur fratres eos vocare“ (Hebr. 2, 11), Maria etiam mater nostra est. b. Titulo *cooperationis* ad nostram salutem tum physice per Filium suum vitam nobis dando tum moraliter consensu suo in incarnationem praestito: „Maria plane mater membrorum Christi, quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt; corpore vero ipsius capitis mater.“ [1]) c. Hinc etiam titulo *sollicitudinis* perpetuae de salute nostra, qua sollicitudine fit, ut sit speciatim „salus infirmorum“, „refugium peccatorum“, „consolatrix afflictorum“, „auxilium christianorum“ (Litan. Lauret.). d. Denique titulo *haereditatis*, qua a Christo Filio in cruce iamiam morituro (Ioan. 19, 26 sq.) in persona Ioannis nos omnes filios spirituales accepit: „In Ioanne, sic S. Bernardinus, intelligimur omnes, quorum B. Virgo per dilectionem facta est mater.“ [2])

3. Hinc etiam intelligitur, cur Maria *haeresium victrix* in Ecclesia habeatur ac celebretur. In Officio de Communi B. M. V. haec legitur antiphona: „Gaude, Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti.“ Quae antiphona in festo Purificationis, teste Amalario saec. 8 et 9 et teste Codice aliquo in bibliotheca Karlsruhensi asservato saec. 12, iam sub Bonifacio IV (608 – 615) Romae recitari solebat. [3]) Idem porro quod hac antiphona habetur, S. Bernardus sic edicit: „(Maria) sola contrivit universam haereticam pravitatem.“ [4])

Iam vero *multipliciter* Maria victrix haeresium dici potest: a. *Doctrina* de Maria praecipuarum haeresium est confutatio; complectitur enim ea praecipuas fidei christianae veritates. Immaculata eius conceptione et peccati originalis veritas et necessitas redemptionis et universi ordinis supernaturalis existentia comprobatur; maternitate eius duplicis Christi naturae veritas personaeque unitas luculenter demonstratur; virginitate eius Deo serviendi perfectissima ostenditur via; assumptione denique et Christi et generatim omnis carnis resurrectio evincitur. b. *Mater Christi* est atque adeo illum nobis genuit, qui „erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum“ (Ioan. 1, 9), qui fidem condidit fideique unitatem suis a Patre moriturus adprecatus est, bonum omnium bonorum summum (Ioan. 17, 10 sq.). Ut Christi mater Maria est etiam mulier illa, quae per Filium et cum Filio suo daemonis, qui est pater mendacii (Ioan. 8, 44) et auctor omnium haeresium, confringet potestatem (Gen. 3, 15). c. Maria fide sua

---

[1]) Augustin. De s. virgin. 6.

[2]) Sensus hic illius „ecce filius tuus“, „ecce mater tua“, quod sc. Ioannes ibi gesserit personam fidelium omnium, non est sensus textus huius litteralis, sed *accommodatitius* et *deductus*, quatenus Christus nimirum voluit Mariam similia officia exercere erga nos nosque similia erga ipsam exhibere obsequia, qualia directe significavit futura esse inter Mariam et Ioannem. Primus, qui habeat sensum hunc accommodatitium, videtur esse Rupertus Tuitiensis saec. 12. — De Maria matre nostra cf. Bossuet, Sermon sur le Rosaire et 4 Sermon sur l'Annonciation; Bourdaloue, Sermon sur la dévotion à la Ste. Vierge.

[3]) Cf. Suitb. Baeumer in ‚Pastor bonus‘ 1891, 74 sq.

[4]) Bernard. Sermo de duodecim stellis.

exemplar fidei est, quippe quae ab ipso Spiritu Sancto praedicatur „beata", quia credidit (Luc. 1, 45). d. Maria *magistra Apostolorum* fidem annuntiantium erat; nam „licet Apostoli per revelationem Spiritus Sancti edocti fuerint omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius Maria per eum Spiritum veritatis illius veritatis profunditatem intelligebat, et per hoc multa eis per hanc revelabantur, quae in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat."[1] e. Maria mater *fidelium* est, ideoque necesse plane est, ut sollicitudine materna et potentissima sua apud Filium intercessione foveat ac tueatur bonum illud, unde sunt fideles et sine quo salvari non possunt, fidem sc. fideique et puritatem et unitatem. Unde Ecclesiae ipsi persuasum est, victorias illas, quae splendidissimae reportatae sunt de infidelibus v. g. Turcis, et haereticis v. g. Albigensibus, Mariae precibus deberi.[2]

Thesis 19.

Maria cultu hyperduliae est colenda.

Epiphanius uti Antidicomarianitas „contumeliosas in B. Virginem opiniones" spargentes, sic etiam *Collyridianos* „praeter modum ac rationem" Virginis dignitatem extollentes refutavit. Quae quidem haeresis aliquarum „muliercularum" erat et „plurimum stultitiae" habebat.[3] In eo autem Collyridiani eodem Epiphanio teste peccaverunt, quod B. Virginem, quasi altioris esset naturae ac reliqui homines, adorari eique sacrificia fieri volebant. — Qui saeculo 16 Christi religionem „*reformandam*", ut ipsis videbatur, aggressi sunt, mirum est, qua aversione in Christi matrem exarserint; eo quippe maiorem se Christo honorem stulte putaverunt delaturos, quo illam eius matrem magis vilipenderent.

Ecclesia *catholica* Mariam, cum confitetur esse „mulierem eiusdemque cum ceteris naturae" neque adeo ullo modo coli posse eo cultu qui soli debetur Deo, sc. cultu latriae, quia tamen a Deo ipso „amplissimis honoribus affecta est"[4], colendam esse docet cultu excellentiore quam quo reliqui sancti colantur, cultu videlicet qui *hyperduliae* dicitur.

DEMONSTRATUR: Mariae cultus debetur *hyperduliae*.

1. Ex *ratione theologica* probatur, sc. ex dignitae Mariae eximia.

---

[1]) Anselm. De excell. virgin. 7.

[2]) Cf. Brev. Rom. Offic. B. M. V. sub titulo ‚Auxilium christianorum', et ‚SS. Rosarii'.

[3]) Qua occasione Epiphanius acriter invehitur in mulieres impie sibi arrogantes, quae sacra sunt; „quod genus, ait, lubricum et in errorem proclive ac pusilli admodum et angusti animi esse solet" (Haer. 79, 1).

[4]) Epiph. l. c.

„Beatissima Virgo, ita S. Bonaventura, pura creatura est: et ideo ad honorem et cultum latriae non ascendit. Sed quoniam excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae. Hoc autem nomen est, quod virgo existens Dei mater est; quod quidem tantae dignitatis est, quod non solum viatores, sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam angeli eam revereantur quadam praerogativa speciali. Ex hoc enim, quod mater Dei est, praelata est caeteris creaturis, et eam prae caeteris decens est honorari et venerari." [1])

2. Ex *fidei deposito* probatur Mariam speciali modo esse colendam.

Concedendum quidem est, aliquem in hoc ipso cultu Mariae decursu temporis deprehendi progressum: amplior fuit sane et expressior postquam in Concilio Ephesino dignitas Mariae suprema, propter quam maxime est colenda, sc. divina eius maternitas, solemniter agnita et proclamata est. Verum etiam anteriore certe tempore aliquis Mariae apud christifideles exstabat cultus. Nec mirum: „Quid, sic Bernardus, ego tento in eius laudibus, quam laudabilem praedicant *prophetae*, perhibet *angelus*, narrat *evangelista?* Non ego laudo quia non audeo, sed tantum replico devotus, quod iam explicavit per os evangelistae Spiritus Sanctus." [2]) Possumus addere: per os etiam *ipsius Virginis Deiparae* prophetice praedicentis: „Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes" (Luc. 1, 48).

Testes huius etiam antiquissimi erga B. Virginem cultus encomia sunt Patrum [3]), quorum in superioribus complura audivimus, imagines eius sacrae, quae frequentes in veteribus Urbis coemeteriis conspiciuntur [4]), commemoratio eius imo preces ad ipsam fusae in antiquissimis et orientalibus et occidentalibus liturgiis. [5])

SCHOLION 1. De *modo*, quo cultus erga B. M. V. exerceatur, Suarezius haec habet: „Inter alios sanctos non utimur uno ut intercessore ad alium, quia omnes sunt eiusdem ordinis; ad Virginem autem tamquam ad reginam et dominam alii adhibentur intercessores: quo sensu angelicam salutationem aliis sanctis recitamus, ut nimirum eam pro nobis Virgini reprae-

---

[1]) S. Bonav. 3 dist. 9 a. 1 q. 3; cf. S. Th. 3 q. 25 a. 5.

[2]) Bernard. Hom. 4 super ‚Missus est'.

[3]) Patrum posteriorum testimonia plurima inveniuntur in Officiis B. M. V. in Breviario Romano.

[4]) Cf. Lehner, Die Marienverehrung in den ersten Iahrhunderten 182 sq.; Liell, Mariendarstellungen in den Katakomben. Liell p. 386 sq. hanc statuit thesim: „Die Darstellungen der allerseligsten Iungfrau Maria auf den Kunstdenkmälern der Katakomben liefern einen unumstösslichen Beweis für den apostolischen Ursprung der Marienverehrung."

[5]) Cf. Asseman. Codex liturg. 4, 2; Martène, De antiquis Eccl. ritibus 1, 4, 8.

sentent. Nonnullos sanctos ad haec vel illa specialia beneficia obtinenda singulares advocatos habemus; Virginem autem ad omnia habemus universalem advocatam. Ecclesia sancta et praestantioribus modis Virginem orat et frequentius ac instantius ad illam quam ad reliquos sanctos orat. Nullus enim est dies, in quo non illi publicas orationes offerat vel in Horis canonicis vel in Missae sacrificio vel signo publice dato semel aut bis aut ter in die, ut universus populus Virginem deprecetur. Praeterea in concionibus etiam publicis orationem ad Virginem praemittit. Deinde ad eam invocandam plures dies festos illi habet dicatos. Sentit ergo Ecclesia, Virginis intercessionem et orationem prae omnibus aliis sibi esse utilem ac necessariam. Est ergo B. Virgo a nobis prae omnibus oranda. Ut autem Bernardus dixit, ne oratio inefficax sit, post Deum est a nobis amanda et imitanda.“ [1])

2. Devotio erga Deiparam Virginem iure merito inter signa *praedestinationis* habetur praecipua. „Sicut impossibile est, ut illi, a quibus Maria oculos suae misericordiae avertit, salventur: ita necessarium, ut hi, ad quos convertit oculos suos pie eis advocans, salventur et glorificentur.“ [2]) „Qui perstat in obsequio tuo, procul fiet a perditione.“ [3]) „Quantumcunque quis fuerit peccator, si Mariae devotus exstiterit, nunquam in aeternum peribit.“ [4]) „Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum.“ [5]) — Hic unum illud accipiatur egregie a S. Bernardo dictum „Quisquis te intelligis in huius saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare: ne avertas oculos a fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis: respice stellam, voca Mariam. Si iracundia aut avaritia, aut carnis illecebra

---

[1]) Suarez, Disp. 23 sect. 3. — Quamquam dubium non est, quin primum in universa erga Deiparam devotione locum teneat eiusdem *imitatio*: maxime tamen cavere nos oportet opinionem illorum, qui, ubi desit illa virtutum imitatio, reliqua cultus exercitia nihili facienda esse existiment. „Défiez-vous, ita episcopus Algeriensis suos bene hortabatur sacerdotes (Epist. quadrag. a. 1858), défiez-vous de ce zèle amer et peu éclairé qui fait consister entièrement la dévotion à la Sainte-Vierge dans l'étroite observation de ses exemples, et qui hors de là ne reconnaît rien de bon, rien d'utile dans les pratiques de l'Eglise instituées en son honneur. Prêcher que la piété envers Marie de la part de ceux qui vivent dans le désordre est une piété mensongère, injurieuse à Jésus-Christ et à sa Mère, une observance dérisoire, une vaine et criminelle confiance, c'est outrepasser la règle et fausser la vérité, c'est arrêter le courant de la grâce, et, à force de sécheresse et d'exagération, enter le désespoir sur la faiblesse, quand l'intention de l'Eglise est de greffer le repentir sur la miséricorde.“

[2]) S. Antonin. Summa theol. p. 4 tit. 50.

[3]) S. Bonav. In Ps. 118.

[4]) Hilar. In Matth. 12.

[5]) Oratio quae S. Bernardo tribuitur et certe iam saec. 15 nota erat (cf. ‚Pastor bonus‘ 1899, 190).

naviculam concusserit mentis: respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, baratro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso: cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis." [1])

[1]) Bernard. Hom. 2 super ‚Missus est'. — Accipiantur etiam quae Walther von der Vogelweide hac de re egregie dicit:

„Nû biten wir die muoter
und ouch der muoter barn,
si reine und er vil guoter
daz sie uns tuon bewarn,
wan âne sie kan niemen
noch hie noch dort genesen:
und widerredet daze iemen,
der muoz ein tôre wesen."



PARS II.

SOTERIOLOGIA.

Postquam dictum est de ipso incarnationis mysterio seu de Christologia, dicendum relinquitur de iis, quae Verbum incarnatum ad salutem nostram egit et passus est, i. e. de Christo Redemptore seu de Soteriologia.

Errores contrarii et doctrina catholica.

Errores sunt alii circa vitae Christi *facta* aliqua, quae ad fidem adstruendam summi sunt momenti, maxime circa resurrectionem Christi a mortuis et ascensionem eius in coelum; quae quidem facta non solum ab iis, qui Christi sunt inimici, sed etiam a plurimis nostrorum dierum theologis fidem, ut ipsis videtur, christianam profitentibus e castris Protestantium vel in dubium vocantur vel prorsus negantur. — Alii errores circa *valorem* sunt, qui ad nostram efficiendam salutem Christi vitae ac praesertim passioni tribuendus sit. Iam *Gnostici* et *Pelagiani*, illi quidem veritatem passionis, hi nostram miseriam negantes, Christum sola sua hominibus profuisse statuerunt doctrina et virtutum exemplis. Hunc errorem et *Abaelardus* aliquatenus amplexus est et *Sociniani* suum prorsus fecerunt; quos deinde e Protestantibus secuti sunt permulti, qui *Rationalistae* dicuntur, et e catholicis *Hermes*, qui non admittens Dei iustitiam vindicativam solum ideo peccata hominum in Christo vult esse punita, ut nos hac poena moti a peccando deterreamur. *Reformatores* et qui e Protestantibus vocantur *Orthodoxi* ita a Christo passo pro nobis statuunt fuisse Deo satisfactum, ut nobis ad salutem nostram consequendam nihil iam reliquum sit agendum.

Doctrina *catholica* contra hos errores partim in aliis theologiae tractatibus continetur, partim, prout in hac tractatione erit probanda,

his Symboli verbis brevissime enuntiatur: „Qui (in Symbolo Constantinopolitano: propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est) passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis."

Ex dictis colligitur, totam hanc de Christo Redemptore tractationem in duo capita apte dividi posse, in quorum priore dicetur de ipsis illis, quae Christus ad salutem nostram *egit*, altero de *virtute*, quae est illorum ad salutem nostram.

Caput I.

De Praecipuis Vitae Christi Gestis.

Universam hanc tractationem S. Thomas ad quatuor partes reducit. In prima agit de Christi *ingressu* in mundum, in secunda de *progressu* vitae Christi in hoc mundo, in tertia de *egressu* eius ex hoc mundo, in quarta de Christi post hunc mundum *exaltatione*.

At vero nec vacat haec omnia et singula fuse pertractare, nec cum non omnia ad fidem adstruendam necessario spectent, in theologia dogmatica ut tractentur opus est. [1]) Pauca aliqua dicemus, quae magis utilia esse videntur.

Articulus I.

De ingressu Christi in hunc mundum.

S. Thomas hic agit de Christi *conceptione, nativitate, circumcisione, baptismo.*

Praecipua vero, quae de Christi tum conceptione tum nativitate dicenda forent, dicta iam sunt, maxime ubi de B. Virgine Maria Christi matre agebatur.

1. Circa Christi *nativitatem* hic de solis eius aliquibus *adiunctis* aliqua dicenda videntur.

---

[1]) Ad totam Christi vitam recte et utiliter tum cognoscendam tum meditatione recolendam innumeri scripti sunt libri, in quibus eminent ex recentioribus *Grimm*, Das Leben Iesu nach den vier Evangelien; *Lohmann*, Das Leben Iesu Christi nach den vier Evangelien; *Meschler*, Das Leben Iesu in Betrachtungen; *Coleridge*, The public life of our Lord; *Didon*, Iésus-Christ.

a. Ac primo quidem de origine *Davidica* et nativitatis *loco*. Messiam oriturum esse ex stirpe *David* Deus ipse Davidi promiserat (2 Reg. 7, 12 sq. et 22, 51 sq.) et per prophetas deinde saepius repetiverat (Ier. 23, 5 sq.; 30, 9; 33, 20 sq.; Ezech. 34, 23); quam rem notissimam fuisse etiam Iudaeis patet ex illo: „Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David" (Matth. 22, 42). Locus porro nativitatis significatur esse urbs Davidica *Bethlehem*.[1]) Hinc Matthaeus exorditur suum evangelium: „Liber generationis Iesu Christi filii David" (Matth. 1, 1); Lucas in narranda annuntiatione nativitatis dicit angelum missum fuisse „ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David" (Luc. 1, 27); angelus ipse docet Deum daturum filio nascituro „sedem David patris eius" (Luc. 1, 32); Ioseph „ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore", „ascendit in civitatem David quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David" (Luc. 2, 4 sq.); angelus pastoribus nuntiat: „Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David" (Luc. 2, 11); Matthaeus urget: „Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda" (Matth. 2, 1). Herodi sciscitanti, „ubi Christus nasceretur", principes sacerdotum et scribae nihil haesitantes responderunt: „In Bethlehem Iudae; sic enim scriptum est per prophetam: et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel" (Matth. 2, 4 sq.).

Ratio porro, cur Messias in Bethlehem nasci voluerit, haec fuit: ut sicut David ex Bethlehem oriundus vocatus est ut regeret populum Israel, ita Messias, Davidis filius, ex eadem humili civitate ad regnum Dei perpetuum condendum prodiret. Gregorius M. praeterea hanc aliam affert rationem: „Bethlehem domus panis interpretatur: ipse autem Christus est qui ait: «Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi»."[2])

b. Secundo loco pauca dicenda sunt de *manifestatione* nativitatis Christi.

Patet Christum natum et generatim debuisse manifestari et conveniens fuisse non omnibus, sed immediate solum aliquibus manifestari, per quos deinde, ut est providentiae divinae ordo, aliis manifestandus esset. Manifestata autem est Christi nativitas pastoribus, magis, Simeoni et Annae.

Quod erat maxime *conveniens*: „Salus, quae erat futura per Christum, ad omnem diversitatem hominum pertinebat. Et ut hoc in ipsa Christi nativitate praefiguraretur, omnibus conditionibus hominum est manifestatus;

---

[1]) Mirari satis non poteris singularem hominis increduli audaciam, qua affirmat Renan (Vie de Iésus, ch. 2): „Iésus naquit à Nazareth", et ut rem probet, provocat ad Matth. 13, 54; Marc. 6, 1; Ioan. 1, 45, quibus testimoniis nihil aliud habetur, quam Nazareth „patriam" Christi fuisse.

[2]) Gregor. M. Hom. 8 in Evang.

quia, ut Augustinus dicit, «pastores fuerunt Israelitae, magi Gentiles, illi prope, isti longe, utrique tamen ad angularem lapidem concurrerunt».[1]) Fuit etiam inter eos alia diversitas: nam magi fuerunt sapientes et potentes, pastores autem simplices et viles; manifestatus etiam est iustis, sc. Simeoni et Annae, et peccatoribus, sc. magis; manifestatus est etiam et viris et mulieribus, ut per hoc ostenderetur, nullam conditionem hominum excludi a Christi salute."[2])

2. *Circumcisionis* Christi finem ac necessitatem sic probat S. Thomas: „Pluribus de causis Christus debuit circumcidi: Primo quidem ut ostendat veritatem carnis humanae, contra Manichaeum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum, et contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse divinitati consubstantiale, et contra Valentinum, qui dicit Christum de coelo corpus attulisse. Secundo ut approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat. Tertio ut comprobaret se esse de genere Abrahae, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat. Quarto ut Iudaeis excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumcisus. Quinto ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo; unde et octava die circumcisus est, sicut in lege erat praeceptum. Sexto ut, quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo caro peccati consueverat mundari, non respueret. Septimo ut legis onus in se sustinens alios a legis onere liberaret, secundum illud Gal. 4, 4 sq.: «Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.»"[3])

---

[1]) Augustin. Sermo de temp. 32, 1.

[2]) S. Th. 3 q. 36 a. 3. — *Magi*, qui viri sapientes ac nobiles erant (de regia eorum potestate nec Scriptura nec Patres quidquam habent), ex *oriente*, i. e. vel ex Perside vel ex Babylonia vel ex Chaldaea vel ex Arabia venerunt. Inde ab Origene *tres* communiter existimantur fuisse, quorum hodie vulgo referuntur nomina: Caspar, Melchior, Balthasar. Magos vaticinio Balaami de stella ex Iacob oritura edoctos fuisse plurimi existimant; quidquid est, exspectatione Messiae tunc temporis longe lateque diffusa, magi sideribus contemplandis dediti ex apparitione *stellae insolitae*, Deo ipso eos intus illustrante, eventum magnum imo Messiae ipsum adventum cognoverunt. Stella vero ipsa concipi debet apparitio quaedam luminosa terrae vicina, quae et in oriente facta fuit magis et in Bethlehem nativitatis locum monstravit, quin ipsius itineris comes fuisse dicatur.

Quo denique *tempore* magi advenerint non constat; certum tamen videtur eos non ante pueri in templo praesentationem advenisse. *Ordo chronologicus* rerum verosimiliter hic est: Octavo post nativitatem die puer circumcisus, quadragesimo in templo est praesentatus. Deinde parentes in civitatem Nazareth reversi rebus suis compositis in Bethlehem transmigrarunt. Hic magi puerum adoraverunt, nocte moniti parentes cum puero in Aegyptum fugerunt, Herodes illusus pueros Bethlehemiticos occidi iussit. Paulo autem post Herode mortuo, parentes Iesu reversi et ab angelo moniti in Nazareth sedem suam fixerunt. Cf. de his quaestionibus Grimm, Das Leben Iesu 1; Cornely, Introd. 3, 203 sq.; Knabenbauer in 2 Matthaei; aliosque auctores ibi citatos.

[3]) S. Th. 3 q. 37 a. 1.

Nomen in circumcisione aliquod imponi solebat. Nomen autem Christo imponendum divinitus erat revelatum. „Et vocabis nomen eius Iesum“ (Luc. 1, 31; cf. Matth. 1, 21). „Quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur“ (Luc. 2, 21). Ἰησοῦς hebr. יֵשׁוּעַ est forma abbreviata pro יְהוֹשׁוּעַ i. e. Iahve est salus. Unde recte explicatur σωτήρ i. e. salvator, et ab angelo ipso declaratur: „Ipse enim salvum faciet (σώσει) populum suum a peccatis eorum“ (Matth. 1, 21). Patet hoc nomen aptissimum fuisse. „Quia Christo hoc munus gratiae collatum erat, ut per ipsum omnes salvarentur, ideo convenienter vocatum est nomen eius Iesus, i. e. Salvator, angelo hoc nomen praenuntiante non solum matri, sed etiam Ioseph, qui erat futurus eius nutritius.“ [1]) Hinc Apostoli miracula, quae patrarunt, semper „in nomine Iesu“ operati sunt (Act. 3, 6; 16, 18). Hinc baptismus, sacramentum salvationis nostrae, „in nomine Iesu“ conferebatur (Act. 2, 38). Hinc quaecunque agimus „in nomine Domini Iesu Christi“ facere iubemur (Col. 3, 17). Hinc porro Petrus „nec aliud nomen, inquit, est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri“ (Act. 4, 12). Hinc denique Paulus: „Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum“ (Phil. 2, 9 sq.).

3. Die post nativitatem quadragesimo Christus in templo est *praesentatus*. De qua eius oblatione haec leguntur: „Postquam impleti sunt dies purgationis eius (Mariae) . . ., tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino; sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum“ (Luc. 2, 22 sq.).

Rationem duplicem oblationis huius sic exponit S. Thomas: „Christus voluit sub lege fieri, ut eos qui sub lege erant redimeret et ut iustificatio legis in suis membris spiritualiter impleretur. De prole autem nata duplex praeceptum in lege traditur: *Unum* quidem generale quoad *omnes*, ut scilicet completis diebus purificationis matris offerretur sacrificium pro filio sive pro filia, ut habetur Levit. 12: et hoc quidem sacrificium erat et ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta et nata, et etiam ad consecrationem quandam ipsius, quia tunc primo praesentabatur in templo, et ideo aliquid offerebatur in holocaustum et aliquid pro peccato. *Aliud* autem praeceptum erat speciale in lege de *primogenitis* tam in hominibus quam in iumentis: sibi enim Dominus deputaverat omne primogenitum filiorum Israel, pro eo quod ad liberationem populi Israel percusserat primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus, primogenitis filiorum Israel reservatis; et hoc mandatum ponitur Exodi 13, in quo etiam praefigurabatur Christus, qui est promogenitus

---

[1]) S Th. 3 q. 37 a. 2.

in multis fratribus, ut dicitur Rom. 8, 29. Quia igitur Christus ex muliere natus erat quasi primogenitus, et voluit fieri sub lege, haec duo Evangelista Lucas circa eum fuisse observata ostendit."[1])

Congruum etiam maxime erat, ut *Maria* Christi mater, quantumvis mundissima, legi purgationis obediret. „Sicut plenitudo gratiae a Christo derivatur in matrem, ita decuit, ut mater humilitati filii conformaretur. Et ideo sicut Christus, licet non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem et alia legis onera subire ad demonstrandum humilitatis et obedientiae exemplum et ut approbaret legem et ut calumniae occasionem Iudaeis tolleret: propter easdem rationes voluit et matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia."[2])

4. Christi *baptismus* est solemnis eius aliqua manifestatio. Ioannes iam de absente Christo testimonium exhibuerat docens: „Qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare (alii evangelistae: solvere corrigiam calceamentorum eius); ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni (i. e. baptismo quo ipsa Spiritus Sancti gratia efficacissimo modo debebat conferri) (Matth. 3, 11). Christum baptizans iam de ipso praesente testatur: „ego a te debeo baptizari"; coelesti porro apparitione et voce superna Christus etiam magnificentius manifestatur simulque ad munus suum solemniter quasi initiatur.

Baptismi ipsius significationem sic explicat S. Thomas: „Conveniens fuit Christum baptizari. Primo quidem quia, ut Ambrosius dicit (in Luc. 3), «baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutae per carnem Christi, qui peccatum non cognovit, baptismatis vim haberent». Secundo quia, sicut Chrysostomus dicit (in Matth. Hom. 4), «quamvis ipse non esset peccator, tamen naturam suscepit peccatricem et similitudinem carnis peccati; propterea etsi pro se baptismate non indigebat, tamen in aliis carnalis natura opus habebat. Tertio baptizari voluit, sicut Augustinus dicit (Sermo 29 de temp.), «quia voluit facere, quod faciendum omnibus imperavit»."[3])

Articulus II.

De progressu Christi in hoc mundo.

Hic agit S. Thomas de modo *conversationis* Christi, de *tentatione* eius, de *doctrina*, de *miraculis*. Pauca aliqua de singulis dicemus.

1. *Tentationem* Christi, quae baptismum statim secuta est, audivimus per solam exteriorem suggestionem esse potuisse.[4])

---

[1]) S. Th. 3 q. 37 a. 3.
[2]) S. Th. 3 q. 37 a. 4.
[3]) S. Th. 3 q. 39 a. 1.
[4]) Cf. supra th. 9.

De tentationis *convenientia* haec habet S. Thomas: „Christus tentari voluit: Primo quidem ut nobis contra tentationes *auxilium* ferret; unde Gregorius dicit (Hom. 16 in Evang.): «Non erat indignum Redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi; iustum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare.» Secundo propter nostram *cautelam*, ut nullus quantumcunque sanctus se aestimet securum et immunem a tentatione; unde et post baptismum tentari voluit: quia, sicut Hilarius dicit (in Matth.), «in sanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta grassantur; quia victoria magis est ei exoptata de sanctis». Tertio propter *exemplum*, ut scilicet nos instrueret, qualiter diaboli tentationes vincamus; unde Augustinus dicit (De Trin. 4, 13): «Christus diabolo se tentandum praebuit, ut ad superandas tentationes eius mediator esset, non solum per adiutorium, verum etiam per exemplum.» Quarto ut nobis *fiduciam* de sua misericordia largiretur; unde dicitur Hebr. 4, 15: «Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.»“ [1])

2. Ad Christi *conversationem* quod spectat, imprimis manifestum est, eius vitam omnium virtutum perfectissimum esse *exemplar*. De impeccantia eius ac sanctitate supra dictum est. [2]) Est videlicet Christus „via et veritas et vita“ (Ioan. 14, 6), et qui eum sequitur, „non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae“ (Ioan. 8, 12). Hinc ipse sui ipsius exemplum proponit, quod imitemur: „Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis“ (Ioan. 13, 15). Et Apostolus de Deo dicit: „Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus“ (Rom. 8, 29). [3])

Speciatim porro haec animadvertenda videntur: „Conversatio Christi talis debuit esse, ut conveniret fini incarnationis, secundum quem venit in mundum. Venit autem in mundum: Primo quidem ad *manifestandum veritatem*, sicut ipse dicit Ioan. 18, 37: «In hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati»; et ideo non debebat se occultare, vitam solitariam agens, sed in publicum procedere, publice praedicando; unde Lucae 4, 43 dixit illis qui volebant eum detinere: «Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.» Secundo venit ad hoc, ut homines *a peccato liberaret*, secundum illud 1 Tim. 1, 15: «Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.» Et ideo, ut Chrysostomus dicit (Luc. 4), licet «in eodem loco manendo posset Christus ad se omnes attrahere, ut eius praedicationem audirent, non tamen hoc fecit, praebens nobis exemplum, ut perambulemus et requiramus pereuntem, sicut pastor ovem perditam, et medicus accedit ad infirmum.» Tertio venit, ut per ipsum habeamus *accessum ad Deum*, ut dicitur Rom. 5, 2; et ideo familiariter cum homini-

---

1) S. Th. 3 q. 41 a. 1.

2) Cf. th. 9.

3) De argumento apologetico ad Christi divinitatem ex vitae sanctitate probandam, quo sensu valeat, quo non, cf. ‚Pastor bonus‘ 1896, 449 sq.

bus conversando conveniens fuit, ut hominibus fiduciam daret ad se accedendi; unde dicitur Matth. 9, 10: «Factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Iesu et discipulis eius.»“ [1]) — Hinc etiam „congruum erat incarnationis fini, ut Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conversaretur; qui autem cum aliquibus conversatur, convenientissimum est, ut se eis in conversatione *conformet*, secundum illud Apostoli (1 Cor. 9, 22): «Omnibus omnia factus sum»: et ideo convenientissimum fuit, ut Christus in cibo et potu communiter se, sicut alii, haberet.“ [2])

3. De *doctrina* et *miraculis* Christi hae statuantur theses [th. 20 et 21]:

Thesis 20.

Christus omnium hominum est magister.

Agitur hic de Christi munere, quod dicitur propheticum. *Propheta* (נָבִיא et רֹאֶה videns) ille est qui nomine alterius loquitur (Exod. 4, 16; 7, 1, ubi Aaron propheta Moysis dicitur), speciatim nomine Dei. Est igitur propheta magister qui auctoritate a Deo accepta hominibus divina nuntiat. Inter quae divina ea eminent, quae, uti res futurae, ab hominibus certo sciri non possunt. Hinc, ut Christus propheta et omnium hominum magister fuisse probetur, ostendendum erit, tum generatim eum hominibus divina nuntiasse idque eximio plane modo, tum speciatim eum etiam futura praedixisse.

DEMONSTRATUR: **1.** Christus generatim *magister* est divina annuntians.

1. *An* sit Christus hominum magister, ex Scriptura utriusque Testamenti probatur.

a. In *Vetere Testamento* Christus praedicitur futurus summus propheta. „Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui (i. e. Moysis) et ponam verba mea in ore eius loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi“ (Deut. 18, 18). Qui quidem propheta saltem principaliter Christus Messias futurus intelligendus est esse, uti patet ex verbis Petri: „Moyses quidem dixit: Quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tamquam me .... Vobis primum Deus suscitans Filium suum misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua“ (Act. 3, 22 sq.). — „Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et

---

[1]) S. Th. 3 q. 40 a. 1.

[2]) S. Th. 3 q. 40 a. 2.

clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem Domino et diem ultionis Deo nostro“ (Is. 61, 1 sq.). Quod vaticinium in seipso impletum esse, sic Christus ostendit: „Quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris“ (Luc. 4, 21).

b. In *Novo Testamento* Christus diserte praedicatur esse hominum magister et summus prophetarum. Christus magister vocari vult: „Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim“ (Ioan. 13, 13); „Magister vester unus est, Christus“ (Matth. 23, 10). Dicitur loqui mandata Patris (Ioan. 14, 10; 17, 8), esse lux mundi (Ioan. 8, 12), via, veritas et vita (Ioan. 14, 6). Est maior omnibus prophetis, cum quae apud Deum viderit ipse annuntiet solus (Ioan. 3, 31 sq.); Ioannes venisse dicitur, ut testimonium perhiberet de lumine (Ioan. 1, 8), omnes prophetae de eo testimonium exhibere dicuntur (Act. 10, 43). Hinc Christus potestatem confert omnes homines docendi, ipse mansurus primus magister: „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes . . . ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi“ (Matth. 28, 18 sq.). Hinc porro Christi doctrina immutabilis erit: „Videte, ne recusetis loquentem (Iesum); si enim illi (Iudaei inobedientes) non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur (Moyses), multo magis nos, qui de coelis loquentem nobis avertimus. Cuius vox movit terram tunc, nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel (ἅπαξ), et ego movebo non solum terram, sed et coelum (Agg. 2, 7). Quod autem ‚adhuc semel‘ dicit, declarat mobilium translationem tamquam factorum, ut maneant ea quae sunt immobilia (ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα)“ (Hebr. 12, 25 sq.). Hinc denique anathema dicitur ei, qui aliud evangelium annuntiaverit (Gal. 1, 8).

2. *Qua ratione* Christus et tempore vitae suae mortalis fuerit et esse perseveret omnium hominum magister, S. Bonaventura in illud: „Magister vester unus est Christus“ egregie explicat probans, Christum esse „fontale principium illuminationis cognoscitivae“. Ubi Seraphicus considerat tum Christi triplex magisterium tum nostra erga hunc magistrum nostrum officia.

a. *Triplex Christi magisterium*: Christus α. est magister cognitionis *fidei:* quatenus est tum principium omnis revelationis secundum adventum suum in mentem (lux revelativa omnium prophetalium visionum et lux sine qua nemo potest sacramenta fidei penetrare), tum firmamentum omnis auctoritatis secundum adventum suum in carnem (verbum approbativum omnium prophetalium locutionum); hinc est fundamentum totius fidei et totius doctrinae authenticae V. et N. Testamenti. Christus β. est magister cognitionis, quae est per *ratio-*

nem: quatenus tum immutabilitas ex parte scibilis non est nisi ex Verbo, in quo solo res esse immutabile habent, tum certitudo infallibilis ex parte scientis non est nisi ex Sapientia increata, quae Christus est. Christus γ. magister est cognitionis *contemplativae:* praebens sc. pastum tum interiorem in deitate, secundum quod Christus est Verbum increatum, tum exteriorem in humanitate, secundum quod Verbum incarnatum est. — *Ordo* igitur, quo ad sapientiam perveniatur, est, „ut inchoetur a stabilitate fidei et procedatur per serenitatem rationis, ut perveniatur ad suavitatem contemplationis". *Doctor* vero sapientiae Christus est, nobis cooperans quatenus est ratio intelligendi, habens sc. et conferens perfectissime sermonem et scientiae et sapientiae.

b. *Officia nostra erga Christum magistrum:* Christus magister α. *honorandus* est, ut ei tribuatur dignitas magisterii tum vocaliter in locutione tum realiter in imitatione. Christus β. *audiendus* est in humilitate fidei, quatenus auris nostra erigatur tum ad intelligendum tum ad obediendum. Christus γ. *interrogandus* est per desiderium addiscendi, non quidem curiose, sed studiose; interrogandus vero est quoad scientiam i. e. notitiam veri, quoad disciplinam i. e. cautelam mali, quoad bonitatem i. e. quoad electionem boni. — Hinc etiam magistri *ministeriales* doctrinam suam ordinare debent, ut intendant scientiae veritatis fidei, disciplinae sanctitatis animi, benevolentiae caritatis Dei et proximi; quare debent concordare in sententiis suis, cum dissensus ortum habeat a praesumptione.[1])

2. Christus speciatim *futura* praedixit.

1. Christus praedixit quae iam *impleta* sunt:

a. Christus uti rem certam praedixit *miracula* a se patranda ac deinde patrata: v. g. servum centurionis sanandum (Matth. 8, 5 sq.), filiam Iairi resuscitandam (Marc. 5, 22 sq.), decem leprosos mundandos (Luc. 17, 14), panes multiplicandos (Matth. 14, 15 sq.), pisces capiendos (Luc. 5, 4 sq.), staterem in ore piscis inveniendum (Matth. 17, 26), ficulneam arefaciendam (Matth. 21, 19 sq.), caeci oculos aperiendos (Ioan. 9, 1 sq.), Lazarum resuscitandum (Ioan. 11, 3 sq.).

b. De *se ipso* vaticinatus est: de passione sua futura sexcenties locutus est accurate praedicens v. g. se tradendum fore et morte damnandum, illudendum, flagellandum, conspuendum, crucifigendum (Matth. 20, 18 sq.; Luc. 18, 31 sq.; Ioan. 3, 14 sq.; 12, 32 sq.), se honorifice sepeliendum (Marc. 14, 8; Ioan. 12, 7), se triduo in sepulcro

---

[1]) Cf. S. Bonav. Sermo ‚Christus unus omnium magister'. Edit. ad Clar. Aq. 5, 567 sq.

mansurum (Matth. 12, 39 sq.), tertio die se resurrecturum (Matth. 16, 21; Ioan. 2, 18 sq.; Marc. 14, 58), suis sese post resurrectionem videndum praebiturum (Matth. 26, 32; 28, 10), se ad Patrem rediturum ac Spiritum Sanctum missurum (Ioan. 6, 62 sq.; 7, 33; 20, 17; 14, 2, 26; 16, 13 sq.).

c. De *discipulis* suis: Christus omnibus Apostolis praedicit futuram esse potestatem miracula patrandi (Matth. 10, 7 sq.); quam quidem potestatem exercuerunt (Luc. 10, 17 sq.). Scandalum praedicit, quod ex sua passione passuri sint (Matth. 26, 31). Speciatim praedicit Iudae proditionem (Matth. 26, 21 sq.; Ioan. 13, 21 sq.) et Petri negationem (Marc. 14, 30; Luc. 22, 34). Praedicit Petri primatum (Ioan. 1, 42; Luc. 5, 10) et martyrium (Ioan. 13, 36; 21, 18 sq.).

d. Destructionem *urbis Hierosolymitanae* Christus praedixit (Matth. 24; Marc. 13; Luc. 21). Praedixit scilicet magnum exitium futurum esse urbis in poenam infidelitatis, aliquos ex iis, qui tunc vixerunt, hoc exitium esse visuros, urbem ab hostibus vallo circumdandam fore, tribulationes futuras esse maximas, in templo desolationis abominationem et fugam incolarum, templum funditus diruendum et non iam restituendum, populum tandem ipsum reiiciendum et dispergendum.

2. Christus praedixit quae iugiter *implentur* et adhuc *implenda* sunt.

a. Praedixit *fidem* christianam omnibus populis futuram esse annuntiandam (Luc. 24, 46 sq.), *crucis* futuram victoriam (Ioan. 12, 23 sq.), fidei futuros *adversarios* et falsos prophetas (Matth. 13, 24 sq.; Luc. 12, 5 sq.; Matth. 24, 4 sq.; 7, 15), religionis suae universalitatem (Matth. 13, 47 sq.), etiam *pauperes* admittendos (Matth. 11, 5; Luc. 4, 18), futuros esse qui omnia *derelinquant* (Matth. 19, 21 sq.; 10, 9 sq.), proximi, imo etiam *inimicorum* fore, apud suos dilectionem (Ioan. 13, 34 sq.; Matth. 5, 43 sq.; 18, 23 sq.).

b. Praedixit *Ecclesiam* suam semper habituram esse *persecutores* (Matth. 16, 18; Ioan. 15, 18 sq.; 16, 1 sq.), contra quos discipulis suis utendum esse armis *patientiae* et *fiduciae* (Matth. 5, 10; 10, 16 sq.; Luc. 21, 14 sq.; Ioan. 16, 4), portas denique inferi *nunquam* contra Ecclesiam *praevalituras* esse (Matth. 16, 18).

c. Praedixit futurum suum *adventum* et *signa* eius (Matth. 24; Luc. 21), corporum futuram *resurrectionem* (Ioan. 5, 28 sq.) et ultimum *iudicium* (Matth. 24 et 25); de quibus in tractatu de Deo Consummante.[1]

---

[1]) De Christi vaticiniis cf. *Fr. Schmid* ‚Christus als Prophet', qui copiosam suam huius quaestionis tractationem sic concludit: „Wir finden da Weissagungen der verschiedensten Art: Weissagungen, die in die nächste,

Quomodo vaticiniis a se editis Christus suam comprobaverit *missionem divinam*, in theologia apologetica ostenditur. [1]) Hoc solum hic accipiatur a Tertulliano dictum: „Idoneum, opinor, testimonium divinitatis veritas divinationis.“ [2])

SCHOLION. Ad *adiuncta* magisterii sui quod spectat, patet Christum ab initio solis *Iudaeis* praedicasse iuxta illud (Matth. 15, 24): „Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel“; idque convenienter tum „ut ostenderet per suum adventum impleri promissiones antiquitus factas Iudaeis, non autem Gentilibus“, tum quia „debitus ordo exigebat, ut Iudaeis, qui Deo erant propinquiores per fidem et cultum unius Dei, prius doctrina Christi proponeretur et per eos transmitteretur ad gentes.“ [3])

Etiam illud convenientissimum fuisse ostendit S. Thomas, quod Christus *nihil scripserit*: „Primo quidem propter dignitatem ipsius: excellentiori enim doctori excellentior modus doctrinae debetur; et ideo Christo tamquam excellentissimo doctori hic modus competebat, ut doctrinam suam auditorum cordibus imprimeret. Secundo propter excellentiam doctrinae Christi quae litteris comprehendi non potest. Tertio ut ordine quodam ab ipso doctrina ad omnes perveniret, dum ipse scilicet discipulos suos immediate docuit, qui postmodum alios verbo et scripto docuerunt.“ [4])

De ipsius *doctrinae* Christi excellentia cf. ‚De imitatione Christi‘ 1, 1—5. De excellentia *modi* seu *methodi* docendi cf. Meschler in ‚Stimmen aus Maria-Laach‘, 1890 2/265.

---

und Weissagungen, die in die fernste Zukunft gehen; Weissagungen, welche ihrer Natur nach eine einmalige, ganz bestimmte Erfüllung fordern, und Weissagungen, deren Erfüllung sich durch Jahrtausende hindurchzuwinden hat; Weissagungen, welche ganz offen als Weissagungen auftreten und als solche in die klarsten Worte gekleidet sind, und Weissagungen, welche unter dem Kleide von Verheissungen, Anordnungen, Befehlen und Räten erscheinen, oder in der Form von Parabeln und anderen geheimnisvollen Bildern uns entgegentreten. Dabei kann man ohne Übertreibung sagen: Diese Weissagungen umfassen in ihrer Gesamtheit sozusagen alle Geschicke und alle Eigenschaften des neutestamentlichen Gottesreiches mit Einschluss der endlichen Verklärung. Es entspricht also ganz der Wahrheit, wenn wir mit der Volksmenge, die bei der Auferweckung des Jünglings von Naim zugegen war, voll Bewunderung ausrufen: «Ein grosser Prophet ist unter uns aufgestanden.» Wenn Paulus mit Rücksicht auf die zahllosen und allseitigen Wunderwerke von Christus sagt: «Gutes thuend ist er herumgezogen, und er hat alle, welche vom Teufel überwältigt waren, geheilt», so können wir von demselben mit Rücksicht auf seine Weissagungen nicht weniger richtig behaupten: Alle Geschicke des Menschengeschlechtes hat er vorausverkündet. So können wir auf die Weissagungen Christi in besonderer Weise die Worte des Apostelfürsten anwenden: «Wir haben . . . das prophetische Wort, und ihr thuet wohl, dass ihr darauf achtet als auf ein Licht, das da scheinet an einem dunklen Orte, bis der Tag anbricht und der Morgenstern aufgeht in eueren Herzen» (2 Petr. 1, 19).“

[1]) Cf. I. B. Becker, Weissagungen als Kriterien der Offenbarung.

[2]) Tertull. Apol. 20.

[3]) S. Th. 3 q. 42 a. 1.

[4]) S. Th. 3 q. 42 a. 4.

Thesis 21.

Christus miracula operatus est.

Miraculum est effectus sensibilis a Deo productus naturae creatae et vires et solitum cursum excedens. De *possibilitate* miraculorum dictum est in tractatu de Deo Creante; de eorum *cognoscibilitate* in theologia apologetica disputatur. His itaque suppositis hic solum aliqua de Christi miraculis ipsis dicenda erunt.

DEMONSTRATUR: **1.** Christus *patravit miracula.*

Plurima Christi miracula primi ordinis disertis verbis in Evangelio conspicue narrantur et accurate describuntur. Praeter quae miracula alia *innumera* facta sunt, uti patet ex his: „Obtulerunt ei multos daemonia habentes, et eiiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit" (Matth. 8, 16); „In ipsa autem hora multos curavit a languoribus et plagis et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum" (Luc. 7, 21).

Christus fecit miracula *omnis generis.* Versantur sc. eius miracula: tum circa creaturas *irrationales:* aquam in vinum convertit (Ioan. 2, 1 sq.), panes bis multiplicavit plura cibans millia hominum (Matth. 14, 17 sq.; 15, 34 sq.), mari et ventis imperavit (Matth. 8, 24 sq.), super mare ambulavit (Matth. 14, 25) etc.; tum circa corpora *coelestia:* in morte eius sol obscuratus est et terra contremuit (Luc. 23, 44 sq.); tum circa *homines:* sanavit in instante morbos etiam in distans (Matth. 8, 5 sq.; 9, 35; Marc. 6, 56; Luc. 6, 19), caecis visum (Matth. 9, 27 sq.; Marc. 8, 22 sq.), surdis ac mutis auditum loquelamque (Marc. 7, 32 sq.; 9, 24 sq.), mortuis, sc. adolescenti in Naim (Luc. 7, 11 sq.), filiae Iairi (Matth. 9, 18 sq.), Lazaro (Ioan. 11), vitam restituit; tum circa *daemones,* quibus imperavit quosque ex hominibus obsessis eiecit (Matth. 8, 16; 12, 22; Marc. 1, 23 sq.; Luc. 4, 33 sq.).

Christus haec miracula fecit *testibus* plurimis: sc. discipulis, illis circa quos miracula facta sunt, ipsis inimicis eius infensissimis: „Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum" (Ioan. 11, 47 sq.). Hinc Arnobius miraculorum Christi testes invocat „gentes, populos, nationes et incredulum illud genus humanum, quod nisi aperta res esset et luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, nunquam rebus huiusmodi credulitatis suae praeberet assensum". [1])

[1]) Arnob. Apol. 5. — Non est nostrum refutare, quae ab hominibus incredulis absurde afferuntur, ut et miracula generatim et speciatim Christi miracula vel ex interventu *daemoniaco* vel ex causis *naturalibus* explicentur; de his enim in theologia apologetica proprius agendi est locus.

2. *Conveniens* erat a Christo fieri miracula.

De *fine* miraculorum Christi haec habet S. Thomas: „Divinitus conceditur homini miracula facere, propter duo. Primo quidem et principaliter ad confirmandam *veritatem*, quam aliquis docet; quia enim ea quae sunt fidei humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet quod probentur per argumentum divinae virtutis, ut dum aliquis facit opera, quae solus Deus facere potest, credantur ea quae dicuntur esse a Deo: sicut cum aliquis defert literas annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse, quod in illis continetur. Secundo ad ostendendam *praesentiam Dei* in homine per gratiam Spiritus Sancti, ut dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam. Utrumque autem circa Christum erat hominibus manifestandum, scilicet quod Deus esset in eo per gratiam, non adoptionis, sed unionis, et quod eius supernaturalis doctrina esset a Deo. Et ideo convenientissimum fuit, ut miracula faceret. Unde ipse dicit Ioan. 10, 38: «Si mihi non vultis credere, operibus credite»; et Ioan. 5, 36: «Opera, quae dedit mihi Pater ut faciam, ipsa sunt, quae testimonium perhibent de me.»“ [1]) — Iam vero miracula, quamvis non per se sola, ut ex dictis patet, neque ex sola sua sublimitate atque arduitate Christi divinitatem probent, tamen si spectatur modus, quo Christus ea operatus est, sc. „ex propria potestate non autem orando sicut alii“, et praesertim cum certissima sint doctrinae eius confirmatio et in hac doctrina clare eius exprimatur divinitas, ipsa etiam una cum hac doctrina firmissimum sunt divinitatis argumentum.

Christum ideo potissimum operatum esse miracula, ut essent et *legationis suae et doctrinae confirmatio*, patet. Provocat enim ut ad argumenta ad sua opera tum generatim tum speciatim miraculosa: „Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me“ (Ioan. 5, 36). „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite“ (Ioan. 10, 37 sq.). „Pater in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite“ (Ioan. 14, 10 sq.). „Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo . . . Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum“ (Ioan. 15, 22 sq.). Quare ad quaestionem, utrum ipse sit Messias a Deo promissus, „respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis: Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt,

[1]) Cf. S. Th. 3 q. 43 a. 1 et 4.

pauperes evangelizantur" (Matth. 11, 4 sq.). Antequam Lazarum resuscitaret, „Iesus elevatis sursum oculis dixit: «Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.»" (Ioan. 11, 41 sq.). Et de sua resurrectione ait: „Generatio mala et adultera signum (missionis divinae) quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus" (Matth. 12, 39 sq.). Ex sua in daemones potestate ipse Christus concludit: „Si ego in Spiritu Dei eiicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei" (Matth. 12, 28). Atque ipsi Iudaei quoque vim huiusmodi argumenti sincere agnoverunt, cum quaererent: „Quaenam doctrina haec nova, quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat et obediunt ei?" (Marc. 1, 27.).[1]

Hinc miracula Christi *ratio* exhibentur fuisse, cur homines in ipsum crederent: „Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius" (Ioan. 2, 11). „Multi crediderunt in nomine eius videntes signa eius quae faciebat" (Ioan. 2, 23; cf. Ioan. 20, 30 sq.).

SCHOLION. Inter Christi miracula S. Thomas ponit *transfigurationem.* Ea autem erat claritas gloriae quantum ad essentiam, non vero quantum ad modum essendi. In corpore videlicet glorificato „redundat claritas ab anima sicut qualitas quaedam permanens corpus afficiens: unde fulgere corporaliter non est miraculosum in corpore glorioso; sed ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas a divinitate et anima eius non per modum qualitatis immanentis et afficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis transeuntis."[2] — Qui vero fuerit *finis* huius transfigurationis sic idem Angelicus explicat: „Dominus, discipulis suis praenuntiata sua passione, induxerat eos ad suae passionis sequelam. Oportet autem ad hoc quod aliquis directe procedat in via, quod finem aliqualiter praecognoscat: sicut sagittator non recte iaciet sagittam, nisi prius signum prospexerit, in quod iaciendum est. Et hoc praecipue necessarium est quando via est difficilis et aspera et iter laboriosum, finis vero iucundus. Christus autem per suam passionem ad hoc pervenit, ut gloriam obtineret non solum animae, quam habuit a principio suae conceptionis, sed etiam corporis; ad quam etiam perducit eos, qui vestigia suae passionis sequuntur. Et ideo conveniens fuit, ut discipulis suis

---

[1]) *Matthaeus* in miraculis narrandis eum maxime finem prosequitur, ut Christum probet esse Messiam; *Marcus*, ut eum Dei Filium ostendat esse: *Lucas*, ut Christi patefaciat caritatem ac misericordiam; *Ioannes*, ut eius directe demonstret deitatem et unitatem cum Patre. Cf. Schanz, Apol. 2 § 24, 17 et 18.

[2]) S. Th. 3 q. 45 a. 2.

gloriam suae claritatis ostenderet; quod est ipsum transfigurari, cui suos configurabit." [1])

In Christi transfiguratione conveniens fuit etiam ex *Vetere* Testamento *testes* adesse; unde apparuerunt Moyses et Elias, qui repraesentant Legem et Prophetas Christum praefigurantes. [2]) Qui „dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem" (Luc. 9, 31); quia et mors Christi cuncta consummare et mortis scandalum sic auferri debebat. Accessit demum vox *Patris* de Filio suo testimonium reddens, non secus atque in Christi baptismo. Cum enim adoptio filiorum coalescens ex gratia et gloria sit similitudo filiationis naturalis: „quia gratiam per baptismum consequimur, in transfiguratione autem praemonstrata est claritas futurae gloriae, ideo tam in baptismo quam in transfiguratione conveniens fuit manifestari naturalem Christi filiationem testimonio Patris". [3])

Articulus III.

De exitu Christi ex hoc mundo.

Agendum est hic de Christi *passione* [th. 22], de *morte*, de *sepultura*. De *descensu ad inferos*, de quo S. Thomas hic agit, melius dicetur, ubi de Christi exaltatione sermo erit.

Thesis 22.

Christi passio et summa erat et convenientissima.

De Christi *passione* etc., quatenus nostram iis operatus est redemptionem, infra disserendum erit. Hic solum de ipsa passione eiusque causa dicendum videtur.

DEMONSTRATUR: **I.** Passio Christi *summa* erat.

1. Talis Christi passio in V. T. fuit *praedicta*.

Quod Petrus Christum vocat „definito consilio et praescientia Dei traditum" (Act. 2 23) et Paulus dicit: „quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas" (1 Cor. 15, 3), manifeste ostendit, Christi passionem uti rem summi in oeconomia salutis nostrae momenti in Vetere iam Testamento praenuntiatam fuisse. Praenuntiata autem est et vaticiniis et typis.

a. *Typi* passionis Christi sunt: sacrificium Isaaci (Gen. 22), serpens aeneus (Num. 21, 9; cf. Ioan. 3, 14), Ionas in ventre piscis (Ion. 2; cf. Matth. 12, 40; 16, 4; Luc. 11, 30), sacrificia maxime pro peccato.

[1]) S. Th. 3 q. 45 a. 1.
[2]) S. Th. 3 q. 45 a. 3.
[3]) S. Th. 3 q. 45 a. 4.

b. *Vaticinia* huc spectantia praecipua haec sunt: In *Psalmis* singula fere passionis momenta describuntur: Ps. 68 „Salvum me fac", ubi inter alia hoc legitur: „Et dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto" (v. 22; cf. Matth. 27, 48); Ps. 21 „Deus, Deus meus, respice in me", ubi haec de Christo patiente habentur: „Quare me dereliquisti" (v. 1; cf. Matth. 27, 46; Marc. 15, 34); „Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput: speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum" (v. 7 sq.; cf. Matth. 27, 39 sq.); „Dispersa sunt omnia ossa mea, factum est cor meum quasi cera liquescens in medio ventris mei, aruit tamquam testa virtus mea et lingua mea adhaesit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me; foderunt manus meos et pedes meos, dinumeraverunt (hebr. numeravi) omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem" (v. 15 sq.; cf. Ioan. 19, 23; Matth. 27, 35). *Isaias 50, 5 sq.* in oppositione ad populum Iudaicum contra Deum reluctantem ostendit Messiam obedientem et libere se tormentis tradentem: „Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii; corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus, faciem non averti ab increpantibus et conspuentibus in me" (cf. Matth. 26, 67). *Is. 52* et *53* exhibetur Messias pro hominibus et in satisfactionem peccatorum libere patiens: „Inglorius erit inter viros aspectus eius et forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas . . . Et ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti; non est species ei neque decor, et vidimus eum et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit et non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum . . . abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum." (Cf. Matth. 26, 63; 27, 27 sq.; Ioan. 19, 9; Act. 8, 32).

Ieremias 11, 19 suas proprias afflictiones sic describit ut in eis „omnium ecclesiarum consensus“ (Hieronym.) agnoscat typum quendam passionis Christi: „Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia dicentes: mittamus lignum in panem eius et eradamus eum de terra viventium (hebr. perdamus arborem cum fructu suo et exscindamus eum de terra viventium), et nomen eius non memoretur amplius.“ Idem Ieremias suis de urbis Hierosolymitanae excidio lamentationibus etiam Christi passionem multipliciter tangit. *Daniel 9, 26* sic vaticinatus est: „Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.“ *Zacharias* de Christi proditione haec habet: „Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos“ (11, 12; cf. Matth. 27, 9); de Christo crucifixo: „Et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum“ (12, 10; cf. Ioan. 19, 37); de discipulis dispersis: „Percute pastorem et dispergentur oves“ (13, 7; cf. Matth. 26, 31; Marc. 14, 27).

2. Summam fuisse Christi passionem patet ex *narratione evangelica*.

„Secundum genus Christus passus est *omnem* passionem humanam. Quod quidem potest considerari tripliciter: Uno modo ex parte *hominum*, a quibus passus est: passus est enim aliquid et a Gentilibus et a Iudaeis, et a masculis et a feminis, ut patet de ancillis accusantibus Petrum; passus est etiam et a principibus et a ministris eorum et a popularibus; passus est etiam a familiaribus et notis, sicut patet de Iuda eum prodente et Petro ipsum negante.[1]) Alio modo patet idem ex parte eorum, *in quibus* homo potest pati: passus est enim Christus in suis amicis eum deserentibus, in fama per blasphemias contra eum prolatas, in honore et gloria per irrisiones et contumelias ei illatas, in rebus per hoc quod etiam vestibus spoliatus est, in anima per tristitiam, taedium et timorem, in corpore per vulnera et flagella. Tertio potest considerari quantum ad *corporis membra:* passus est enim Christus in capite pungentium spinarum coronam, in manibus et pedibus fixionem clavorum, in facie alapas et sputa, et in toto corpore flagella. Fuit etiam passus secundum omnem sensum corporeum: secundum tactum quidem flagellatus et clavis confixus, secundum gustum felle et aceto potatus,

[1]) In Symbolo Apostolorum in articulo de Christi passione additur *„sub Pontio Pilato“*. Qua de re Rufinus (Com. in Symb. 18): „Cautissime qui Symbolum tradiderunt etiam tempus, quo haec «sub Pontio Pilato» gesta sunt, designarunt, ne ex aliqua parte velut vaga vel incerta gestorum traditio vacillaret.“ Quod ceteroquin etiam a Tacito (Annal. 15, 14) disertis verbis significatur: „Christus Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.“

secundum olfactum in loco foetido cadaverum mortuorum, qui dicitur calvariae, appensus patibulo, secundum auditum lacessitus vocibus blasphemantium et irridentium, secundum visum videns matrem et discipulum, quem diligebat, flentes.“ [1])

Dolorem quem Christus sensit aliqui veteres Protestantes, inter quos maxime Calvinus, putaverunt esse eundem quem *damnati* percipiant in inferno. At hoc et gratis asseritur et certe falsum videtur esse. S. Thomas dolorem illum non comparat nisi cum dolore qui in vita *praesenti* esse possit; sicque illum docet fuisse *summum:* „In Christo patiente fuit verus dolor et sensibilis qui causatur ex corporali nocivo et dolor interior qui causatur ex apprehensione alicuius nocumenti, qui tristitia dicitur. Uterque autem dolor in Christo fuit maximus inter dolores praesentis vitae. Quod quidem contigit propter quatuor: Primo quidem propter *causas* doloris: nam doloris *sensibilis* causa fuit laesio corporalis; quae acerbitatem habuit, tum propter generalitatem passionis, tum etiam ex genere passionis, quia mors confixorum in cruce est acerbissima, quia configuntur in locis nervosis et maxime sensibilibus, scilicet in manibus et pedibus, et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem, et cum hoc etiam est doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur, sicut hi qui gladio interficiuntur; doloris autem *interioris* causa fuit: primo quidem omnia peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat patiendo; secundo specialiter casus Iudaeorum et aliorum in eius morte delinquentium et praecipue discipulorum, qui scandalum passi sunt in Christi passione; tertio etiam amissio vitae corporalis, quae naturaliter est horribilis humanae naturae. Secundo potest magnitudo doloris eius considerari ex *perceptibilitate* patientis secundum animam et secundum corpus: nam et secundum *corpus* erat optime complexionatus, cum corpus eius fuerit formatum miraculose operatione Spiritus Sancti; et ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor; *anima* etiam secundum vires interiores efficacissime apprehendit omnes causas tristitiae. Tertio magnitudo doloris Christi patientis potest considerari ex doloris et tristitiae *puritate;* nam in aliis patientibus mitigatur tristitia interior et etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis per quandam derivationem seu redundantiam a superioribus viribus ad inferiores; quod in Christo patiente non fuit: quia «unicuique virium permisit agere quod est ei proprium», sicut Damascenus dicit.

[1]) S. Th. 3 q. 46 a. 5. — Cf. de magnitudine et variis generibus passionis Christi opusculum S. Bonaventurae quod inscribitur ‚Vitis mystica‘, ubi Seraphicus ex iis quae circa vitem fieri solent Christi explicat multiplicem passionem.

Quarto potest considerari magnitudo doloris Christi patientis ex hoc, quod passio illa et dolor a Christo fuerunt assumpta *voluntarie*, propter finem liberationis hominum a peccato: et ideo tantam quantitatem doloris assumpsit, quae esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur. Ex his igitur omnibus causis simul consideratis manifeste apparet, quod dolor Christi fuerit maximus.“ [1])

Manet tamen quod supra de Christi *visione intuitiva* indeque in parte animae superiori consequente *fruitione* dictum est. [2]) Scilicet: „Superior ratio non patiebatur in Christo ex parte sui obiecti, sc. Dei, qui non erat animae Christi causa doloris, sed delectationis et gaudii.“ [3])

2. Christum pati *necessarium* non erat nisi necessitate *finis*, quem obtinere voluit.

„Non fuit necessarium Christum pati necessitate coactionis neque ex parte Dei, qui Christum definivit pati, neque etiam ex parte ipsius Christi, qui voluntarie passus est. Fuit autem necessarium necessitate finis: qui quidem potest tripliciter intelligi. Primo quidem ex *parte nostra*, qui per eius passionem liberati sumus, secundum illud Ioan. 3, 14: «Oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.» Secundo ex parte ipsius *Christi*, qui per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis; et ad hoc pertinet quod dicitur Luc. 24, 26: «Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?» Tertio ex parte *Dei*, cuius definitionem circa passionem Christi praenuntiatam in Scripturis et praefiguratam in observantia Veteris Testamenti oportebat impleri; et hoc est quod dicitur Luc. 22, 22: «Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit»; et Luc. 24, 44: «Haec sunt verba quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me: quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis.»“ [4])

Causam porro *praecipuam*, cur Christus passus fuerit, nostram esse *salutem*, ex his manifestum est: „Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi“ (2 Cor. 5, 19). „Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sive quae in coelis sunt“ (Col. 1, 19 sq.). „Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae

---

[1]) S. Th. 3 q. 46 a. 6.
[2]) Cf. Thesim 10.
[3]) S. Th. 3 q. 46 a. 7.
[4]) S. Th. l. c. a. 1.

suae propter remissionem praecedentium delictorum" (Rom. 3, 25). — „Nos putavimus eum . . . percussum a Deo . . .; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras . . . disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus" (Is. 53, 4 sq.). „Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum" (Gal. 3, 13). „Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum (i. e. victimam pro peccato) fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso" (2 Cor. 5, 21). „Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati (mediatio naturalis) et de peccato (περὶ ἁμαρτίας = ad delendum peccatum) damnavit peccatum in carne" (Rom. 8, 3). — „Omnes nos quasi oves erravimus . . . et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est (נִגַּשׂ) quia ipse voluit . . . sicut ovis ad occisionem ducetur . . . si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum" (Is. 53, 6 sq.). „Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam (προσφορὰν καὶ θυσίαν) Deo in odorem suavitatis" (Eph. 5, 2). „Pascha nostrum immolatus est Christus" (1 Cor. 5, 7).

Passionem denique fuisse ad salutem nostram efficiendam maxime *convenientem*, sic probat S. Thomas: „Tanto aliquis modus convenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt quae sunt expedientia fini. Per hoc autem quod homo per Christi passionem est liberatus, multa concurrerunt ad salutem hominis pertinentia praeter liberationem a peccato. Primo enim per hoc homo cognoscit quantum Deus hominem *diligat*, et per hoc provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanae salutis consistit; unde Apostolus dicit Rom. 5, 8: «Commendat suam caritatem Deus in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.» Secundo quia per hoc dedit nobis *exemplum* obedientiae, humilitatis, constantiae, iustitiae et ceterarum virtutum in passione Christi ostensarum, quae sunt necessariae ad humanam salutem; unde dicitur 1 Petr. 2, 21: «Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.» Tertio quia Christus per passionem suam non solum hominem a peccato liberavit, sed etiam *gratiam iustificantem* et *gloriam beatitudinis* ei promeruit. Quarto quia per hoc est homini inducta maior necessitas se immunem a *peccato* conservandi, qui se sanguine Christi redemptum cogitat a peccato, secundum illud 1 Cor. 6, 20: «Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.» Quinto quia hoc ad maiorem *dignitatem hominis* cessit, ut sicut homo victus fuerat et deceptus a diabolo, ita etiam homo esset qui diabolum vinceret; et sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem superaret; unde dicitur 1 Cor. 15, 57: «Deo gratias, qui dedit nobis victoriam

per Dominum nostrum Iesum Christum.» Et ideo convenientius fuit quod per passionem Christi liberaremur quam per solam Dei voluntatem." [1])

SCHOLION 1. Ex omnibus passionis generibus passionem ac mortem *in cruce* convenientissimam fuisse, sic ostendit S. Thomas: „Convenientissimum fuit Christum pati mortem crucis: Primo quidem propter *exemplum* virtutis: dicit enim Augustinus: «Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit; pertinet autem ad vitam rectam, ea quae non sunt metuenda, non metuere; sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt; ut ergo nullum genus mortis recte viventi homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius et formidabilius.» Secundo quia hoc genus mortis maxime conveniens erat *satisfactioni* pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo, quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit: et ideo conveniens fuit, quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato seipsum pateretur ligno affigi quasi restituens quod Adam sustulerat, unde Augustinus dicit: «Contempsit Adam praeceptum, accipiens ex arbore pomum: sed quidquid Adam perdidit, Christus in cruce invenit.» Tertia ratio est, quia, ut Chrysostomus dicit, «in excelso ligno, et non sub tecto passus est, ut etiam ipsius *aëris* natura mundetur: sed et ipsa *terra* simile beneficium sentiebat, decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata»: et super illud Ioan. 3, 14: «Oportet exaltari filium hominis», dicit Theophylactus; «Exaltari audiens, suspensionem intelligas in altum, ut sanctificaret aërem, qui sanctificaverat terram, ambulando in ea.» Quarta ratio est, quia per hoc quod in alto moritur, *ascensum* nobis parat in coelum, ut Chrysostomus dicit: et inde est, quod ipse dicit Ioan. 12, 32: «Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.» Quinta ratio est, quia hoc competit universali *salvationi totius mundi:* unde Gregorius Nyssenus dicit, quod «figura crucis a medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem et providentiam eius, qui in ea pependit, ubique diffusam»; Chrysostomus etiam dicit, quod in cruce «expansis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui ex gentibus sunt, trahat». Sexta ratio est, quia per hoc genus mortis diversae *virtutes* designantur; unde Augustinus dicit: «Non frustra tale genus mortis elegit, ut latitudinis et altitudinis et longitudinis et profunditatis, de quibus Apostolus loquitur, magister existeret; nam latitudo, quae est in eo ligno, quod transversum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus; longitudo in eo, quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est: ibi enim quodammodo statur, i. e. persistitur, et perseveratur, quod longanimitati tribuitur; altitudo est in ea ligni parte, quae ab illa, quae transversum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est ad caput crucifixi: quia bene sperantium superna expectatio est: iam vero illud ex ligno, quod fixum occultatur, unde totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitae gratiae»; et sicut Augustinus dicit: «Lignum in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magistri docentis.» Septima ratio est, quia hoc

[1]) S. Th. 3 q. 46 a. 3.

genus mortis plurimis *figuris* respondet; ut enim Augustinus dicit, «de diluvio aquarum humanum genus arca lignea liberavit; de Aegypto Dei populo recedente Moyses mare virga divisit et Pharaonem prostravit et populum Dei redemit; idem Moyses lignum in aquam misit et amaram aquam in dulcedinem commutavit; et lignea virga de spirituali petra salutaris unda profertur, et ut Amalech vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur et lex Dei arcae Testamenti creditur ligneae, ut his omnibus ad lignum crucis, quasi per quosdam gradus, veniatur.»" [1])

2. De *morte* Christi imprimis tenendum est: Christum vere fuisse mortuum, i. e. animam eius a corpore separatam fuisse, *de fide* esse credendum. Hinc Concilium Ephesinum definivit: „Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne et crucifixum carne et quod mortem gustavit carne: a. s." Christum *vere* mortuum esse manifestissimum est. Id testantur omnes Evangelistae: „Emisit spiritum" (Matth. 27, 50); „emissa voce magna exspiravit" (Marc. 15, 37); „clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et haec dicens exspiravit" (Luc. 23, 46); „inclinato capite tradidit spiritum" (Ioan. 19, 30). Milites „ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua" (Ioan. 19, 33 sq.). Centurio Pilato interroganti mortem testatus est. Pilatus corpus mortuum Iosepho donavit. Supra audivimus Verbum naturam humanam, quam assumpsit, nunquam neque adeo in morte deposuisse. [2]) Mansit ergo in morte et corpus Christi et anima cum divinitate unitum. „Etsi Christus mortuus est ut homo et sancta eius anima ab incontaminato divisa est corpore, divinitas tamen inseparabilis ab utrisque permansit, ab anima dico et corpore." [3])

In Christo illud singulare fuit, quod mors *voluntaria* erat. Sic enim iam Isaias (53, 7): „Oblatus est, quia ipse voluit." Et Christus ipse: „Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam" (Ioan. 10, 17 sq.). „Hinc, sic Catechismus Romanus, Iesu Christi summa et eximia caritas eiusque divinum et immensum in nos meritum perspici potest." [4])

Fuisse autem summe *conveniens* Christum mori, sic ostendit S. Thomas: „Conveniens fuit Christum mori: Primo quidem ad *satisfaciendum* pro humano genere, quod erat morti adiudicatum propter peccatum; est autem conveniens satisfaciendi pro alio modus, cum aliquis se subiicit poenae, quam alius meruit; et ideo Christus mori voluit, ut moriendo pro nobis satisfaceret. Secundo ad ostendendum *veritatem naturae assumptae;* sicut enim Eusebius dicit, «Si aliter post conversationem cum hominibus evanescens,

---

[1]) S. Th. 3 q. 46 a. 4. — Gutberlet haec habet: „Schon die Thatsache allein, dass in der christlichen Religion das *Kreuz* im Mittelpunkt steht, ist für mich der schlagendste und praktisch überzeugendste Beweis für ihre Wahrheit und Göttlichkeit" (Heinrich-Gutberlet, Dogm. § 384).

[2]) Cf. Thesim 4 Schol. 2.

[3]) Damasc. De fide 3, 27.

[4]) Catech. Rom. Symb. art. 4.

subito evolaret fugiens mortem, ab omnibus compararetur phantasmati.» [1]) Tertio ut moriendo nos a *timore mortis liberaret;* unde dicitur Hebr. 2, 14 sq. quod communicavit «carni et sanguini, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, i. e. diabolum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti». Quarto ut corporaliter moriendo similitudini peccati, i. e. poenalitati, daret nobis *exemplum moriendi spiritualiter peccato;* unde dicitur Rom. 6, 10 sq.: «Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo: ita et vos existimate mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.» Quinto ut a mortuis *resurgendo* et virtutem suam ostenderet, qua mortem superavit, et nobis spem resurgendi a mortuis daret; unde et Apostolus dicit 1 Cor. 15, 12: «Si Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam in vobis dicunt, quod resurrectio mortuorum non est?»“ [2])

3. *Sepeliri* Christum fuisse conveniens S. Thomas sic demonstrat: „Conveniens fuit Christum sepeliri: Primo quidem ad comprobandum *veritatem mortis*; non enim in sepulcro aliquis ponitur, nisi quando iam de veritate mortis constat: unde et Marc. 15 legitur, quod Pilatus, antequam concederet Christum sepeliri, diligenti inquisitione cognovit eum mortuum esse. Secundo quia per hoc, quod Christus de sepulcro resurrexit, datur *spes* resurgendi per ipsum his qui sunt in sepulcro. Tertio ad *exemplum* eorum, qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet absconduntur a conturbatione hominum: unde dicitur Coloss. 3, 3: «Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo»; unde et baptizati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo per immersionem, secundum illud Rom. 6, 4: «Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem.»“ [3])

Christi corpus in sepulcro *non* est *corruptum*. „Non fuit conveniens corpus Christi putrefieri vel quocunque modo incinerari: quia putrefactio cuiuscunque corporis provenit ex infirmitate naturae illius corporis, quae non potest amplius corpus continere in unum; mors autem Christi non debuit esse ex naturae infirmitate, ne crederetur non esse voluntaria: et ideo non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se obtulit sponte: et ideo Christus, ne mors eius naturae infirmitati adscriberetur, noluit corpus suum qualitercunque putrefieri aut qualitercunque resolvi; sed ad ostensionem virtutis divinae voluit corpus illud incorruptum permanere; unde Chrysostomus dicit, quod «viventibus aliis hominibus, his scilicet qui egerunt strenue, arrident propria gesta, his autem pereuntibus, pereunt: sed in Christo est totum contrarium; nam ante crucem omnia sunt moesta et infirma, ut autem crucifixus est, omnia clariora sunt facta; ut noscas, non purum hominem crucifixum.»“ [4])

---

[1]) Euseb. Or. de laud. Const. 13.
[2]) S. Th. 3 q. 50 a. 1.
[3]) S. Th. 3 q. 51 a. 1.
[4]) S. Th. 3 q. 51 a. 3.

Articulus IV.

De exaltatione Christi post hunc mundum.

Agendum erit de Christi *descensu ad inferos* [th. 23], de eius *resurrectione* [th. 24], *ascensione* [th. 25], *sessione ad dexteram Patris* [th. 26].

Thesis 23.

Christus secundum animam ad inferos descendit.

Rufino teste verba „descendit ad inferos" in Symbolo Romano non legebantur.[1]) Reperiuntur vero in quarta formula Sirmiensi et formula Nicensi a. 359. Inde ab exorta haeresi Apollinaris, sc. post a. 371, communiora facta sunt. Ex Conciliis oecumenicis hanc veritatem enuntiant Lateranense IV et Lugdunense II.

Descensum ad inferna multi *Protestantes* interpretati sunt esse idem ac Christi mortem vel sepulturam. *Abaelardus* et *Durandus* sola virtute et potestate Christum ad inferos descendisse putaverunt. Doctrinam *catholicam* sic enuntiat Catechismus Romanus: „Christus ad inferos descendit non tantum virtute, sed re et praesentia, ut animas sanctorum liberaret et suam potestatem declararet."[2]) Nomine „inferorum" per se cum intelligitur locus quo animae mortuorum commorantur, qui quidem locus est vel gehenna damnatorum, vel purgatorium, vel limbus puerorum, vel limbus patrum, hic, ut patet, limbus patrum, qui ante Christum in eius gratia obierunt, significatur.

DEMONSTRATUR: Christus *ad inferos descendit.*

1. *An* sit, ex fidei deposito probatur.

1. *Scripturae* testimonia huius rei aliqua satis aperta sunt.

Matth. 12, 39 sq. a Christo promittitur Iudaeis signum Ionae prophetae: „Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus." Iam vero illud „in corde terrae" minus apte de sepulcro solo, aptissime vero de limbo accipitur, prouti illud intelligunt Tertullianus[3]), Irenaeus[4]), Cyprianus[5]), Ephrem[6]) etc.

Eph. 4, 9 sq.: „Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse

[1]) Rufin. Comment. in Symb. 18.
[2]) Catech. Rom. Symb. art. 5.
[3]) Tertull. De anima 55.
[4]) Iren. Adv. haer. 5, 31.
[5]) Cyprian. C. Iudae. 2, 25.
[6]) Ephrem, Sermo ad noct. dom. resurr.

est et qui ascendit super omnes coelos ut impleret omnia." Hic Apostolus ut ostendat, universalem esse Christi triumphum, docet eum non solum super omnes coelos ascendisse, sed etiam descendisse in inferiores partes terrae. Atqui hoc in contextu verba haec aptissime de Christi ad inferos descensu accipiuntur.

Act. 2, 25 sq. Petrus Apostolus verba Psalmi: „Quoniam non derelinques animam meam in inferno nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem", ostendit non proprie valere de David, cuius „sepulcrum, ait, est apud nos usque in hodiernum diem", sed de alio sc. de Christo; nam prosequitur: „Propheta igitur cum esset et sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno (εἰς ᾅδην), neque caro eius vidit corruptionem." Atqui his verbis et Christi secundum carnem resurrectio et secundum animam descensus ad inferos reditusque inde futurus significatur a Davide praedicta.

1 Petr. 3, 18 sq. haec scribit Petrus: „Christus semel pro peccatis nostris mortuus est . . . mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu (πνεύματι), in quo (i. e. spiritu) et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit (τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν πορευθεὶς ἐκήρυξεν), qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë." Hic Christus secundum πνεῦμα, i. e., in oppositione ad carnem, secundum animam dicitur profectus ad animas eorum, qui aliquando increduli erant, sed irruente diluvio poenitentiam egerunt sicque mortui in „carcere" detinebantur, ut sc. iis annuntiaret (4, 6 νεκροῖς εὐηγγελίσθη) libertatem. Sic de Christi ad inferos descensu verba Petri accipiunt Clemens Alex., Origenes, Hilarius, Athanasius etc.[1])

2. *Patrum* testimonia hac de re manifesta sunt.

Augustinus eodem loco, ubi illud 1 Petr. 3 ipse non interpretatur de Christi descensu, haec habet: „Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum, satis constat . . . Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?"[2]) Irenaeus: „Dominus in ea quae sunt sub terra descendit evangelizans et illis adventum suum, remissione peccatorum existente his qui credunt in eum."[3]) Athanasius: „Corpus pervenit ad sepulcrum, anima vero

---

[1]) Cf. Hundhausen in 1 Petr. — *Augustinus* (Epist. 99 ad Evod.) Petri verba sic putat posse explicari, ut Christus secundum divinitatem intelligatur praedicasse hominibus, qui vixerant tempore diluvii. Quam sententiam quamvis S. Thomas approbet, reliqui omnes merito reiiciunt.

[2]) Augustin. Epist. 99 ad Evod.

[3]) Iren. Adv. haer. 4, 27.

ad inferos usque penetravit." [1]) Tertullianus: „Si Christus descendit in inferiora terrarum, ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret, habes et regionem inferorum subterraneam credere." [2]) Similiter Cyrillus Hierosolym., Epiphanius, Leo M. etc. [3])

2. *Cur* Christus ad inferos descenderit, sic egregie explicat Catechismus Romanus: „Christus Dominus ad inferos descendit, ut ereptis daemonum spoliis sanctos illos Patres caeterosque pios e carcere liberatos secum adduceret in caelum, quod ab eo admirabiliter summaque cum gloria perfectum est; statim enim illius adspectus clarissimam lucem captivis attulit, eorumque animas immensa laetitia gaudioque implevit; quibus etiam optatissimam beatitudinem, quae in Dei visione consistit, impertivit: quo facto id comprobatum est, quod latroni promiserat illis verbis: Hodie mecum eris in paradiso. Hanc vero piorum liberationem Oseas tanto ante praedixerat in hunc modum: Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero inferne. Hoc etiam significavit Zacharias Propheta cum ait: Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Idipsum denique expressit Apostolus illis verbis: Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Verum ut huius mysterii vim melius intelligamus, saepe illud memoria repetere debemus, pios homines, non solum qui post adventum Domini in lucem editi erant, sed qui illum post Adam antecesserant, vel qui usque ad finem saeculi futuri sunt, eius passionis beneficio salutem consecutos esse. Quamobrem, antequam ille moreretur ac resurgeret, coeli portae nemini unquam patuerunt, sed piorum animae, cum e vivis excessissent, vel in sinum Abrahae deferebantur, vel quod etiam nunc iis contingit, quibus aliquid diluendum et persolvendum est, purgatorii igne expiabantur. Est illa praeterea causa, cur descenderit ad inferos Christus Dominus, ut ibi etiam, quemadmodum in caelo et in terris, vim suam potestatemque declararet, et omnino ut in nomine eius omne genu flecteretur, caelestium, terrestrium, et infernorum. Quo loco quis summam Dei benignitatem in genus humanum non admiretur et

---

[1]) Athanas. De incarn. 13.

[2]) Tertull. De anima 4.

[3]) Cf. Huidekoper, The belief of the first three centuries concerning Christ's mission to the underworld. — Etiam *Apostolorum* ad inferos descensum admisisse videtur Hermas Sim. 9, 16, ubi legitur: „Isti sunt Apostoli et Doctores qui praedicaverunt nomen Filii Dei et iis qui obierant praedicaverunt". Quae verba Hermae Clemens Alexandrinus, Strom. 2, 9, transcripsit. Hippolytus, De antichr., hoc idem de Ioanne Baptista narrat. Verum haec opinio singularis est, eo vel magis, quod Apostoli „in aqua" descendisse dicuntur, i. e. ut iustis baptisma conferrent. Patres reliqui unum Christum descendisse confitentur.

obstupescat, qui non modo pro nobis acerbissimam mortem subire, sed infimas etiam terrae partes penetrare voluerit, ut sibi carissimas animas inde ereptas ad beatitudinem traduceret?“ [1])

SCHOLION. A descensu Christi secundum *essentiam* distingui potest alter descensus secundum *effectum.* Secundum essentiam „anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo iusti detinebantur (qui limbus patrum dicitur), ut quos ipse per gratiam interius visitabat secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret et loco; sic autem in una parte inferni existens effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes derivavit (sc. ad infernum damnatorum confundens damnatos, et ad purgatorium liberans eos qui sufficienter erant purgati); sicut et in uno loco terrae passus totum mundum sua passione liberavit.“ [2])

Thesis 24.

Christus virtute propria resurrexit a mortuis.

Antiquissimum Symbolum Romanum profitetur fidem in Christum σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν. Similiter reliqua Symbola omnia; Antiochenum addit: „secundum Scripturas“. Intelligitur vero, Christum propria virtute a mortuis surrexisse. Nimirum: „secundum unitae divinitatis virtutem et corpus resumpsit animam, quam deposuerat, et anima corpus resumpsit, quod dimiserat: et sic Christus propria virtute resurrexit; si autem consideremus corpus et animam Christi mortui secundum virtutem naturae creatae, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari a Deo.“ [3]) „Nullus mortuus, sic Augustinus, est sui ipsius suscitator. Ille se potuit suscitare, qui mortua carne non mortuus est . . . Ille se suscitavit, qui vivebat in se, in carne autem sua suscitanda mortuus erat. Non enim Pater solus Filium suscitavit . . . sed etiam seipsum, i. e. corpus suum.“ [4])

De *dogmate* agitur aliquo *principe* fidei christianae. [5]) Illud probabimus ostendentes tum eius veritatem tum necessitatem.

DEMONSTRATUR: **1.** Christus *vere a mortuis resurrexit.*

1. *Christus praedixit* suam futuram resurrectionem: „Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus“ (Matth.

---

[1]) Catech. Rom. Artic. 5. — Error erat aliquorum *Protestantium* saec. 16, Christum ad inferos descendisse ad poenas infernales sustinendas; quem quidem errorem refutavit inter alios Caspar Schatzgeyer.

[2]) S. Th. 3 q. 52 a. 2.

[3]) S. Th. 3 q. 53 a. 4.

[4]) Augustin. Sermo 67, 2.

[5]) „Die Prüfung dieses Satzes von der Auferstehung Christi ist eine Prüfung des Christenglaubens überhaupt“ (Zahn, Das apost. Symbolum 75).

12, 40). „Filius hominis . . . tertia die resurget“ (Matth. 20, 18 sq.; Marc. 10, 33 sq.; Luc. 18, 33). „Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud . . . Ille autem dicebat de templo corporis sui“ (Ioan. 2, 19 sq.). — Quare Iudaei postea dixerunt: „Seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam“ (Matth. 27, 63).

2. *Angeli* resurrectionem factam nuntiaverunt: „Non est hic, sed resurrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum et crucifigi et die tertia resurgere“ (Luc. 24, 6 sq.).

3. Christi *inimici* ipsa sua agendi ratione resurrectionem eius comprobaverunt. Nam cum „angelus Domini descendit de coelo et accedens revolvit lapidem et sedebat super eum . . ., prae timore eius exterriti sunt custodes et facti sunt velut mortui“ (Matth. 28, 2 sq.). Porro „quidam de custodibus venerunt in civitatem et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quae facta fuerant“ (Matth. 28, 11). Praeterea „congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus etc.“ (Matth. 28, 12 sq.). Quae postrema verba sic sugillat Augustinus: „Dormientes testes adhibes? Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti.“ [1])

4. Christus redivivus *apparuit* Mariae Magdalene et mulieribus (Matth. 28, 9 sq.; Marc. 16, 9 sq.; Ioan. 20, 14 sq.), discipulis euntibus in Emmaus (Luc. 24, 13 sq.), Petro apostolo (Luc. 24, 34), apostolis (Marc. 16, 14; Luc. 24, 36 sq.; Ioan. 20, 19 sq.), apostolis iisdem cum Thoma incredulo (Ioan. 20, 26 sq.), iterum apostolis ad mare Tiberiadis (Ioan. 21, 1 sq.), „plus quam quingentis fratribus simul“, Iacobo, ipsique Paulo (1 Cor. 15, 6 sq.), discipulis in coenaculo et in monte Oliveti (Luc. 24, 50 sq.; Act. 1, 6 sq.). Apparuit vero per quadraginta dies, non solum noctu, sed etiam medio die diversisque in locis atque ita ut se hominibus praeberet et conspiciendum et audiendum et tangendum et cum ipsis colloquentem et manducantem.

5. Apostoli fidem resurrectionis ubique *praedicaverunt* (Act. 2, 22 sq.; 3, 15; 4, 33; 13, 30 sq.; 17, 2 sq. etc.). Imo in hac fide Paulus fundamentum ponit tum resurrectionis mortuorum: „Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit“ (1 Cor. 15, 13), tum fidei christianae universae: „Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra; in-

---

1) Augustin. In Ps. 63, 7.

venimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum quem non suscitavit, si mortui non resurgunt etc.“ (1 Cor. 15, 14 sq.).

6. Christi resurrectio non secus atque in Scripturis in omnibus, etiam veterrimis *Symboli* formulis necnon apud vetustissimos *Patres* tamquam res notissima praedicatur; sic apud Tertullianum [1]), Irenaeum [2]), Iustinum [3]), Ignatium [4]) etc.

2. Christi resurrectionem *necessariam* fuisse, sic demonstrat S. Thomas: „Necessarium fuit Christum resurgere propter quinque: Primo quidem ad commendationem divinae *iustitiae*, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant: quia igitur Christus propter caritatem et obedientiam Dei se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam resurrectionem. Secundo ad *fidei nostrae* instructionem: quia per eius resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi; quia ut dicitur 2 Cor. 13, 4: «Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei»; et ideo dicitur 1 Cor. 15, 14: «Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.» Tertio ad sublevationem *nostrae spei*: quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus et nos resurrecturos; unde dicitur 1 Cor. 15, 12: «Si Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?» Et Iob 19, 25 dicitur: «Scio (sc. per certitudinem fidei) quod Redemptor meus (i. e. Christus) vivit, a mortuis resurgens: et ideo in novissimo die de terra surrecturus sum; reposita est haec spes in sinu meo.» Quarto ad *informationem vitae* fidelium secundum illud Rom. 6, 4: «Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus»; et infra: «Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.» Quinto ad *complementum nostrae salutis:* quia sicut per hoc, quod mala sustinuit, humiliatus est moriendo, ut nos liberaret a malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona secundum illud Rom. 4, 25: «Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.»“ [5])

---

[1]) Tertull. De praescr. 13; De vel. virg. 1.
[2]) Iren. Adv. haer. 1, 10; 3, 4; 16, 18.
[3]) Iustin. Dial. c. Tryph. 38, 126, 132.
[4]) Ignat. Ad Eph. 20; Philad. 9; Smyrn. 2; Tralens. 9.
[5]) S. Th. 3 q. 53 a. 1. — De postrema illa ratione, quod sc. Christi resurrectio est *complementum* salutis nostrae per passionem eius effectae infra dicetur.

COROLLARIUM. Nexus vero ipse intimus, qui iuxta Paulum intercedit inter *Christi* resurrectionem et resurrectionem *nostram* praeter illud „invenimur falsi testes“ in eo est, quod illa quidem huius est causa *exemplaris;* id quod a Chrysostomo sic exprimitur: „Si corpus nostrum est membrum Christi, Christus autem resurrexit: etiam nostrum corpus caput sequetur.“ Sed est praeterea Christi resurrectio aliquo modo etiam causa *efficiens* resurrectionis nostrae „inquantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius et operatur in virtute eius: et ideo sicut alia, quae Christus in sua humanitate fecit vel passus est, ex virtute divinitatis eius sunt nobis salutaria, ita et resurrectio Christi est causa efficiens nostrae resurrectionis virtute divina, cuius proprium est mortuos vivificare; quae quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca et tempora: et talis contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiae; et quia primordialis causa resurrectionis humanae est divina iustitia, ex qua Christus habet potestatem iudicium facere, inquantum Filius hominis est, virtus effectiva resurrectionis eius se extendit non solum ad bonos sed etiam ad malos, qui sunt eius iudicio subiecti. Sicut autem resurrectio corporis Christi, ex eo quod corpus illud est personaliter Verbo unitum, est prima tempore, ita etiam est prima dignitate et perfectione; semper autem id quod est perfectissimum, est exemplar eius, quod est minus perfectum secundum suum modum: et ideo resurrectio Christi est causa exemplaris nostrae resurrectionis; quod quidem necessarium est non ex parte resuscitantis, qui non indiget exemplari, sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni conformari, secundum illud Philipp. 3, 21: «Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.» Licet autem efficientia resurrectionis Christi se extendat ad resurrectionem tam bonorum quam malorum: exemplaritas tamen eius se extendit proprie solum ad bonos, qui sunt facti conformes filiationis ipsius.“ [1])

SCHOLION 1. De corpore Christi resurgentis aliqua addenda sunt:

1. „Corpus Christi in resurrectione fuit *gloriosum.* Et hoc apparet triplici ratione: Primo quidem quia resurrectio Christi fuit exemplar et causa nostrae resurrectionis. Sancti autem in resurrectione habebunt corpora gloriosa, sicut dicitur 1 Cor. 15, 43: «Seminatur in ignobilitate, surget in gloria»; unde cum causa sit potior causato et exemplar exemplato, multo magis corpus Christi resurgentis fuit gloriosum. Secundo quia per humilitatem passionis meruit gloriam resurrectionis; unde et ipse dicebat Ioan. 12, 27: «Nunc anima mea turbata est»; quod pertinet ad passionem; et postea subdit: «Pater, clarifica nomen tuum»; in quo petit gloriam resurrectionis. Tertio quia anima Christi a principio suae conceptionis fuit gloriosa per fruitionem divinitatis perfectam: est autem dispensative factum, ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc quod mysterium nostrae redemptionis sua passione impleret; et ideo, peracto hoc mysterio passionis et mortis Christi, statim anima in corpus in resurrectione resumptum suam gloriam derivavit: et ita factum est corpus illud gloriosum.“ [2])

---

[1]) S. Th. 3 q. 56 a. 1 ad 3.
[2]) S. Th. 3 q. 54 a. 3.

2. Conveniens fuit in resurrectione *cicatrices* resumi seu servari. „Primo quidem propter gloriam ipsius Christi; dicit enim Beda (super Luc.) quod «non ex impotentia curandi cicatrices servavit, sed ut in perpetuum victoriae suae circumferat triumphum»; unde Augustinus dicit (De civ. Dei 22), quod «fortassis in illo regno in corporibus martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quae pro Christi nomine pertulerunt, non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; et quaedam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit». Secundo ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suae resurrectionis. Tertio ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. Quarto ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indiciis, insinuet. Postremo ut in iudicio, quam iuste damnentur, ibidem denuntiet. Unde, sicut Augustinus dicit (De Symb. 2) «sciebat Christus, quare cicatrices in suo corpore servaret; sicut enim demonstravit Thomae non credenti, nisi tangeret et videret: ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis; videtis vulnera, quae inflixistis; agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.»“ [1])

2. Christus, postquam a mortuis resurrexit, non statim in coelum rediit, sed „praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei et convescens“ (Act. 1, 3 sq.). [2]) De *apparitionibus* Christi ipsis haec habet S. Thomas: „Circa resurrectionem Christi duo erant discipulis declaranda, sc. ipsa veritas resurrectionis et gloria resurgentis. Ad veritatem autem resurrectionis manifestandam sufficit, quod pluries eis apparuit et cum eis familiariter est locutus et comedit et bibit et se eis palpandum praebuit. Ad gloriam autem resurgentis manifestandam noluit continue conversari cum eis, sicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat. Tunc quidem erat cum eis praesentia corporali, sed ante cum eis fuerat non solum corporali praesentia, sed etiam per similitudinem mortalitatis.“ [3])

---

[1]) S. Th. 3 q. 54 a. 4.

[2]) Contra clarissimum illud Act. 1, 3: „per *dies quadraginta* apparens eis“ *Valentiniani* et *Gnostici* ex apocryphis commenti sunt Christum per duodeviginti menses post resurrectionem suam in terra fuisse commoratum. Cf. Iren. Adv. haer. 1, 3, 30. — *Barnabas* 15, 9 ubi de die octavo celebrando loquitur pergens: „quo (ἐν ᾗ) et Iesus resurrexit a mortuis, et cum apparuisset, ascendit (ἀνέβη) ad coelos“ — a plurimis existimatur docere, Christum die post resurrectionem octavo ad coelos ascendisse. „Sed ἀνέβη non necesse est cum ἐν ᾗ construatur. Barnabas non novam rationem affert, ob quam christiani diem octavam vel dominicam agant, sed exponit, quamobrem eam in laetitia agant, sc. quia Christus, postquam a mortuis resurrexit, non amplius mortuus est sicut ceteri, qui de morte ad vitam revocati sunt, sed in coelum ascendens vivit in aeternum.“ (Funk in h. l.)

[3]) S. Th. 3 q. 55 a. 3.

Thesis 25.

Christus virtute propria in coelum ascendit.

Symbolum antiquissimum et deinde reliqua symbola omnia profitentur fidem in Christum ἀναβάντα εἰς τοὺς οὐρανούς. Coelum intelligitur sedes beatorum, de qua alibi. Christus in coelum ascendit secundum naturam suam humanam, quae sola continetur loco et motui subiecta est; sed ascendit virtute imprimis divina, secundo etiam aliquo sensu virtute humana, quatenus sc. ascendit virtute divina animae glorificatae et corpus moventi communicata. [1])

Dogma ascensionis ab omnibus negatur, qui Christi veram resurrectionem negant. [2]) Probabimus eius veritatem et necessitatem.

DEMONSTRATUR: **1.** Christus in coelum *vere ascendit.*

1. Scriptura *narrat,* Christum corporea ascensione in coelum ascendisse. Marc. 16, 19: „Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum et sedet a dexteris Dei (ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ).“ Luc. 24, 51: „Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis et ferebatur in coelum (διέστη ἀπ' αὐτῶν καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν) “ [3]) Act. 1, 9 sq.: „Et cum haec dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.“

2. *Apostoli* Christi ascensionem praedicant. Sic Petrus de Christo dicit: „Quem oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitu-

---

[1]) Cf. S. Th. 3 q. 57 a. 2 et 3.

[2]) Perabsurde nonnulli cum Straussio (Der alte und der neue Glaube), ut dogmati huic irrideant, ad systema copernicanum provocant. S. Scriptura ad nostram rem concipiendi rationem condescendens Christi ascensionem modo sensibili exhibuit; cui quidem modo vetustiores theologos plus aequo nonnunquam inhaesisse non est quod negemus.

[3]) Ex Protestantibus haud pauci et totum textum illum Marci et verba Lucae καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν tamquam additamenta spuria reiiciunt tum quia in aliquibus Codicibus desiderantur, tum maxime quia genus dicendi ipsis a Marci consuetudine alienum esse videtur. Immerito prorsus. Leguntur enim illa tum apud Patres vetustissimos tum in versionibus Syriaca, Itala, Vulgata. Nobis sufficiat ad decretum Concilii Tridentini provocare, quo edicitur, „libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis“ esse suscipiendos; idque eo vel magis, quod illo decreto Patres Tridentini imprimis textum Marci tueri volebant (cf. Theiner, Acta Conc. Trid. 1, 71 sq.). Alia hac de quaestione critica cf. apud Cornely, Introd. 3, 93 sq.; Knabenbauer in Marc. 16.

tionis omnium" (Act. 3, 21). Iuxta Paulum „magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne . . . assumptum est in gloria" (1 Tim. 3, 16); Christus Iesus „ascendit super omnes coelos ut impleret omnia" (Eph. 4, 10)[1]; est „excelsior coelis factus" (Hebr. 7, 26); „introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa" (Hebr. 9, 12); „praecursor pro nobis introivit (ad interiora velaminis)" (Hebr. 6, 20). Huc etiam spectant testimonia, quibus Christus exhibetur sedere a dextris Dei, de quibus postea.

3. *Patres* antiquissimi ascensionem Christi se credidisse testantur, tum Evangelistarum verba citantes, ut e. g. Hermas[2]), Iustinus[3]), Irenaeus[4]) etc., tum veritatem rei ipsam agnoscentes, quam quidem exprimunt hisce vocabulis: ἀναβαίνειν, πορεύεσθαι, ἀναφέρεσθαι, ἀνέρχεσθαι, ἀνέλευσις, ἄνοδος, ἀνάληψις, tolli, recipi, assumi, resumi, assumptio, receptio etc.[5])

2. Christum in coelum ascendere et ipsi et nobis *necessarium* fuit.

1. *Christo ipsi* ascendere summopere conveniebat. „Primo quia coelum debebatur Christo ex sua *natura*. Naturale enim est, ut unumquodque revertatur unde trahit originem. Principium autem originis Christi est a Deo, qui est super omnia. Ioan. 16, 28: «Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.» Ioan. 3, 13: «Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.» Et licet sancti in coelum ascendant, non tamen sicut Christus: quia Christus sua virtute, sancti vero attracti a Christo. Cant. 1, 3: «Trahe me post te.» Vel potest dici, quia nemo ascendit in coelum nisi Christus: quia sancti non ascendunt nisi inquantum sunt membra Christi, qui est caput Ecclesiae. Matth. 24, 28: «Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.» Secundo debebatur Christo coelum ex sua *victoria*. Nam Christus est in mundum missus ad pugnandum contra diabolum, et vicit eum; et ideo meruit exaltari super omnia. Apocal. 3, 21: «Ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.» Tertio ex sui *humilitate*. Nulla enim humilitas est ita magna sicut humilitas Christi, qui cum esset Deus, voluit fieri homo, et cum esset Dominus, voluit formam servi accipere, factus obediens usque ad mortem, ut dicitur Phil. 2, 8; et descendit usque ad infernum: et ideo meruit exaltari usque ad coelum ad sedem Dei. Nam humilitas via est ad

---

1) Sensus est non quidem, ut vetustiores Lutherani putaverunt: ut praesentia sua corporali omnia impleret; sed, ut compleret seu comprobaret quaecunque a Deo decreta erant et locupletaret omnia donis suis.

2) Herm. Sim. 9, 25.

3) Iustin. Dial. c. Tryph. 17, 36, 38, 85, 126.

4) Iren. Adv. haer. 3, 10.

5) Cf. Gebhardt et Harnack, Patr. Ap. 1, 2 p. 139.

exaltationem. Luc. 14, 11: «Qui se humiliat, exaltabitur.» Ephes. 4, 10: «Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos.»" [1])

2. *Nobis* Christi ascensio utilis erat. „Primo quantum ad ductum; nam ad hoc ascendit, ut nos duceret, nos enim nesciebamus viam, sed ipse ostendit. Mich. 2, 13: «Ascendet pandens iter ante eos»; et ut nos securos redderet de possessione regni coelestis: Ioan. 14, 2: «Vado parare vobis locum.» Secundo quantum ad securitatem: ad hoc enim ascendit, ut interpellaret pro nobis. Hebr. 7, 25: «Accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.» 1 Ioan. 2, 1: «Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum.» Tertio ut ad se corda nostra traheret. Matth. 6, 21: «Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum»: ut contemnamus temporalia. Apostolus Coloss. 3, 1 sq.: «Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.»" [2])

COROLLARIUM. Hinc intelligitur quo sensu Christi ascensio causa sit *nostrae salutis.* Nimirum dupliciter: tum ex parte nostra, tum ex parte Christi. „Ex parte quidem *nostra* inquantum per Christi ascensionem mens nostra movetur in ipsum: quia per eius ascensionem primo quidem datur locus fidei, secundo spei, tertio caritati, quarto etiam per hoc reverentia nostra augetur ad ipsum, dum iam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum caelestem. Ex parte autem *sua*, quantum ad ea quae ipse fecit ascendens propter nostram salutem: primo quidem viam nobis praeparavit ascendendi in coelum, secundum quod ipse dicit Ioan. 14, 2: «Vado parare vobis locum»; quia enim ipse est caput nostrum, oportet illuc sequi membra, quo caput praecessit. Unde dicitur Ioan. 14, 3: «Ut, ubi ego sum, et vos sitis»; et in huius signum animas sanctorum, quas de inferno eduxerat, in caelum traduxit, secundum illud Ps. 67, 17: «Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem»; quia scilicet eos, qui fuerant a diabolo captivati, secum duxit in coelum, quasi in locum peregrinum humanae naturae, bona captione captivos, utpote per victoriam acquisitos. Secundo quia sicut pontifex in veteri Testamento intrabat sanctuarium, ut assisteret Deo pro populo, ita et Christus intravit coelum ad interpellandum pro nobis, ut dicitur Hebr. 7. Ipsa enim repraesentatio sui ex natura humana, quam in coelum intulit, est quaedam interpellatio pro nobis; ut ex quo Deus humanam naturam sic exaltavit in Christo, etiam eorum misereatur, pro quibus Filius Dei humanam naturam assumpsit. Tertio ut in caelorum sede quasi Deus et Dominus constitutus, exinde divina dona hominibus mitteret, secundum illud Ephes. 4, 10: «Ascendit super omnes coelos, ut adimpleret omnia», scilicet «donis suis», secundum Glossam (interl.)." [3])

---

[1]) S. Th. Expos. art. sexti Symb. Apost.
[2]) S. Th. l. c.
[3]) S. Th. 3 q. 57 a. 6.

Thesis 26.

Christus homo ad dexteram Patris sedet.

Christum ad dexteram Patris sedere Symbola omnia profitentur vocantes eum καθήμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός. Sedere ad dexteram Dei est locutio tropica; quia sc. ad dexteram principis alicuius sedere reputatur honor quidam esse insignis, „per paternae dexterae vocabulum, inquit Damascenus, significamus divinitatis gloriam et honorem“.[1]) Quam quidem gloriam Christo, ut Deus est, competere per se liquet. At etiam secundum humanam suam naturam Christum novo quodam modo gloriae divinae participem esse credendum est, quatenus nimirum, ut ait S. Thomas, „aeternaliter incorruptibilis manet in gloria Patris et illi conregnans ab eo suscipit omnium iudiciariam potestatem“.[2])

DEMONSTRATUR: 1. Christus homo *ad dexteram Patris sedet.*

1. *Christus* de seipso illud interpretatur Psalmi: „Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis“ (Marc. 12, 36). Christus porro praedixit: „Videbitis Filium hominis sedentem a dexteris virtutis Dei“ (Marc. 14, 62).

2. Christi *discipuli* hoc diserte testantur: „Καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ“ (Marc. 16, 19). Deus Pater dicitur „suscitans illum (Christum) a mortuis et constituens ad dexteram suam in coelestibus“ (Eph. 1, 20; cf. 1 Petr. 3, 22). Dicitur Christus sedens „ad dexteram maiestatis in excelsis“ (Hebr. 1, 3), consedens „in dextera sedis magnitudinis in coelis“ (Hebr. 8, 1). Vocatur „Christus Iesus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis“ (Rom. 8, 34). Christus exhibetur „unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedere in dextera Dei“ (Hebr. 10, 12). Iubemur quae sursum quaerere, „ubi Christus est in dextera Dei sedens“ (Col. 3, 1).

3. *Patres* vetustissimi Christi hominis illam exaltationem agnoverunt. Polycarpus iubet relinquere inane vaniloquium et vulgi errorem „credentes in eum qui Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis suscitavit eique gloriam dedit ac sedem ad dexteram suam, cui subiecta sunt omnia coelestia et terrestria etc.“.[3]) Irenaeus haec habet: „Unus et idem est Christus Iesus Filius Dei, qui per passionem reconciliavit nos Deo et resurrexit a mortuis, qui est in dextera Patris.“[4]) Tertullianus saepius huius dogmatis mentionem facit.[5])

---

[1]) Damasc. De fide 4, 2.

[2]) S. Th. 3 q. 58 a. 1.

[3]) Polycarp. Ad Philipp. 2, 1.

[4]) Iren. Adv. haer. 3, 16.

[5]) Cf. Tertull. De praescr. 13; De vel. virg. 1; C. Prax. 2, 30.

2. *Quomodo* Christus ut homo ad dexteram Dei Patris sedeat, sic ostendit S. Thomas: „Nomine dexterae Patris intelligitur vel ipsa gloria deitatis ipsius vel beatitudo aeterna eius vel potestas iudiciaria et regalis. Haec autem praepositio «ad» quendam accessum ad dexteram designat; in quo designatur convenientia cum quadam distinctione. Quod quidem potest esse tripliciter: Uno modo, ut sit convenientia in natura et distinctio in persona. Et sic Christus, secundum quod Filius Dei, sedet ad dexteram Patris, quia habet eandem naturam cum Patre; unde praedicta conveniunt essentialiter Filio, sicut et Patri; et hoc est esse in aequalitate Patris. Alio modo secundum gratiam unionis, quae importat e converso distinctionem naturae, et unitatem personae: et secundum hoc Christus, secundum quod homo, est Filius Dei, et per consequens sedens ad dexteram Patris; ita tamen quod ly secundum quod non designet conditionem naturae, sed unitatem suppositi. Tertio modo potest praedictus accessus intelligi secundum gratiam habitualem, quae abundantior est in Christo prae omnibus aliis creaturis, intantum quod ipsa natura humana in Christo est beatior caeteris creaturis, et super omnes alias creaturas habens regiam et iudiciariam potestatem. — Sic igitur si ly secundum quod designet conditionem naturae, Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris, i. e. in aequalitate Patris: secundum autem quod homo, sedet ad dexteram Patris, idest in bonis paternis potioribus prae caeteris creaturis, idest in maiori beatitudine, et habens iudiciariam potestatem. Si vero ly secundum quod designet unitatem suppositi, sic etiam secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris, secundum aequalitatem honoris; inquantum scilicet eodem honore veneramur ipsum Filium Dei cum natura assumpta.“ [1])

SCHOLION. Christus postquam in coelum ascendit adeptus est sibi et nobis *in perpetuum* ius et dignitatem mansionis coelestis. „Cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus *quandoque corporaliter* ad terram descendat vel ut ostendat se omnibus sicut in *iudicio,* vel ut ostendat se alicui specialiter, sicut *Paulo,* ut habetur, Act. 9 (cf. 1 Cor. 15, 8).“ [2])

Caput II.

De Virtute Eorum Quae a Christo Gesta Sunt.

Iam in singulis fere a Christo gestis enarrandis, qui eorum cum salute nostra nexus sit quaeque ad eam efficiendam efficacia, expositum est. Verum necesse est, ut quae ibi veluti sparsa reperiuntur una disputatione colligantur et accuratius explicentur. Cuncta

---

[1]) S. Th. 3 q. 58 a. 3.
[2]) S. Th. 3 q. 57 a. 6 ad 3.

vero, quae hic dicenda sunt, breviter complectitur Apostolus, ubi probat Deum velle omnium salutem, dicens (1 Tim. 2, 5 sq.): „Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus." Quibus plura continentur: Christus *mediator* est [th. 27], Christi mediatio praecipue in eo est, quod satisfactione praestita nos *redemit* [th. 28], redemptio haec facta est per modum satisfactionis *condignae* [th. 29], per modum *meriti* [th. 30], per verum *sacrificium* [th. 31].

Thesis 27.

Christus Deus-homo solus inter Deum et homines mediator est et naturalis et moralis.

Mediator (μεσίτης) dicitur qui inter plures medius est ad eos aliquo modo coniungendos. Mediator est *naturalis*, qui natura sua ita est comparatus, ut cum iis, inter quos medius intercedit, in ordine physico aliquid habet commune. Christum inter Deum et homines mediatorem esse statuerunt et Gnostici et Ariani; at praepostero sensu: Gnostici quidem, quatenus illarum, quas fingebant, Dei emanationum ultimam, δημιουργόν; Ariani, quatenus eum naturam quandam intermediam inter divinam et creatam esse voluerunt. Sensu catholico Christus inter Deum et homines est mediator naturalis quatenus, uti probavimus, et Deus immutabilis et homo cum sit, ipse naturam tum divinam tum humanam habet. Mediator *moralis* est, qui munus plures coniungendi exercet; sensu maxime proprio tunc dicitur, quando de pluribus agitur inter se aliquo modo certantibus.

Probabimus itaque Christum inter Deum et homines mediatorem esse tum naturalem tum moralem, imo ideo moralem, quia mediator est naturalis; munus porro eum exercuisse mediationis humana sua natura; sensu denique perfecto Christum solum esse mediatorem.

Mediatoris nomine totius redemptionis nostrae mysterii finis continetur ac fructus. Quamobrem haec thesis in universa hac disputatione fundamenti loco est.

DEMONSTRATUR: 1. Christus Dei et hominum est *mediator*.

1. Christus mediator *naturalis* est.

Quod eo ipso probatum esse censeri debet, quod Christum et naturam divinam et naturam humanam habuisse probatum est.

Patres hanc veritatem disertis verbis enuntiant docentes, in hac naturali mediatione fundamentum omnis mediationis moralis positum esse. „Oportuerat mediatorem Dei et hominum per suam ad utroque

domesticitatem in amicitiam et concordiam utrosque reducere."[1]) „Christus unum cum Patre secundum spiritum (i. e. divinitatem), nobiscum vero secundum carnem: atque ita mediator erat inter Deum et homines."[2]) „Mediator Dei et hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo praeter deitatem, non mediator Deus praeter humanitatem. Ecce mediator. Divinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine divinitate non est mediatrix; sed inter divinitatem solam et humanitatem solam mediatrix est humana divinitas et divina humanitas."[3])

2. Christus mediator *moralis* est.

Haec mediatio multiplex est. Spectat ad eam, quod Christus, propheta nobilissimus, veritatem divinam clarius ac plenius quam ullus eousque propheta revelavit, quod Novi Testamenti auctor fuit ac promulgator, quod ad revelationem complendam et homines sanctificandos Spiritum Sanctum misit, quod Ecclesiam condidit, sacramenta instituit, sacerdotium perenne in Ecclesia creavit. De qua quidem Christi mediatione in aliis tractatibus sermo est. Sed prae his omnibus illud unum hoc constituit mediatoris munus praecipuum, quod Christus ipse sua passione ac morte nostrae voluit solvere pretium mortis nosque a peccato redimere; quam mediationem Apostolus significat dicens (1 Tim. 2, 5 sq.): „Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus"; et iterum (Col. 1, 19 sq.): „Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in coelis sunt." Atque haec illa est mediatio, de qua in sequentibus fusius disseretur.

2. Christus *humana* sua natura est mediator.

Quamvis valor ac pretium omne mediationis tandem aliquando a divina Christi persona proficiscatur, munus tamen suae inter Deum et homines mediationis Christus exercuit prouti erat homo et per ea quae ut homo egit ac passus est.

Rem hanc sic enuntiat Augustinus: „Non ob hoc mediator est Christus, quia Verbum, maxime quippe immortale et maxime beatum Verbum longe est a mortalibus miseriis; sed mediator est secundum quod homo."[4]) Accuratius rem demonstrat S. Thomas: „In mediatore duo possumus considerare: primo quidem rationem medii, secundo officium coniungendi. Est autem de ratione medii, quod

---

[1]) Iren. Adv. haer. 3, 18.
[2]) Athanas. De incarn. 22.
[3]) Augustin. Sermo 47, 21.
[4]) Augustin. De civ. Dei 9, 15.

distet ab utroque extremorum; coniungit autem mediator per hoc quod ea quae unius sunt defert ad alterum. Neutrum autem horum potest convenire Christo secundum quod Deus, sed solum secundum quod homo. Nam secundum quod Deus, non differt a Patre et Spiritu Sancto in natura et potestate dominii; nec etiam Pater et Spiritus Sanctus aliquid habent quod non sit Filii, ut sic possit id quod est Patris vel Spiritus Sancti, quasi quod est aliorum, ad alios deferre. Sed utrumque convenit ei inquantum est homo, quia secundum quod est homo distat et a Deo in natura et ab hominibus in dignitate et gratiae et gloriae; inquantum etiam est homo, convenit ei coniungere homines Deo, praecepta et dona Dei hominibus exhibendo et pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando. Et ideo verissime dicitur mediator secundum quod homo." [1])

3. Christus *solus* sensu perfecto est mediator.

„Ad mediatoris officium proprie pertinet coniungere et unire eos, inter quos est mediator: nam extrema uniuntur in medio. Unire autem homines Deo *perfective* quidem convenit Christo, per quem homines sunt reconciliati Deo, secundum illud 2 Cor. 5, 19: «Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.» Et ideo solus Christus est perfectus Dei et hominum mediator, inquantum per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit. Unde cum Apostolus dixisset: «Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus», subiunxit: «qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.»" [2])

SCHOLION. Quamvis solus Christus sensu pleno sit inter Deum et homines mediator, maxime si mediatio spectatur reconciliationis, quae praecipua est, tamen et *alii* sensu sane longe alio hominum apud Deum mediatores existimari poterunt esse. „Nihil prohibet aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout sc. cooperantur ad unionem hominum cum Deo *dispositive* vel *ministerialiter*." [3])

„*Prophetae* et *sacerdotes Veteris Testamenti* dicti sunt mediatores inter Deum et homines dispositive et ministerialiter, inquantum sc. praenuntiabant et praefigurabant verum et perfectum Dei et hominum mediatorem. *Sacerdotes* vero *Novi Testamenti* possunt dici mediatores Dei et hominum, inquantum sunt ministri veri mediatoris vice ipsius salutaria sacramenta hominibus exhibentes." [4])

Insignis est aliqua mediatio illius, quae *Dei mater* fuit, B. Mariae Virginis; de qua mediatione supra (thesi 18) dictum est.

---

[1]) S. Th. 3 q. 26 a. 2.
[2]) S. Th. l. c. a. 1.
[3]) S. Th. l. c.
[4]) S. Th. l. c. ad 1.

Thesis 28.

Christus passione et morte sua vice nostra Deo satisfaciens nos redemit.

Christi mediatio moralis, ut audivimus, plura complectitur; maxime vero hominum peccatorum cum Deo *reconciliationem*. Aliquam huiusmodi reconciliationem per Christum factam etiam *haeretici* omnes agnoverunt. At plures reconciliationem talem statuerunt, quae longissime abest ab ea, quam fides praedicat christiana. *Pelagiani* videlicet, quemadmodum peccatum originale eiusque sequelas, sic etiam redemptionis necessitatem nostramque a peccatis redemptionem negaverunt, totum fere Christi opus ad *doctrinae* sanctitatem et *exempla* virtutum reducentes et aliquem eius influxum ad peccata personalia delenda. Quos secutus est, imo superavit *Abaelardus* illum etiam Christi per gratiam influxum auferens.[1]) Postea in oppositione quadam ad Reformatores, qui in ordine salutis totum soli tribuerunt Christo nihil hominum cooperationi relinquentes, rationalismum illum Pelagianum amplexi sunt *Sociniani*[2]) et *Protestantes* recentiores *plurimi*.[3])

---

[1]) „Tale est Sapientiam Dei incarnatam esse, ac si dicatur, ad hoc Deum incarnatum esse, ut vere doctrina iustitiae nos instrueret tum praedicatione tum etiam exemplo: moriendo quidem docuit, quantum nos dilexerit, atque in hoc ipso nobis usque ad mortem pro ipso certandi exemplum proposuit; resurgendo autem viam immortalitatis exhibendo praedicavit“ (Abael. Theol. chr. 4, 13).

[2]) Laelius Socinus (De Christo Servatore 1) haec habet: „Censeo ego et orthodoxam sententiam esse arbitror, Iesum Christum ideo servatorem nostrum esse, quod salutis aeternae viam nobis annuntiarit, confirmarit et in sua ipsius persona tum vitae exemplo tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit; divinae autem iustitiae, per quam nos peccatores damnari meremur, pro peccatis nostris neque illum satisfecisse neque ut satisfaceret opus fuisse.“

[3]) Ex *Protestantibus* recentioribus audiantur pauci aliqui praecipui: *Schleiermacher* (Christl. Glaube § 100 u. 101) has statuit theses: „Der Erlöser nimmt die Gläubigen in die Kräftigkeit seines Gottesbewusstseins auf, und dies ist seine erlösende Thätigkeit.“ „Der Erlöser nimmt die Gläubigen auf in die Gemeinschaft seiner ungetrübten Seligkeit, und dies ist seine versöhnende Thätigkeit.“ *Hase* (Dogm. § 141) mentem suam sic aperit: „Christus wurde durch Lehre und Leben der Gründer einer von seinem Geiste beseelten Gemeinschaft, mit der Absicht, die Menschheit zur höchsten religiösen Entwicklung zu vereinigen, deren Ausführung in einem grossartigen Anfange vor uns liegt, Gründer des göttlichen Reichs auf Erden. Dieses sein Werk ist nur die Offenbarung seines Seins . . . . Sein Tod war nur die Vollendung seines irdischen Daseins . . . . Am fernsten liegt der modernen Bildung die Vorstellung eines Opfertodes, wiefern darunter ein wirkliches Ersetzen oder Überbieten des Sühn- und Bundesopfers gedacht wurde. Aber die wahre

Ex catholicis ad hunc errorem accesserunt *Hermes* docens, Deum infinite misericordem non posse pro peccatis ullam a nobis postulare satisfactionem, sed ideo solum Filium suum et nasci et pati et mori voluisse, ut totam peccati nobis ostenderet gravitatem, et *Guentherus* existimans, redemptionis opus esse solum hoc, quod aequilibrium morale ab Adamo inobediente turbatum a Christo obediente fuerit restitutum. [1])

Mirum sane est hanc de redemptione satisfactoria doctrinam a non paucis [2]), inter quos etiam nonnulli catholici theologi, auctori tribui *S. Anselmo.* Verum quidem est, Anselmum eam in opere suo ‚Cur Deus homo' prae ceteris clarius ac fusius propugnasse [3]); con-

Bedeutung des Opfertodes ist, wie dieses Weltgesetz durch die ganze Natur und durch alle menschliche Gemeinschaft geht, dass immer das Eine dem Andern aufgeopfert wird, jeder Opfertod die Geburtsstätte eines neuen Lebens ist, und die herrlichsten Siege sterbend erkämpft werden. Das ist die höchste sittliche That jedes endlich unendlichen Wesens, solche Opfer in frommer Ergebung und freier Liebe zu bringen. In diesem Sinne hat sich Jesus geopfert, um, da er es nicht mehr durch sein Leben konnte, durch seinen Tod das Gottesreich zu gründen. Der Gottheit aber kann der Mensch nichts wahrhaft opfern als das, wovon das Menschenopfer das furchtbare Schattenbild ist, sein eignes Herz, woraus, sobald es Gott durch die Geschichte fordert, jede andre Aufopferung entspringt. In diesem Sinne soll jeder Christ sich mit Christus opfern, und darin liegt das Heil. Ein anderes stellvertretendes Opfer kennt die vollkommene Religion nicht, also auch keinen Ersatz dafür." *A. Ritschl,* qui prae reliquis propius ad doctrinam catholicam accedere videtur, et ipse veram redemptionis doctrinam destruit docens (Unterricht in der christl. Relig. § 42; cf. eiusdem opus prolixum ‚Die christliche Lehre von der Rechtfertigung und Versöhnung'): „Die Ansicht, dass Christus durch die stellvertretende Erduldung der von den sündigen Menschen verschuldeten Strafe die Gerechtigkeit oder den Zorn Gottes versöhnt und die Gnade Gottes frei gemacht habe, wird durch keine deutliche und direkte Stelle im N. T. begründet." Recentissime *Kaftan* (Dogm. § 49, 53, 60) haec statuit: „Als Offenbarung, an die sich der Glaube hält, kommt der Tod Christi in Betracht, nicht aber als eine objektive Bedingung des rechtfertigenden Urteils Gottes." „Es wird auch in der Schrift der Tod Christi als das grosse Opfer für die Sünde der Welt gedeutet; das ordnet sich jedoch dem Gedanken ein, dass im Tode Christi Gerechtigkeit vor Gott (Vergebung der Sünden) für den Glauben offenbart ist; zur Versöhnung wird es, wo die Offenbarung Glauben in einem Herzen weckt und findet." „Der Tod war nicht notwendig als Strafe, sondern als Erziehungsmittel, dieses im höchsten Sinn verstanden, wie es sich im Zusammenhang der weltgeschichtlichen Führung der Menschen durch Gott gestaltet; es muss nur hinzugenommen werden, dass der Tod des Heilands das für den Zweck der Erziehung allein zureichende Mittel war, und dass dieser Zweck im Wesen des Erziehers d. h. Gottes selbst, begründet ist."

[1]) Cf. Kleutgen, Theol. der Vorzeit 3 n. 390 sq.

[2]) Cf. Harnack, Dogmengesch. 3, 341 sq.

[3]) „Anselmus hat der alten Lehre nur eine schärfere und weniger dem Missverständnisse ausgesetzte Fassung gegeben, resp. dieselbe genauer analy-

cedi etiam potest, Anselmum exaggerasse, cum affirmaret redemptionem nostram sola divina misericordia fieri non potuisse, sed necesse prorsus fuisse, ut satisfactio intercederet eaque a Deo ipso praestanda, id quod tamen de quadam decentia accipi potest: doctrina autem ipsa, secundum quam Deus, cum pro infinita sua misericordia peccata hominum remittere vellet, pro sua vero iustitia voluit plenam pro culpa et poenis debitis satisfactionem praestandam ab uno homine tamquam omnium capite ac vade, a Christo sc. mediatore, doctrina antiquissima est ac fidei, imo in universa fide nostra *fundamentalis*.

Doctrinam *catholicam* brevissime exhibet symbolum Nicaenum per illud: „Crucifixus etiam pro nobis, ὑπὲρ ἡμῶν". Clarius ac fusius eam enuntiavit Eugenius IV (Decr. pro Iacob.): „Sancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli damnatione fuisse liberatum nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Iesu Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem peccata nostra delendo solus sua morte prostravit et regni coelestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, reseravit." Concilium denique Tridentinum haec definivit (Sess. 5 can. 3): „Si quis Adae peccatum . . . vel per humanae naturae vires vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio: a. s." Idem porro Concilium haec de Christo habet (Sess. 6 cap. 7): „Causa meritoria (iustificationis nostrae) . . . Dominus noster Iesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua

---

sirt. Denn seine satisfactio ist ja gar nichts anders als die solutio resp. exsolutio debiti bei den VV, wodurch der verletzten Heiligkeit Gottes und seiner Ordnung und den Forderungen seiner Gerechtigkeit genug geschehen sollte, nur schärfer und konkreter dahin gestaltet, dass die Verletzung der Heiligkeit Gottes durch die Sünde als eine Missachtung der heiligen Würde und Majestät der Persönlichkeit Gottes und mithin als Kränkung der persönlichen Ehre Gottes gefasst wird. Wesentlich neu, aber dann auch unhaltbar, wäre die Anselmische Satisfaktionstheorie nur dann, wenn darin, wie die Rationalisten ihr vorwerfen, die persönliche Ehrenkränkung Gott gegenüber rein juristisch resp. privatrechtlich in derselben Form, wie die Ehrenkränkung gegenüber einem Menschen, gedacht und von letzterer bloss durch die Unendlichkeit, nicht durch die absolute Heiligkeit der Würde Gottes, unterschieden würde. Das ist aber durchaus nicht der Fall, obgleich nicht geleugnet werden mag, dass auf die Anselmische Formulirung die im mittelalterlichen Rechte scharf ausgeprägte Anschauung von der Gutmachung einer Ehrenkränkung durch Busse oder „Wergeld" von Einfluss gewesen sei" (Scheeben, Dogm. 3 n. 1297).

dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit."

Quae doctrina ut intelligatur, haec breviter animadvertenda sunt: Deo ius est, ut homo ei obediat servando eius mandata. Transgressio mandatorum Dei seu libera hominis a Deo aversio per illicitam ad creaturas conversionem seu *peccatum* illius iuris divini est violatio. Quocirca per peccatum Deo iniuria fit. Cuius iniuriae gravitas formalis ex ordine laedentis ad laesum desumitur, materialis ex facto ipso violationis. Iniuria illa Deo nullum infertur damnum, damnum vero maximum ipsi homini peccanti. Quod quidem damnum duplex est: culpa habitualis ex actuali exoriens et poena. Poena rursus est duplex: ex aversione a Deo est privatio bonorum supernaturalium ac bonorum, quae finem ultimum constituunt, ex conversione ad creaturas mala sensus affligentia. Status hic creaturae peccatricis et est et in Scriptura vocatur servitus; est scilicet servitus sub peccato ipso et sub diabolo „praeposito mortis, operis mali persuasore, supplicii exactore" [1]). — Hinc hominis ad Deum *reconciliatio* est restitutio ex servitute illa in pristinum libertatis statum. Quae reconciliatio dicitur *redemptio,* si fit pretio soluto. In ea autem praeterea *meriti* ratio invenitur, inquantum agentis atque actionis dignitas ad remunerationem ei inest; ratio *satisfactionis,* inquantum ibi locum habet compensatio honoris laesi et poenae persolutio atque exaequatio; ratio denique *sacrificii,* inquantum actione illa res aliqua in Dei honorem consumitur. Iam vero haec omnia locum habent in reconciliatione, quam Christus Dei et hominum mediator inter nos et Deum operatus est. In thesi vero praesenti non agetur nisi de ratione *redemptionis* sola, praecisione facta a peculiaribus illis qui ei insunt modis meriti, satisfactionis, sacrificii.

Animadvertendum vero est, talem hominum redemptionem tum ex re ipsa tum secundum usum loquendi Scripturae bifariam patere: continet enim et quid *negativum,* sc. solutionem ac liberationem a servitute peccati, atque sic accepta vocatur λύτρωσις, ἀπολύτρωσις *(redemptio, Erlösung);* et quid *positivum,* sc. collationem bonorum, quibus homines Deo grati fiunt, atque sic intellecta dicitur καταλλαξις, ἀποκατάλλαξις *(reconciliatio, Versöhnung).* Actio vero haec Christi, prout in singulis hominibus peccatoribus consideratur, vocatur δικαίωσις *(iustificatio, Rechtfertigung);* quae quidem in ipsis per veram aliquam ad vitam supernaturalem *regenerationem* locum habet.

Cardo theseos in eo est, quod Christi mediatio ad ministerium

---

[1]) Augustin. In Ps. 142.

salutis nostrae, quod sua potissimum passione et morte operatus est, non solum vim habere probatur quam dicunt *ethicam* et *paedagogicam*, qua sc. homines per eius doctrinam et virtutum exempla instructi ipsi velut seipsos redimant, quae quidem vis aliqua non negatur; sed maxime eam, ut Christus ipse sit proprio sensu salutis nostrae *causa*, eaque non solum efficiens, prouti Christus Deus est, sed praeterea etiam meritoria, inquantum sc. vice nostra Deo pro peccatis nostris satisfecit.

DEMONSTRATUR: Christus passione et morte sua vice nostra Deo satisfaciens nos redemit.

1. *An* sit huiusmodi nostra redemptio probatur.

1. Ex Scriptura *Veteris Testamenti* unus sufficiat locus celeberrimus Is. 53. Ibi sermo est de „servo Dei". Atqui, ut patet ex N. T. (Matth. 8, 17; Marc. 15, 28; Luc. 22, 37; Act. 8, 32 sq.; 1 Petr. 2, 22 sq.) et ex textu ipso, cuius omnia et singula in Christo et in Christo solo impleta sunt, hic „servus Dei" *Christus* est.[1] Iam vero Christus hic describitur despectus et doloribus afflictus (1—3); nostram enim iniquitatem abstulit, propter nostram salutem nostras in se suscipiens poenas, quamobrem ipse beatus homines donabit iustitia (4 sq.). Videlicet: „Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit (i. e. expiavit in se assumendo poenasque luendo) . . . Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina (hebr. castigatio) pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit et non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum . . . Propter scelus populi mei percussi eum . . . Si posuerit pro peccato (אָשָׁם delictum vel sacrificium pro delicto) animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur (i. e. videbit magnam hominum multitudinem ad salutem perventuram, et Dei voluntas generis humani restaurandi per ipsum perficietur); pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur; in scientia sua (i. e. lumine et gratiae et doctrinae suae) iustificabit ipse iustus servus meus multos,

---

[1]) Qui illum „Ebed Jahve" nolunt esse Christum, nesciunt ipsi, quis sit. Alii (Wellhausen, Giesebrecht) eum populum Israël esse interpretantur, alii (Orelli) Messiam aliquem idealem, alii (Duhm) magnum aliquem Legis doctorem nobis ignotum, alii (Sellin, Kittel) Zorobabelem, alii denique (Bertholet) Eleazarum; sic isti, aliis alios refutantibus.

et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit (hebr. effudit) in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.“ — Iam vero: „Satisfactionem vicariam Isaias ita rem censet maximi momenti, ut *duodecies* in hoc solo capite efferat servum Domini nostras in se suscepisse culpas. Nam prout ab ipsis Protestantibus Wuensche et Naegele loci enumerantur: 1. morbos nostros tulit 4 a; 2. dolores nostros portavit 4 a; 3. ipse perfossus est propter scelera nostra 5 a; 4. conculcatus propter iniquitates nostras 5 a; 5. castigatio pacis nostrae super eum 5 b; 6. vibicibus eius sanatio nobis 5 b; 7. Iahve immisit in eum iniquitatem omnium nostrum 6 b; 8. propter scelus populi mei percussio ipsi 8 b; 9. si posuerit animam eius sacrificium pro delicto 10 a; 10. et iniquitates eorum ipse portat 11 b; 11. cum iniquis reputatus est 12 a; 12. peccata multorum portat 12 b.“ [1])

2. In *Novo Testamento* manifesta est doctrina: Christum pro (ὑπέρ vel ἀντί) nobis mortuum esse, idque pro peccatis nostris vel in remissionem peccatorum, eum dedisse se in pretium (τιμή, λύτρον, ἀντίλυτρον), ut nos redimeret (ἀγοράζειν, λυτροῦν, ἀντιλυτροῦν), mortemque eius ac sanguinem causam esse nostrae salutis. *Baptista* haec de Christo habet: „Ecce agnus Dei, ecce qui tollit (ὁ αἴρων i. e. portans) peccatum mundi“ (Ioan. 1, 29). Christus ipse de se profitetur: „Animam meam pono pro ovibus meis“ (Ioan. 10, 15); „Filius hominis venit . . . dare animam suam redemptionem (λύτρον) pro multis (ἀντὶ πολλῶν)“ (Matth. 20, 28). Idem porro Christus de suo effundendo sanguine haec dicit: „Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum“ (Matth. 26, 28). *Ioannes* haec habet: „Ipse est propitiatio (ἱλασμός) pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi“ (1 Ioan. 2, 2); „Sanguis Iesu Christi Filii eius emundat nos ab omni peccato“ (1 Ioan. 1, 7); Christus „dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo“ (Apoc. 1, 5); „Ceciderunt coram agno . . . . dicentes: Dignus es, Domine, ... quoniam occisus es et redemisti (ἠγόρασας) nos Deo in sanguine tuo“ (Apoc. 5, 8 sq.). *Petrus* provocans ad Is. 53 de Christo haec habet: „Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus, cuius livore sanati estis“ (1 Petr. 2, 24).

Paulus redemptionem nostram per Christi vicariam satisfactionem diserte ac multipliciter praedicat: — a. *Salus* nostra tribuitur Christi

---

[1]) Knabenbauer in h. l.

mediatoris *morti ac sanguini:* „Cum adhuc peccatores essemus, . . . Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc, iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum; si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius“ (Rom. 5, 8 sq.). — b. Huiusmodi redemptio pars aliqua, imo praecipua *mediationis* Christi esse declaratur: „Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias, in carne sua legem mandatorum decretis (ἐν δόγμασιν) evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso“ (Eph. 2, 13 sq.). „Complacuit . . . per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sive quae in coelis sunt“ (Col. 1, 19 sq.). — c. Quae mediatoris reconciliatio docetur esse *solutio pretii:* „Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum (ἀντίλυτρον) pro omnibus“ (1 Tim. 2, 5 sq.). „In quo habemus redemptionem (ἀπολύτρωσιν) per sanguinem eius“ (Col. 1, 14). „Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret (ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς) ab omni iniquitate“ (Tit. 2, 14). „Ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem (εἰς ἀπολύτρωσιν) earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant“ (Hebr. 9, 15). — d. Christus exhibetur passione et morte sua *hostiam* pro peccatis obtulisse, cuius vetera sacrificia typi erant: „Hic unam pro peccatis offerens hostiam . . . una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos“ (Hebr. 10, 12 sq.). Imo Christus *ipse* vocatur sacrificium pro peccato: „Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit“ (2 Cor. 5, 21). — e. Quod quidem factum est, inquantum Christus nostra peccata seu peccatorum poenas in se suscipiens *vice nostra* Deo satisfecit: „Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum“ (Gal. 3, 13). „Vos, cum mortui essetis in delictis . . ., convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; et ipsum (chirographum) tulit de medio, affigens illud cruci“ (Col. 2, 13 sq.). — f. *Valor* moralis mortis Christi in eius erga Deum situs est *voluntaria obedientia,* qua primi hominis inobedientia expiabatur: „Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae; sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi“ (Rom. 5, 18 sq.).

— f. Quae denique salutis nostrae oeconomia argumentum est non solum divinae misericordiae, sed etiam *iustitiae:* „Iustificati gratis per gratiam ipsius (Dei), per redemptionem (διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως) quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem (ἱλαστήριον) per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus et iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi“ (Rom. 3, 24 sq.).

3. Quae de redemptione nostra Scripturae, eadem est *Patrum* doctrina.

Illud Pauli Apostoli (Rom. 5) testimonium de Christi obedientia sic interpretatur Irenaeus: „Dissolvens eam, quae ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis, eam, quae in ligno facta fuerat, inobedientiam per obedientiam sanans . . . In primo quidem Adam offendimus, non facientes eius praeceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi cuius praeceptum transgressi fueramus ab initio.“ [1]) Redemptio porro nostra, quamvis nonnunquam anthropomorphice ita describatur facta, ut pretium veluti materiale Deo solutum esse videatur, imo et daemoni, in eo iuxta Patres est, ut vice nostra Christus peccatorum poenas subiens Deo satisfecerit. Clare rem hanc explicat Gregorius Nazianzenus: „Enimvero alienum non fuerit rem ac doctrinam inquirere a multis neglectam, meo autem iudicio studiose inquirendam: eccui enim ille pro nobis sanguis et quam ob causam fusus est, ille inquam magnus et nobilis Christi tum Pontificis tum sacrificii sanguis? Nos enim a diabolo detinebamur, utpote qui venumdati essemus sub peccato et vitium cum voluptate commutassemus. Quodsi redemptionis pretium non alii ulli, quam illi, qui captivos detinet, persolvitur: quaero, cui tandem oblatum est et quam ob causam? Si pravo illi, o gravem contumeliam! si non a Deo solum, sed Deum quoque ipsum pro redemptionis pretio latro accepit adeoque insigne et excellens tyrannidis suae praemium, cuius causa nobis quoque parci aequum erat. Si autem Patri: primum quidem, quomodo id factum est? neque enim ab ipso detinebamur. Deinde quae ratio afferri potest, ut Unigeniti sanguine Pater oblectetur, qui ne Isaac quidem a patre oblatum acceperit, sed ariete in rationalis victimae locum substituto sacrificium permutarit? Perspicuum sane est, acceptasse quidem Patrem, non tamen quod postulaverit aut desideraverit, sed propter administrationem (οἰκονομίαν), et quia hominem per humani-

[1]) Iren. Adv. haer. 5, 16.

tatem Dei sanctificari oportebat, ut ipse nos eriperet, tyranno per vim superato, et ad seipsum adduceret per Filium intervenientem et in honorem Patris hoc administrantem.“ [1]) Augustinus quae in nostra redemptione peragenda fuerit a Christo de diabolo reportata victoria, sic declarat: „Quid est ‚iustificati in sanguine ipsius‘? Quae vis sanguinis huius, obsecro, ut in eo iustificentur credentes? Et quid est ‚reconciliati per mortem Filii eius‘? Quadam iustitia Dei in diaboli potestatem est traditum genus humanum, peccato primi hominis ad omnes utriusque sexus naturali commixtione nascentes naturaliter transeunte et parentum primorum debito universos posteros obligante . . . Modus autem iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit aut fieri iusserit, sed quod tantum permiserit, iuste tamen; . . . illo enim deserente peccantem, peccati auctor illico invasit . . . Nec hominem a lege suae potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit, quia nec ipse diabolus a potestate Omnipotentis alienus est, sicut nec a bonitate . . . Si ergo commissio peccatorum per iram Dei iustam hominem subdidit diabolo, profecto remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam eruit hominem a diabolo. Non autem diabolus potentia Dei, sed iustitia superandus fuit. Nam quid omnipotenti potentius, aut cuius creaturae potestas potestati Creatoris comparari potest? Sed cum diabolus vitio voluntatis suae factus sit amator potentiae — sic enim et homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, imo perosa iustitia, potentiae student eiusque vel adeptione laetantur vel inflammantur cupiditate — placuit Deo ut propter eruendum hominem de diaboli potestate non potentia diabolus, sed iustitia vinceretur, atque ita et homines imitantes Christum iustitia quaererent diabolum vincere, non potentia . . . Quae est igitur iustitia, qua victus est diabolus? Quae nisi iustitia Iesus Christi? Et quomodo victus est? Quia, cum in illo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen; et utique iustum est, ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes, quem sine ullo debito occidit. Hoc est quod iustificari dicimur in Christi sanguine; sic quippe in remissionem peccatorum fusus est . . . In hac redemptione pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto diabolus non ditatus est, sed ligatus, ut nos ab eius nexibus solveremur.“ [2]) Accurate demum contra Abaelardum doctrinam Patrum de redemptione satisfactoria Bernardus sic exponit: „Iuste homo addictus, sed misericorditer liberatus; sic tamen misericorditer,

[1]) Gregor. Naz. Or. 45 al. 42 de agno pasch. 22.
[2]) Augustin. De Trin. 13, 15 sq.

ut non defuerit iustitia quaedam et in ipsa liberatione; quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, ut, quod congruebat remediis liberandi, iustitia magis contra invasorem, quam potentia uteretur. Quid namque ex se agere poterat, ut semel amissam iustitiam recuperaret, homo servus peccati, vinctus diaboli? Assignata est ei proinde aliena, qui caruit sua; et ipsa sic est. Venit princeps huius mundi, et in Salvatore non invenit quicquam: et cum nihilominus innocenti manus iniecit, iustissime, quos tenebat, amisit, quando is, qui morti nihil debebat, accepta mortis iniuria iure illum, qui obnoxius erat, et mortis debito et diaboli solvit dominio. Qua enim iustitia id secundo ab homine exigeretur? Homo siquidem, qui debuit, homo qui solvit. Nam si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur sicut omnium peccata unus ille portavit, nec alter iam inveniatur, qui forefecit, alter qui satisfecit; quia caput et corpus unus est Christus. Satisfecit ergo caput pro membris, Christus pro visceribus suis quando iuxta Evangelium Pauli, quo convincitur mendacium Petri (sc. Abaelardi), mortuus pro nobis vivificavit nos sibi, donans nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus et potestates.“ [1])

2. *Quomodo* Christus maxime patiens ac moriens redemptionem nostram operatus sit.

Modus, quo passio Christi peccata nostra deleverit atque adeo nos redemerit, cum ex antecedentibus testimoniis iam satis clare cognoscatur, pauca de eo hic subiicere sufficiet. S. Thomas Christi passionem triplici modo causam esse remissionis peccatorum ostendit: „Primo quidem per modum *provocantis ad caritatem*, ut Apostolus dicit Rom. 5, 8: «Commendat Deus suam caritatem in nobis, quoniam cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.» Per caritatem autem consequimur veniam peccatorum secundum illud Luc. 7, 47: «Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.» Secundo passio Christi causat remissionem peccatorum per modum *redemptionis*. Quia enim ipse est caput nostrum, per passionem suam, quam ex caritate et obedientia sustinuit, liberavit nos tamquam membra sua a peccatis, quasi per pretium suae passionis, sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se a peccato, quod pedibus commisisset. Sicut enim naturale corpus est unum ex diversitate membrorum consistens, ita tota ecclesia, quae est mysticum corpus Christi, computatur quasi una persona cum suo capite, quod est Christus. Tertio per modum *efficientiae*,

---

[1]) Bernard. De error. Abaelardi 5 sq.

inquantum caro, secundum quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum divinitatis, ex quo eius passiones et actiones operantur in virtute divina ad expellendum peccatum." [1]) — Trium autem horum modorum in hac nostra quaestione praecipuus est secundus, sc. causalitas per modum redemptionis. Modum vero hunc, quo Christi passio causa est nostrae salutis, sic distinctius explicat S. Thomas: „Passio Christi est causa reconciliationis nostrae ad Deum dupliciter: Uno modo inquantum removet peccatum, per quod homines constituuntur inimici Dei secundum illud Sap. 14, 9: «Similiter odio sunt Deo impius et impietas eius», et Ps. 5, 7: «Odisti omnes qui operantur iniquitatem.» Alio modo inquantum est sacrificium Deo acceptissimum. Est enim hoc proprie sacrificii effectus ut per ipsum placetur Deus, sicut etiam homo offensam in se commissam remittit propter aliquod obsequium acceptum, quod ei exhibetur. Unde dicitur 1 Reg. 26, 19: «Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium.» Et similiter tantum bonum fuit, quod Christus voluntarie passus est, quod propter hoc bonum in humana natura inventum Deus placatus est super omni offensa generis humani, quantum ad eos, qui Christo passo coniunguntur secundum modum praemissum." [2])

Quod si accuratius quaeratur, a quanam re per Christi passionem redimamur, respondendum erit: a duplice *servitute:* a servitute sc. *peccati* seu daemonis et *poenae.* De qua servitute audiatur iterum S. Thomas: „Per peccatum dupliciter homo obligatus erat: Primo quidem servitute *peccati,* quia «qui facit peccatum, servus est peccati» (Ioan. 8, 34); et: «a quo quis superatus est, huius et servus est» (2 Petr. 2, 19); quia igitur diabolus hominem superaverat, inducendo eum ad peccatum, homo servituti diaboli addictus erat. Secundo quantum ad reatum *poenae,* quo homo erat obligatus secundum Dei iustitiam; et hoc etiam est servitus quaedam: ad servitutem enim pertinet, quod aliquis patiatur, quod non vult, cum liberi hominis sit uti seipso ut vult. — Quia igitur passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccato et reatu poenae generis humani, eius passio fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab utraque obligatione. Nam ipsa satisfactio, qua quis satisfacit sive pro se sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum vel alium redimit a peccato et a poena secundum illud: «Peccata tua eleemosynis redime» (Dan. 4, 24). Christus autem satisfecit non quidem pecuniam dando aut aliquid huiusmodi, sed dando id quod

---

1) S. Th. 3 q. 49 a. 1.
2) S. Th. l. c. a. 4.

fuit maximum, seipsum sc., pro nobis. Et ideo passio Christi dicitur esse nostra redemptio.“ [1])

De liberatione nostra speciatim a *daemonis* servitute haec distinctius idem habet S. Thomas: „Circa potestatem, quam diabolus in homines exercebat ante Christi passionem tria sunt consideranda: primum quidem ex parte *hominis*, qui suo peccato meruit, ut in potestatem traderetur diaboli, per cuius tentationem fuerat superatus; aliud autem est ex parte *Dei*, quem homo peccando offenderat, qui per suam iustitiam hominem reliquerat potestati diaboli; tertium est ex parte *diaboli*, qui sua nequissima voluntate hominem a consecutione salutis impediebat. Quantum ergo ad primum, homo est a potestate diaboli liberatus per passionem Christi, inquantum passio Christi est causa remissionis peccatorum; quantum autem ad secundum, dicendum quod passio Christi nos a potestate diaboli liberavit, inquantum nos Deo reconciliavit; quantum vero ad tertium, passio Christi nos a diabolo liberavit, inquantum in passione Christi excessit modum potestatis sibi traditae a Deo, machinando in mortem Christi, qui non habebat meritum mortis, cum esset absque peccato: unde Augustinus dicit (De Trin. 13): «Iustitia Christi victus est diabolus, quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen; et utique iustum est, ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine ullo debito occidit.»“ [2]) — Quodsi quis opponat, etiam *post* Christum passum diabolo potestatem esse tentandi homines, S. Thomas respondet: „Diabolus etiam nunc potest quidem Deo permittente homines tentare quantum ad animam et vexare quantum ad corpus: sed tamen praeparatum est homini remedium ex passione Christi, quo se potest tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis aeternae; et quicunque ante passionem Christi diabolo resistebant, per fidem passionis Christi hoc facere poterant, licet passione Christi nondum peracta; quantum autem ad aliquid, nullus poterat diaboli manus evadere, ut sc. non descenderet in infernum, a quo post passionem Christi se possunt homines eius virtute tueri.“ [3])

Si quaeratur, *cui* Christus satisfecerit, respondetur: *Deo*. Quamvis enim Patres aliqui per anthropomorphismum quendam asserere videantur pretium a Christum solutum fuisse *diabolo*, „quia redemptio requirebatur ad hominis liberationem per respectum ad Deum, non autem per respectum ad diabolum, non erat pretium solvendum diabolo, sed Deo; et ideo Christus sanguinem suum, qui est pretium

[1]) S. Th. 3 q. 48 a. 4.
[2]) S. Th. 3 q. 49 a. 2.
[3]) S. Th. l. c. ad 2.

nostrae redemptionis, non dicitur obtulisse diabolo, sed Deo." [1]) — Deus vero intelligitur tota *Trinitas.* „Quid est mediatorem esse inter Deum et homines? Non inter Patrem et homines, sed inter Deum et homines. Quid est Deus? Pater et Filius et Spiritus Sanctus . . . Inter illam Trinitatem et hominum infirmitatem et iniquitatem mediator factus est." [2]) Quodsi satisfactio Patri exhibetur praestita, id per appropriationem intelligendum est. Christus igitur homo etiam *sibi ipsi,* prouti Deus est, dicendus est satisfecisse.

Ad intelligendum vero, quomodo *innocens* pro *reis* puniri atque adeo satisfacere potuerit, animadvertendum est: Christum non fuisse proprie punitum, cum satisfactiones ab eo praestitae in ipso non haberent rationem formalem poenae; Christum porro ad illas subeundas non fuisse coactum, sed voluntarie prorsus ac libere eas in se suscepisse; Christum tandem hominem a Deo potestatem accepisse, ut hominum malitia usus se iis interficiendum traderet.

Quomodo demum *Christus* patiens et moriens pro nobis atque adeo pro *aliis* potuerit satisfacere, sic patet: „Caput et membra sunt quasi una persona mystica et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra; inquantum etiam duo homines sunt unum in caritate, unus pro alio satisfacere potest." [3])

SCHOLION. Ad opus redemptionis nostrae tota Christi vita omnesque eius actiones concurrunt. Eminent tamen ipsa ratione redemptionis proprie dictae in actionibus illis Christi *passio* et *resurrectio,* quatenus iis veluti solemnis pretii solutio et de peccato victoria continetur. Qui vero hac in causa sit inter ipsam Christi passionem et resurrectionem nexus, sic explicat S. Bonaventura: „Nostra iustificatio attribuitur tam passioni quam resurrectioni, sicut habetur in textu et Glossa in pluribus locis. Unde super illud ad Romanos (4, 25): «Mortuus est propter nostra delicta etc.» dicitur: Utraque, scilicet mors et resurrectio Christi, delicta nostra tollunt et utraque iustificant. Attamen neutri, id est, nec resurrectioni nec passioni, attribui potest proprie causalitas iustificationis sive deletio culpae, quia non invenitur ibi proprie aliquod genus causae, sicut in opponendo ostensum est. Habent tamen nihilominus aliquam causalitatem in hoc, quod habent aliquam causae proprietatem. Attribuitur enim his iustificatio nostra 1. per modum meriti intervenientis, quod quidem habet dispositionis rationem, et reduci habet ad causam materialem; 2. per modum exempli provocantis et excitantis, quod quidem habet reduci ad causam moventem et efficientem; 3. per modum exemplaris regulantis, quod quidem habet reduci ad causam formalem; 4. per modum termini quietantis, quod quidem habet reduci ad causam finalem. Et ita his duobus attribuitur iustificatio secundum proprietatem cuiuslibet generis causae. —

---

[1]) S. Th. 3 q. 48 a. 4 ad 3.
[2]) Augustin. In Ps. 29 en. 2, 1.
[3]) S. Th. l. c. a. 2 ad 1.

Attamen ratio merendi iustificationem attribuitur soli passioni, non resurrectioni; ratio vero terminandi et quietandi attribuitur soli resurrectioni, ad quam ordinatur iustificatio, non passioni. Duo vero intermedia, scilicet excitatio et regulatio, attribuuntur utrique. Nam passio excitat nos ad Dei dilectionem et ulterius insinuat nobis, qualiter mori debeamus peccatis, et ita est exemplum provocans et exemplar regulans; et quod sit exemplum, habetur ex prima Petri (2, 21): «Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum»; quod sit exemplar, habetur ad Romanos (6, 5): «Si complantati sumus similitudini mortis ipsius etc.» Similiter et resurrectio habet exemplum provocans et exemplar dirigens; provocat enim nos ad iustitiam, per quam acquirimus illam gloriam quam credimus Christum habuisse in sua resurrectione, ut talia sint corpora nostra quale Christus in sua resurrectione monstravit, sicut dicitur in quadam Glossa; dirigit etiam nos, dum ad eius exemplar conamur ambulare in novitate vitae; iuxta illud quod dicitur ad Romanos (6, 4): «quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.» Et sic tam passio quam resurrectio habet rationem excitantis et regulantis respectu nostrae iustificationis secundum duo, quae in nostra iustificatione habent considerari, scilicet ablatio mali et collatio boni. Ablatio mali appropriatur ipsi passioni, collatio vero boni ipsi resurrectioni. Et hoc est, quod dicitur in Glossa: Traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram. Mors Christi sola interitum vitae veteris significat, et in resurrectione sola nova vita significatur. Ex his ergo, quae dicta sunt, patet responsio ad quaestionem supra propositam, videlicet qualiter nostra iustificatio sive deletio culpae sit a passione Christi: est enim ab ea per modum meriti et per modum exemplaris et signi. Patet etiam, qualiter sit a resurrectione.“ [1])

[1]) S. Bonav. 3 dist. 19 c. 1 q. 1. — „Der Gedanke, dass die Auferstehung die objektive Vollendung der Erlösung bilde, ist ein eminent katholischer und spricht sich thatsächlich in der Feier des Auferstehungstages Christi als des eigentlichen Erlösungsfestes aus. Er ist zugleich ein spezifisch katholischer gegenüber dem orthodoxen Protestantismus, der seine Anschauung von der Erlösung ebenso thatsächlich in der festlichen Feier des *Karfreitags* bekundet. Da es nämlich diesem Protestantismus bei der Erlösung an erster Stelle auf die Imputation der Gerechtigkeit Christi zur Zudeckung der Sünde ankommt oder auf eine Rechtfertigung, welche, im formellsten Gegensatze zum Apostel, mit der Auferstehung Christi zu neuem, verklärtem Leben nichts zu thun hat: so musste er die vollendete Erlösung schon am Karfreitage festlich begehen, um so mehr, da ihm auch die büssende Teilnahme der Gläubigen am Leiden Christi fremd ist. Im extremen Gegensatze zum gläubigen Protestantismus liessen dagegen die Sozinianer die Erlösungsthat Christi erst mit der Auferstehung, infolge deren er als fürbittender Priester vor Gott erscheine, beginnen, während sie dem Leidenstode Christi nur die Bedeutung beilegten, dass er die Auferstehung und Erlösung Christi als deren Verdienst bedinge, für uns ein Vorbild der Tugendübung sei und uns deren Wert vor Gott verbürge, und so antecedenter (als Vorbedingung), declarative (als Unterpfand des Willens Gottes) und exemplariter (als Vorbild unserer Rechtfertigung) die Nachlassung der Sünde herbeiführe. Nach katholischer Lehre verhält sich die Sache eher umgekehrt, indem diese Ausdrücke sich gerade für die spezifische Bedeutung der Auferstehung Christi für die Erlösung gebrauchen lassen.“ (Scheeben, Dogm. 3 n. 1281.)

Thesis 29.

Satisfactio a Christo praestita fuit condigna, superabundans, infinita, plena secundum rigorem iustitiae.

In thesi praecedente abunde probatum est redemptionem nostram a Christo factam fuisse per satisfactionem proprie dictam. Iam sequitur, ut de satisfactionis huius dicatur *quantitate*.

De hoc valore satisfactionis a Christo exhibitae et, siquidem eadem est hac in re causa satisfactionis et meriti, valore meriti, quod Christus acquisivit, aliqua est theologorum controversia. Nominales enim imprimis et, ut videtur, Scotus existimant, Christi satisfactionem, quamvis ut sufficiens a Deo fuerit acceptata, tamen ex se non fuisse condignam ad peccata omnia delenda. Sententia contra communissima tenet Christi satisfactionem, quamvis ad efficaciam in actu secundo habendam acceptari debuerit, iam ex se prorsus condignam fuisse, tantam sc. in compensando, quantum erat peccatum in offendendo, imo non solum condignam, sed superabundantem, imo plane infinitam. Sunt porro, qui admittentes, uti oportet, veram satisfactionem a Christo pro nobis praestitam eamque infiniti valoris tamen censent, iustitiam strictam seu rigorosam ibi locum non habere, quia nimirum vel generatim talis coram Deo esse nequeat iustitia vel speciatim in Christi satisfactione desint, quae ad talem iustitiam requirantur: in priori sententia sunt Vasquez, Lugo, Molina; in altera Mastrius aliique. Sententia contra communior tenet Christi satisfactionem fuisse et secundum iustitiam proprie dictam et secundum rigorem iustitiae. Nostram faciemus et illam sententiam communissimam et hanc communiorem.

DEMONSTRATUR: **1.** Christi satisfactio in se erat *condigna*.

Passio et sanguis Christi in Scriptura exhibetur pretium (τιμή), quo sumus redempti, imo pretium magnum (1 Cor. 6, 20; 7, 23); in ratione porro valoris dicitur sanguis pretiosus ita ut opponatur „corruptibilibus, auro vel argento“ (1 Petr. 1, 18 sq.); denique in oppositione ad sacrificia Veteris Testamenti, „quae nunquam possunt auferre peccata“, unde „indesinenter“ offerebantur, Christus „una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos“ (Hebr. 10, 1 sq.). — Ergo in ipsa Christi satisfactione dignitas est sufficiens ad peccata omnia delenda.

Quodsi a Nominalibus et Scotistis aliquibus obiiciatur valorem satisfactionis et meriti a Dei pendere *acceptatione*, respondendum est: valorem i. e. dignitatem operis et proportionem ad praemii retributionem et compensationem iniuriae illatae pendere tum ab opere tum a Dei acceptatione: ab opere scilicet, i. e. imprimis ab ipsius

operantis dignitate, deinde etiam a dignitate rei oblatae pendet valor *internus* atque in *actu primo*, ab acceptatione divina vero quatenus, supposita illa interna dignitate, ut *in actu secundo* opus fiat meritorium et satisfactorium, cum nulla sit Dei erga creaturam peccatricem stricta obligatio, et a Christo ad praemium satisfactionemque oporteat ordinetur et a Deo acceptetur.

2. Christi satisfactio erat *superabundans*.

Paulus ut excellentiam redemptionis nostrae per Christum factae extollat, ostendit Christi satisfactionem vi sua excedere Adami peccatum, tum quia non solum hoc uno peccato delendo par erat, sed etiam omnibus aliis peccatis, tum quia illa redemptione amplior nobis data est gratia quam amissa est per Adamum: „Non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum; nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum.“ (Rom. 5, 15 sq.)

Rationem porro internam huius valoris superabundantis meritorum Christi sic exponit S. Thomas: „Ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id quod aeque vel magis diligit quam oderit offensam. Christus autem ex caritate et obedientia patiendo maius aliquid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis: primo quidem propter magnitudinem *caritatis*, ex qua patiebatur; secundo propter *dignitatem* vitae suae, quam pro satisfactione ponebat, quae erat vita Dei et hominis; tertio propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis, secundum illud 1 Ioan. 2, 2: «Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.»“ [1])

Ex dictis patet Christi satisfactionem comprehendisse idque abundanter tum omnia hominum et peccata et peccatorum poenas tum ipsos homines et omnes et singulos. Qua in re impie erraverunt Iansenistae docentes (prop. 5 Iansenii): „Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.“ At de hac satisfactionis Christi extensione iam dictum est, ubi voluntatem Dei salvificam universalem esse demonstratum est. [2])

---

[1]) S. Th. 3 q. 48 a. 2.

[2]) Cf. tract. de Deo uno th. 22.

3. Christi satisfactio erat valoris *infiniti.*

Clemens VI, ut thesaurum meritorum in Ecclesia Christi esse probet infinitum, sic arguit: „Unigenitus Dei Filius . . . non corruptibilibus, auro et argento, sed sui ipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis et superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, ut sic sit *infinitus* thesaurus hominibus, quo qui usi sunt Dei amicitiae participes sunt effecti.“ [1])

Et re quidem vera: satisfactio Christi, tum si consideratur ex parte obiecti i. e. rei oblatae, siquidem haec est ipse Christus sese Patri offerens, tum maxime si consideratur, id quod praecipuum est, secundum dignitatem offerentis et satisfacientis, quae est persona divina, ex qua actuum omnium valor pendet, quamvis ut actus humanae naturae in physica sua entitate quid finitum, pretii est prorsus infiniti infinitaeque dignitatis moralis.

Quodsi quaeratur, cur, quandoquidem omnis Christi actio tanti est valoris et sanguinis eius „una stilla salvum facere totum mundum quit ab omni scelere“ [2]), soli tamen Christi *morti* redemptio nostra tribuatur, sic respondet Angelicus: „Si loquamur de redemptione humani generis quantum ad quantitatem pretii, sic quaelibet passio Christi etiam sine morte suffecisset ad redemptionem humani generis propter infinitam dignitatem personae. Si autem loquamur quantum ad deputationem pretii, sic respondendum est, quod non sunt deputatae ad redemptionem humani generis a Deo Patre et Christo aliae passiones absque morte . . . Ideo humanum genus non est redemptum per aliam passionem absque morte.“ [3]) — Ratio vero, cur non uno actu, sed tota sua vita ac maxime passione et morte Christus nos voluerit redimere, est, ut et suam in nos infinitam ostendat caritatem et peccatorum nostrorum clarius probet atrocitatem et omnium virtutum nobis exempla demonstret. „Ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi . . . Tunc dixi: Ecce venio . . . in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel“ (Hebr. 10, 5 sq.).

---

[1]) Extravag. com. l. 5 t. 9 c. 2.
[2]) Rhythmus S. Thomae ‚Adoro te‘.
[3]) S. Th. Quodl. 2 a. 2.

4. Christi satisfactio et secundum *iustitiam* proprie dictam erat imo et secundum *rigorem* iustitiae.

1. Deo ad creaturas suas competere *iustitiam*, non quidem commutativam, quae in mutua datione et acceptione consistit, sed distributivam, secundum quam aliquis gubernator dat unicuique secundum opera sua, manifestum est.[1]) Liquet etiam tali iustitiae lege Deum non constitui dependentem ab alio, sed debitorem esse tantum sui ipsius, quatenus ipse voluit, ut operibus nostris esset retributio aliqua, et voluntas eius recta et iusta est. Probatum praeterea est alibi[2]) operibus hominum iustorum vere inesse meriti rationem proprie dicti, ita ut iis ius sit ad remunerationem a Deo accipiendam. Atqui si generatim iustis omnibus tale competit prae Deo ius, hoc certo ius patet esse insigni prorsus ratione Christi, in quo, quae ad illud ius constituendum exiguntur, actionum sc. bonitas, libertas, gratia, perfectissimo quo possunt modo reperiuntur. Neque illud obstat, quod in Christo unus idemque videtur esse qui satisfaciat et cui satisfiat: nam inter eum cui satisfactio exhibetur et satisfacientem debet quidem esse aliqua distinctio, sed distinctio secundum naturam atque adeo personam moralem, quia necessario alia natura est, cuius excellentia laesa satisfactionem postulat, et alia, cuius obsequio haec satisfactio praestatur; minime vero requiritur, nec etiam sufficit distinctio personae physicae. Iam vero distinctio illa naturarum in Christo locum habuit; quocirca secundum naturam suam humanam ipse sibi ipsi secundum divinam naturam, quam unam eandemque habet cum Patre et Spiritu Sancto, satisfactionem exhibere poterat.[3])

2. Christus non solum secundum iustitiam Deo satisfecit, verum etiam secundum *rigorem* iustitiae. Ut meritum et satisfactio sit secundum rigorem iustitiae, non quidem requiritur, ut nulla intercedat necessitas acceptationis ex parte Dei, quae quidem acceptatio abesse non potest, ubi agitur de merito ipsius Filii Dei, verumtamen exigitur non solum ut opus sit condignum seu moralis aequalitas sit inter valorem internum operis et eius mercedem, sed praeterea ut in eius acceptatione nulla intercedat liberalitas; atque adeo praeter operis condignitatem exigitur, ut satisfactio praestetur ex bonis propriis, ut praestetur ex iis bonis, quae non

---

[1]) Cf. tract. de Deo uno th. 19.

[2]) Cf. tract. de Gratia th. 32.

[3]) Ut satisfactio secundum iustitiam defendatur, minime opus est ut dicatur cum aliquibus, v. g. Vasquez, Christum hominem uti divinitate plenum, vel cum Beruyer, Christum secundum naturam suam humanam Filium Dei naturalem satisfaciendi fuisse principium quod; quae ceteroquin sententiae Nestorianismum non satis effugiunt.

iam aliunde sunt debita, ut qui satisfacit non pro alienis, sed pro seipso satisfaciat. Iamvero huiusmodi est satisfactio a Christo praestita. Et sane: Opus satisfactorium non solum exaequavit, sed longe superavit iniuriam Deo ab hominibus illatam. Porro actus sunt proprii Christi ac maxime liberi, neque ipsi principium merendi ex gratia factum esse dici potest, quamvis in natura, per quam mereatur, sit gratia; actus Christi, cum infiniti sint valoris, qui titulis omnibus ac diversissimis debitis plane satisfaciant pares sunt; non pro alienis operatus est Christus, sed pro suis. „Membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius" (Eph. 5, 30). „Crucifixi itaque cum eo fuimus, quo tempore caro eius crucifixa est, quae universam quodammodo in se naturam continebat, sicut etiam in Adam, quando maledictionem ipse incurrit, natura universa maledictionis morbum contraxit." [1]) Ergo Christus secundum rigorem iustitiae satisfecisse dicendus est. [2])

SCHOLION. Christi satisfactio *homines* spectat eosque *solos*. Nihilominus aliquo sensu etiam *angelos*, imo *omnia* per ipsum instaurata fuisse cum Paulo apostolo admitti debet. Quod quomodo intelligendum sit, sic explicat Augustinus: „Non pro angelis Christus mortuus est. Sed ideo etiam pro angelis fit quidquid hominum per eius mortem redimitur et liberatur a malo, quoniam cum eis quodam modo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione ruinae illius detrimenta reparantur. Et utique noverunt angeli sancti docti de Deo, cuius veritatis aeterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis exspectet. Propter hoc ait Apostolus (Eph. 1, 10): «instaurari omnia in Christo, quae in coelis sunt et quae in terris in ipso». Instaurantur quippe quae in coelis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est ex hominibus redditur; instaurantur autem quae in terris sunt, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt ad aeternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur. Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo Mediator est immolatus, quod unum multae in lege victimae figurabant, pacificantur coelestia cum terrestribus et terrestria cum coelestibus; quoniam sicut idem Apostolus dicit (Col. 1, 19 sq.), «in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sunt sive quae in coelis»." [3])

---

[1]) Cyrill. Alex. in Rom. 6, 6.

[2]) Cf. de tota hac quaestione fuse tractantem *Doerholt*, Die Lehre von der Genugthuung Christi, 3. Abschnitt.

[3]) Augustin. Enchir. 61 sq.

Thesis 30.

Christus et generatim meruit et speciatim sibi meruit gloriam corporis nominisque exaltationem, nobis vero omnes gratias.

De merito Christi eadem fere est quaestio eaedemque sunt theologorum controversiae quae in thesi antecedente de satisfactione agebantur; tum quia eaedem Christi actiones et satisfactoriae sunt et meritoriae, tum quia meriti et satisfactionis eaedem sunt conditiones. Meritum videlicet est valor operis ad praemium exigendum. Requiritur in opere ipso libertas, bonitas, supernaturalitas, et, ut sit meritum in actu secundo, acceptatio ad retributionem. Meritum alterum est de congruo, alterum de condigno, idque vel simpliciter vel secundum rigorem iustitiae.[1]) Meritum a satisfactione differt eo, quod meritum ordinem ad praemium significat, satisfactio ad honoris laesi reparationem, quod meritum a bonitate operis maxime pendet, satisfactio a difficultate seu poenalitate. Quae diximus de Christi satisfactione, valent etiam de eius merito. Superest solum ut et *generatim* probemus Christi actionibus inesse rationem meriti, et *speciatim* de bonis quae meruit quaeramus.

DEMONSTRATUR: **1.** Christi actionibus *generatim* competit, ut fuerint *meritoriae.*

In Christi actionibus omnes meriti conditiones adimplentur: erant sc. actus liberi, honesti, ex gratia eaque infinita facti, denique, ut per se patet et ex sequentibus manifestum erit, a Deo ad praemium accepti. Christus porro meruit omnibus actionibus, quas posuit in statu viatoris, atque adeo a primo instante vitae suae mortalis usque ad consummationem in cruce factam: „Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi . . . Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam . . . Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos“ (Hebr. 10, 5 sq.). Christi meritum non secus ac eius satisfactio in se ipso infinitum erat, quia opera eius ex personae cuius erant infinitate dignitatem infinitam habuerunt; unde Cyrillus Alexandrinus opus Christi vocat ἀντάλλαγμα πάντων ἀντάξιον.

2. Christus et *sibi* et *nobis meruit.*

1. *Sibi* mereri Christus sane non poterat, quae necessario vi unionis hypostaticae habebat, uti gratiam et beatitudinem; poterat tamen mereri ea, quibus propter oeconomiam nostrae salutis libere

---

[1]) Cf. tract. de Gratia th. 31.

renuntiaverat, gloriam, impassibilitatem, immortalitatem corporis, nominis exaltationem, dominium super omnes creaturas etc. Quod quidem quam fuerit congruum, sic ostendit S. Thomas: „Meritum importat quandam aequalitatem iustitiae: unde et Apostolus dicit (Rom. 4, 4), quod «ei qui operatur, merces imputatur secundum debitum». Cum autem aliquis ex sua iniusta voluntate sibi attribuit plus, quam sibi debeatur, iustum est ut diminuatur etiam quantum ad id quod sibi debebatur; sicut cum furatur quis unam ovem, reddet quatuor, ut dicitur Exod. 22, 1. Et hoc dicitur mereri, inquantum per hoc punitur eius iniqua voluntas. Ita etiam cum aliquis sibi ex iusta voluntate subtrahit, quod debebat habere, meretur ut sibi amplius superaddatur quasi merces iustae voluntatis. Et inde est, quod, sicut dicitur Luc. 14, 11, «qui se humiliat, exaltabitur». Christus autem in sua passione seipsum humiliavit infra suam dignitatem quantum ad quatuor: Primo quidem quantum ad passionem et mortem, cuius debitor non erat. Secundo quantum ad locum, quia corpus eius positum est in sepulcro et anima in inferno. Tertio quantum ad confusionem et opprobria, quae sustinuit. Quarto quantum ad hoc, quod traditus est humanae potestati . . . Et ideo per suam passionem meruit exaltationem quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad resurrectionem gloriosam; unde dicitur in Ps. 138, 1: «Tu cognovisti sessionem meam», i. e. humilitatem meae passionis, «et resurrectionem meam». Secundo quantum ad ascensionem in coelum; unde dicitur Eph. 4, 9: «Descendit primum in inferiores partes terrae: qui autem descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes coelos.» Tertio quantum ad consessum paternae dexterae et manifestationem divinitatis ipsius, secundum illud Is. 52, 13 sq.: «Exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde, sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius»; et Philipp. 2, 8 dicitur: «Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen», ut scilicet ab omnibus nominetur Deus et omnes ei reverentiam exhibeant sicut Deo; et hoc est quod subditur: «Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum.» Quarto quantum ad iudiciariam potestatem; dicitur enim Iob 36, 17: «Causa tua quasi impii iudicata est, causam iudiciumque recipies.»“ [1])

2. Christus *nobis* gratias meruit.

Quamvis generatim homines de condigno mereri non possint nisi pro se ipsis, non vero alii pro aliis: Christi tamen hac in re causa longe alia est, quia ipse, *caput* Ecclesiae cum sit, virtutem

[1]) S. Th. 3 q. 49 a. 6.

habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae. „In Christo non solum fuit gratia sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiae, cui omnes uniuntur sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice una persona: et exinde est, quod meritum Christi se extendit ad alios inquantum sunt membra eius; sicut etiam in uno homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra eius, quia non solum sibi sentit, sed omnibus membris." [1])

Esse Christi in nos meritum et quidem omnium simpliciter gratiarum ab Apostolo clare significatur, cum Christi meritum demerito Adami opponit: „Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae" (Rom. 5, 18). Christus ipse id docet, cum dicit: „Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere" (Ioan. 15, 5). Quae verba Concilium Arausicanum II (c. 24) et Tridentinum (Sess. 6 c. 16) sic interpretantur: „Cum ille ipse Iesus Christus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos sanctificatos virtutem iugiter influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent, nihil iustificatis amplius deesse credendum est . . ." Idem porro Concilium Tridentinum (Sess. 6 c. 7) Christum diserte vocat iustificationis nostrae causam meritoriam, „qui sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit". Itaque Christus nobis meruit remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem, praedestinationem, omne denique genus gratiarum. [2])

SCHOLION. Christi satisfactio ac meritum, quamvis infiniti sint valoris, non tamen *nostram* in negotio salutis nostrae cooperationem vel merita ac satisfactiones nostras excludunt, sed imo sibi subiungi postulant. Quod quidem in disputatione de iustificatione ac operum bonorum nostrorum necessitate et merito fusius probatur. Manet tamen, nec unquam satis poterit urgeri quod habet Concilium Tridentinum (Sess. 6 c. 16): „Neque vero ita nostra est satisfactio haec quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam ut ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo autem cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo Iesu est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos poenitentiae,

---

[1]) S. Th. 3 q. 19 a. 4.

[2]) Quaeritur a theologis, utrum Christus etiam *angelis* et *protoparentibus* ante lapsum existimandus sit gratiam meruisse. Quae quaestio cum illa alia nectitur, utrum Deus homo factus fuisset, si homo non peccasset, de qua cf. th. 1, et quo sensu Christus sit caput angelorum, de qua re cf. th. 8 huius tractatus.

qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre."

Thesis 31.

Christus sacerdos se ipsum in cruce hostiam obtulit.

Nostram cum Deo reconciliationem per mortem Christi mediatoris completam esse probavimus. Superest ut ostendatur, hanc Christi mortem habere rationem veri ac proprie dicti *sacrificii*, Christumque ipsum huius sacrificii esse et *sacerdotem*[1]) et *victimam*. Priusquam vero ad rem ipsam veniamus, necesse est, ut aliqua de sacrificii *notione* praemittantur.

Ex vocis imprimis *etymologia* sacrificium *sacram actionem* significat.[2]) In *usu*, qui huius vocis tum apud Gentiles tum praesertim in sacris Litteris obtinuit, dupliciter usurpatur. Primo quidem latius pro *opere quocumque bono quod ad Dei cultum refertur*, seu, ut ait Augustinus[3]), „quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo"; siquidem hoc ipsum quod Deo quadam spirituali societate volumus inhaerere, ad divinam reverentiam pertinet. Altera vero significatio, est ea, qua ab omnibus aliis operibus bonis contradistinguitur (ut diserte fit in illo Osee 6, 6: „Misericordiam volui et non sacrificium") atque consistit in *actione peculiari*, qua Deo *offertur res aliqua sensibilis*. Utroque sensu acceptum sacrificium ad virtutem *religionis* spectat: priore sensu est actus, quem religio *imperat* mediantibus aliis virtutibus, altero sensu actus est, quem ipsa *elicit*. Altera haec significatio vocis in usu loquendi ita est communis ac frequens, ut semper intelligatur nisi prior probetur, ideoque *propria* sit dicenda.[4]) Atque de sacrificio hoc sensu accepto accuratius est agendum. Ac primo quidem de significatione sacrificii, deinde de actione externa, tum de institutione, denique de divisione.

---

[1]) De Christo *sacerdote* ab aliis tractari solet in speciali aliqua de Christi *muneribus* disputatione. Dicuntur vero munera Christi ea, ad quae exercenda a Patre missus est. Munus porro Christi distinguitur triplex: propheticum, regium, sacerdotale; quod quidem triplex munus ipso iam nomine Christi, i. e. uncti, indicatur, siquidem in V. T. prophetae, reges, sacerdotes ungi consueverunt. Iamvero, cum de Christo propheta et de Christo rege satis iam a nobis in superioribus actum sit, cumque de Christo sacerdote aptissimum videatur tractari in hoc loco, ubi de eius sacrificio dicitur, non est quod speciatim de Christi muneribus disseramus.

[2]) Vox hebraica זֶבַח mactationem significat; graecum θυσία derivatur vel a θύειν, mactare, vel a θυμίασις, exhalatio fumi qui ex combustione gignitur.

[3]) Augustin. De civ. Dei 10, 6.

[4]) Augustinus sacrificium priore sensu acceptum *verum* appellans, non intelligit, *proprio* sensu illud sacrificium vocari, sed quemadmodum ipse de „vite vera" exponit, ut discernat a sacrificio quod spiritu non informetur.

1. Sacrificium est in genere *signi.* „Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, i. e. sacrum signum est.“ [1]) „Significat autem sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo *anima se ipsam offert Deo*, quia exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem se offert Deo in sacrificium sicut principio suae creationis et sicut fini suae beatificationis.“ [2]) Significatio vero haec in quolibet sacrificio est illud quod maxime attendi oportet. „In oblatione sacrificii non pensatur pretium occisi pecoris, sed significatio, qua hoc fit in honorem summi Rectoris totius universi.“ [3])

Imprimis igitur ipsa *anima* nostra sacrificiis significatur Deo offerri; atque hoc principale est sacrificium. Possunt tamen et alia hominis bona Deo offerri: „bonum corporis, quod Deo quodammodo offertur per martyrium et abstinentiam seu continentiam; bonum exteriorum rerum, de quo sacrificium offertur Deo, directe quidem quando immediate res nostras Deo offerimus, mediate autem quando eas communicamus proximis propter Deum“. [4])

Atque haec quidem sacrificii significatio, oblatio sc. hominis ad Deum, *omni* sacrificio necessario inest. Quodsi hypothesis fiat *elevationis* ad finem supernaturalem, qualis facta est, sicut omnem Dei cultum ita etiam sacrificia patet induere oportere affectum ad Deum *filialem*, qui maxime ad coniunctionem cum Deo tendit intimam sanctamque societatem: unde cum solum filiorum sit et amicorum ad mensam domini admitti, in hac hypothesi sacrificia aptissime praeseferunt ordinem victimae oblatae ad *manducationem*. In hypothesi porro *peccati*, cum cultus Deo exhibendus necessario coniunctus sit cum affectu ad reparationem honoris laesi atque dolore de peccato admisso, manifestum est sacrificia saltem aliqua debere esse eiusmodi, ut affectum hunc aliquo modo exprimant.

In omni sacrificio audivimus rem sensibilem Deo offerri. Iam vero videtur quidem haec res posse offerri etiam propter se ipsam, prouti sc. est aliquod bonum nostrum; offertur vero praecipue prout nostri ipsorum habet rationem *vicariam*. Quam porro substitutionis rationem cum V. T. sacrificiis tum reliquis tum maxime quae pro *peccatis* offerebantur intime fuisse nexam manifestum est. Clare praeprimis ea elucet in ariete illo oblato pro Isaac (Gen. 22), in caeremonia impositionis manuum in caput victimae (Exod. 29; Lev. 1) et hirci emissarii (Lev. 16), verbis disertis declaratur Lev. 17, 11:

---

[1]) Augustin. l. c. 5.
[2]) S. Th. 2, 2 q. 85 a. 2.
[3]) S. Th. l. c. ad 2.
[4]) S. Th. l. c. a. 3 ad 2.

„Quia anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit." Qua de re Eusebius: „Cum nihil (homines) praestantius aut pretiosius anima sua haberent quod dicarent, pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant, pro sua anima sacrificia suae vitae vicaria offerentes." [1]) Et S. Thomas: „Per occisionem animalium significatur destructio peccatorum, et quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur ad significandam expiationem peccatorum." [2])

Ex hac denique sacrificii significatione manifestum est *soli Deo* sacrificium offerri posse, ideoque esse illud actum *latriae*. Nam „secundum veram fidem solus Deus est creator animarum nostrarum; in solo etiam eo animae nostrae beatitudo consistit. Et ideo sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam soli ei debemus offerre exteriora sacrificia .... Hoc etiam videmus in omni republica observari quod summum rectorem aliquo signo singulari honorant, quod cuicumque alteri deferretur, esset crimen laesae maiestatis. Et ideo in lege divina statuitur poena mortis his qui divinum honorem aliis exhibent." [3]) Qua de re ita scribit Augustinus: „Sacrificium certe nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Deo ... quis vero sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum aut scivit aut putavit aut finxit?" [4]) Et idem: „Martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia non constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tamquam sanctorum hominum Dei ... Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre vel Paule vel Cypriane?" [5])

Ex hactenus dictis significationem, quae sacrificiis inest, quadruplicem esse patet. „Maxime obligatur homo Deo propter eius maiestatem, secundo propter offensam commissam, tertio propter beneficia iam suscepta, quarto propter beneficia sperata." [6]) Hinc distinguuntur: sacrificium *latreuticum*, *propitiatorium*, *eucharisticum*, *impetratorium*.

2. Iam declaretur oportet, *ritus* ille externus, quo fit sacrificium,

---

[1]) Euseb. Dem. evang. 1, 10.
[2]) S. Th. 1, 2 q. 102 a. 3 ad 5.
[3]) S. Th. 2, 2 q. 85 a. 2.
[4]) Augustin. l. c. 4.
[5]) Augustin. l. c. 8, 27.
[6]) S. Th. 1, 2 q. 102 a. 3 ad 10.

cuiusmodi sit; atque in hac quaestione sunt in quibus theologi catholici conveniant, sunt in quibus dissentiant.

a. *Conveniunt* omnes, non qualemcunque oblationem Deo factam sacrificium proprio sensu vocari, sed rei oblatae exigi aliquam *immutationem*. „Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit; sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur et benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat; nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat; sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur." [1]) „Si aliquid exhibeatur in cultum divinum, quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debeat consumendum, et oblatio est et sacrificium. Si vero sic exhibeatur, ut integrum maneat divino culti deputandum vel in usus ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium." [2]) „Sacrificium proprie dictum tum maxime fit, cum a delecto ministro res aliqua externa ita divinae maiestati offertur, ut aliqua etiam ratione in Dei honorem conficiatur et immutetur." [3])

Animadvertendum vero est, sacrificii externi rationem non in eo poni, quod res quae immutatur et conficitur usurpetur quovis modo ad agnoscendam Dei excellentiam, secus enim multae actiones, e. g. genuflexio, sacrificia externa dici deberent, quae tamen sacrificia huius generis esse non censentur — sed in eo, quod mens atque intentio praecipua sit, *per ipsam proprie immutationem sive confectionem rei, quatenus est immutatio et confectio eius quod Dei dominio subiacet, protestari* Deum esse omnium dominum, eatenusque illi gloriam dare.

b. *Dissentiunt* theologi in quaestione, quid illud sit, quod circa rem oblatam, ut sit sacrificium, fieri debeat, seu qualis ac quanta eiusdem exigatur immutatio.

Plurimi, inter quos Vasquezius, Lugo, Franzelin aliique, docent rei oblatae intervenire debere aliquam *destructionem*. Atque hanc quidem destructionem exigunt, tum quia in omnibus proprie dictis sacrificiis, maxime quae erant Veteris Testamenti, locum habuisse ea videtur, in quibus sc. destruebantur viventia per occisionem, inanimata per combustionem vel effusionem [4]), tum etiam quo illa supremi Dei

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 85 a. 3 ad 3.

[2]) S. Th. 2, 2 q. 86 a. 1.

[3]) Gregor. de Val. 4 p. 1109.

[4]) „Wenn nicht die vorchristlichen Kulte und namentlich das Kreuzesopfer nötigen würden, die Destruktion als wesentlich für jedes eigentliche

dominii nostraeque ab eo dependentiae significatio atque honor Dei proprius luculentius exhibeatur. „De ratione sacrificii est, quod sit protestatio illius excellentiae divinae, qua dignus est, ut in ipsius cultum nostra vita destruatur, sive haec protestatio fiat per realem destructionem propriae vitae sive per destructionem alterius rei, per quam noster affectus explicetur, quando destructio propria non licet vel non expedit.“ [1]) — Attamen destructio, quae requiritur, non semper *physica* intelligitur hostiae corruptio, sed destructio *vel physica vel humana* seu moralis, „ita ut ex vi sacrificationis hostia prout est in termino illius actionis habeat statum aliquem *decliviorem* et saltem humano modo desierit“. [2]) — Quodsi porro contingat rem offerri in specie non propria, sed *aliena*, ita ut ipsa in se non appareat, hoc ipso, cum sacrificium sit in genere signi, sacrificii rationem in ritu externo satis volunt aliqui salvari, dummodo aliqua ratione destructio aequivalenter significetur; unde „quidquid speciem destructionis prae se fert, pro ipsa substantiali rei consumptione haberi potest et debet“. [3])

Alii contra, inter quos eminent Suarezius et Scheeben, immutationem, quae fieri debet in re oblata, non necessario in destructione ponendam esse existimant, sed in actione rem quomodocunque *consecrante*. „Quod quidam aiunt necessarium esse, ut haec actio talis sit, ut per eam res oblata interficiatur seu pereat, quamvis ita sit secundum frequentiorem usum . . . nihilominus tamen non fuit hoc ita perpetuum et necessarium, quin absque huiusmodi actione vel tanta immutatione interdum legamus sacrificium oblatum. (Provocatur ad sacrificium Melchisedech et panes propositionis.) . . . Semper tamen aliqua immutatio in re oblata reperietur . . . Haec eadem immutatio rei oblatae, quatenus fit ex institutione divina et ad divinam excellentiam significandam, consecratio dicitur, quia ut sic est quid sacrum; unde per eam sacratur seu sacra efficitur res illa quae sic immutatur. Ac denique haec eadem sacra immutatio, quatenus in Dei cultum et honorem fit, est ipsamet oblatio sacrificativa, quia per eam res oblata humanis usibus inepta redditur Deoque dicatur et in illius cultum transfertur.“ [4]) Imo addunt, in destructione ut tali non solum in praecipuis sacrificiis, ut in sacrificio incensi, non ponendam esse sacrificii rationem, sed in ipsis

---

Opfer festzuhalten, wahrlich, aus purer Liebhaberei wäre man nicht darauf gekommen, zumal für die Destruktionstheologen die Lehre vom heiligen Messopfer grosse Schwierigkeiten darbietet“ (Thalhofer, Liturg. 1 § 11).

[1]) Lugo, Disp. 19 sect. 4.

[2]) Lugo, l. c. sect. 5.

[3]) Billot, De Euch. de sacrif. missae § 1.

[4]) Suarez, Disp. 75 sect. 5.

etiam illis sacrificiis, in quibus, ut in mactationibus, destructio manifesta est, eam non tam ipsam actionem constituere sacrificam, sed ad hanc potius aliquam praeparationem ac dispositionem; sacrificam vero actionem ipsam semper in rei oblatae immutatione consistere tali, quae sit eiusdem *transformatio in melius.* [1])

Verum duae hae sententiae, quantumvis inter se videantur dissidere, aliqua tamen ratione, ni fallimur, componi poterunt. Videtur scilicet ad omne sacrificium requiri aliqua rei oblatae destructio vel physica vel moralis, sita saltem in eo, quod res oblata e nostro aufertur dominio atque usu nosque eam divinae cedimus maiestati, quae cessio praeterea necesse est ut actione aliqua exteriore ad eam exprimendam idonea significetur. Ut autem sit sacrificium, non sufficit huiusmodi sive destructio sive cessio ex parte nostra, sed Deo ut res oblata voveatur ac donetur oportet atque adeo consecretur; qua consecratione, quamvis per illam destructionem res per se ponatur in statu decliviore, in melius sane transformatur; et rursus oportet, ut haec quoque ad Deum translatio extrinsecus aliquo modo significetur eadem illa actione, qua e nostro tollitur dominio, cui quidem actioni significandae nulla videtur aptior destructione. Utrumque igitur existimanus ad actum sacrificii constituendum prorsus requiri, sc. rei oblatae et aliquam destructionem et consecrationem. Quodsi cui destructionis vox minus placuerit, cum veteribus consumptionem vel confectionem dicemus.

3. Aliquo sensu sacrificium est *de lege naturae*, i. e. hominis naturae consentaneum. „In qualibet aetate et apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Quod autem est apud omnes, videtur naturale esse. Ergo et oblatio sacrificiorum est de iure naturali .... Naturalis ratio dictat homini, quod alicui superiori subdatur propter defectus quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adiuvari et dirigi; et quidquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem, subiectionem et honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subiectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii.

---

[1]) Cf. Scheeben, Dogm. 5 § 270.

Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad ius naturale.“ [1]) Hinc patet nullam veram consistere posse religionem sine sacrificio et falsum esse quod dicit Chemnitius [2]), ex natura hominis corrupta et a Deo aversa sacrificia proficisci et sacrificandi instinctum.

Alio vero sensu sacrificium est signum *ad placitum.* Nam huiusmodi significatio non est naturalis tali actioni exteriori secundum se consideratae, v. g. occisioni vituli. Oportet ergo ut ex impositione illi conveniat; ad quam impositionem potest quidem ac debet in actibus ipsis externis esse aliqua proportio et analogia, quae dici potest fundamentum remotum huius significationis; proximum autem est ipsa impositio, sine qua nulla esset eiusmodi significatio.

Quaeritur, a *quo* haec impositio seu sacrificii institutio fieri debeat. Certum est, ex natura rei non requiri institutionem divinam (qualis requiritur in sacramentis utpote signis gratiam efficientibus), sed sufficere humanam; quia cum haec sit significatio ad placitum, potuerunt homines haec vel illa signa assumere ad hoc significandum. Verum dubitatur, utrum sacrificia valide institui possint *auctoritate privata*, an tantum *publica.* Manifestum est, sacrificium aliquod debere esse publicum ac sociale; societas enimvero non minus quam singuli homines ad Deum cultu externo colendum obligatur, hoc porro sacrificium nisi publica auctoritate institui non potest. At nullum prorsus sacrificium proprie dictum privata institui posse auctoritate, utpote quod necessario sit signum publicum, contra Vasquezium tenent Suarez, Lugo aliique. „Non potest, ita Lugo, reperiri vera et essentialis ratio sacrificii sine auctoritate publica illud instituente, quia sacrificium in sua essentia est signum humanum politicum et in ordine ad commercium humanum sicut voces.“ [3])

Hinc sponte consequitur, sacrificium proprie dictum nunquam, multo vero minus si specialis Dei ordinatio interveniat, nisi a legitimo offerri posse *ministro.* Ministri hi sacrificiorum vocantur *sacerdotes.* Unde „sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit.“ [4]) Ministri porro legitimi in lege naturae erant capita familiarum, in lege scripta soli filii Aaron, in lege gratiae soli presbyteri qui rite ordinati sunt ad sacrificia offerenda. „Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis . . . Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron“ (Hebr. 5, 1 sq.).

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 85 a. 1.
[2]) Chemnit. Exam. Conc. Trid. 2.
[3]) Lugo, l. c.
[4]) Conc. Trid. Sess. 23 cap. 1.

His omnibus positis intelligitur communis sacrificii definitio, qua dicitur esse *oblatio rei sensibilis, a ministro legitimo Deo facta, per eiusdem aliquam immutationem* (destructionem) *ad agnoscendum supremum Dei in nos dominium nostrique erga Deum subiectionem ac pro statu lapso reatum expiandum.*

4. Sacrificia *dividuntur* imprimis in sacrificia Veteris et Novi Testamenti. *Veteris* Legis sacrificia tripliciter dividi possunt: ratione materiae, ratione formae et finis, ratione temporis. Ratione materiae dividuntur in victimas, oblationes, libamenta; ratione formae ac finis in holocausta, hostias pacificas, hostias pro peccato; ratione temporis in iuge sacrificium, quod quotidie, et in sacrificium agni paschalis, quod in paschate, et in alia sacrificia, quae in aliis solemnitatibus offerebantur.

Quae horum sacrificiorum fuerit ratio quique finis, sic ostendit S. Thomas: „Caeremoniae V. L. duplicem causam habebant: unam sc. litteralem, secundum quod ordinabantur ad cultum Dei; aliam vero figuralem sive mysticam, secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum. Et ex utraque parte potest convenienter assignari causa caeremoniarum quae ad sacrificia pertinebant. . . . . Inter omnia autem dona, quae Deus humano generi iam per peccatum lapso dedit, praecipuum est, quod dedit Filium suum. Et ideo potissimum sacrificium est, quo ipse Christus «seipsum obtulit Deo in odorem suavitatis» (Eph. 5, 2); et propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in V. L., ut hoc unum singulare et praecipuum sacrificium figuraretur, tamquam perfectum per imperfecta. Et quia ex figurato sumitur ratio figurae, ideo rationes sacrificiorum figuralium V. L. sunt sumendae ex vero sacrificio Christi." [1])

Typicam hanc sacrificiorum V. T. rationem data opera fuse describit s. Paulus in epist. ad Hebraeos. Veteris sc. Testamenti sacrificia Apostolus ostendit multiplicia fuisse ac saepius iterata; huiusque rei rationem reddit eam, quod idonea non erant hominibus a peccato purgandis ac sanctificandis, cum ex sese vim nullam haberent. Omnibus vero his V. T. sacrificiis praeterea eum subesse demonstrat sensum, ut praefiguraverint sacrificium aliquod magnum ac singulare, quo in perpetuum expiatio re ipsa efficiatur: quod sacrificium aliud non est quam *Christus ipse* Deus-homo, qui pro hominibus „dedit semetipsum ἀντίλυτρον", sacerdos ipse et victima.

Verum *duplex* in Scripturis et ecclesiastica Traditione sacerdotii Christi et sacrificii modus invenitur. Unus est, quo Christus

---

[1]) S. Th. 1, 2 q. 102 a. 3.

semetipsum victimam cruentam obtulit in cruce, quoque redemptionem et meritum omne complevit consummavitque. Alter modus sacrificii corporis Christi sine caede ac cruore transigitur, et in Ecclesia catholica quotidie celebratur, appellaturque a Latinis „sacrificium incruentum“, a Graecis ἀναίμακτος θυσία. Huius sacrificii idem qui prioris est sacerdos Christus Dominus. Nam et utrumque unum est et idem, nisi quod diversus utrobique est modus; et uterque ab eodem, cum homo inter homines viveret, Christo summo sacerdote sub extremum mortalis vitae tempus adhibitus: quippe prius incruentum illud usurpavit et Ecclesiae frequentandum exemplo et mandato suo constituit quam posterius et cruentum. De Christo sacerdote et de cruento ab ipso oblato sacrificio in hac thesi agitur; de sacrificio incruento et quotidiano dicetur in tractatu de Eucharistia.

Christum sacerdotem fuisse, qui aliquod Deo sacrificium obtulerit, omnes admittunt. Verum *Sociniani* et ex recentioribus *Protestantibus* plures negantes Christi mortem fuisse sacrificium, volunt Christum in *coelo*, cum Patri appareret mortemque suam praesentaret, sacrificium obtulisse ac sacerdotem constitutum esse. Doctrinam *catholicam* iam Concilium Ephesinum (can. 10) contra Nestorium sic enuntiavit: „Pontificem et apostolum confessionis nostrae factum esse Christum divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo pontificem et apostolum nostrum dicit factum non ipsum Verbum, quando caro factum est et homo iuxta nos homines, sed velut alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione qui peccatum omnino nescivit): a. s.“ — Quibus duo continentur: 1. Christus est proprie dictus sacerdos; idque secundum humanam suam naturam, 2. Christus sacrificium suum consummavit seipsum in cruce offerens.

DEMONSTRATUR: 1. Christus homo est *sacerdos* proprie dictus.

Sacerdos in ordine praesenti supernaturali est qui ex Dei vocatione munus habet mediationis inter Deum et homines, maxime per oblationem sacrificii. „Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis“ (Hebr. 5, 1). Atqui talis sacerdos est Christus, imo ipse summus est sacerdos. Et sane:

1. Christus in *Vetere Testamento* praedicitur futurus sacerdos. Huc spectat maxime illud *Psalmi 109*, quem Christus ipse ad se referri testatus est (Matth. 22, 43 sq.): „Iuravit dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem

Melchisedech.“ De Melchisedech autem haec leguntur: „Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei“ (Gen. 14, 18 sq.). Ergo Christus sacerdos est. Cur porro dicatur sacerdos „secundum ordinem Melchisedech“, Apostolus sic explicat: sicut Melchisedech est sacerdos Dei summi, sic et Christus (Hebr. 7, 1 sq.); sicut Melchisedech est rex, rex pacis, rex iustitiae, sic et Christus (Hebr. 1, 13; 10, 12 sq.; 1, 8 sq.); sicut Melchisedech est sacerdos „sine patre, sine matre, sine genealogia“ (quia Scriptura eam non refert), sic et Christus sacerdos aeternus (Hebr. 7, 3); sicut Melchisedech benedixit Abraham atque adeo etiam Levi, qui „in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech“, et decimas ab eo accepit, sic Christus excelsior est prae hoc suo typo sacerdos (Hebr. 7, 10 sq.). [1])

2. Christus in *Novo Testamento* clare docetur esse sacerdos. Huc pertinet tota Pauli epistola ad *Hebraeos*, in qua finis Apostoli est ut ostendat, quantopere prae Aaronico Christi praestet sacerdotium et sacrificium. Hic enim, sic Apostolus, non est alius quam ipse Dei Filius excellentior ipsis angelis; unde si lex per angelos data firma est, multo magis lex Christi; qui nihilominus unus est ex nobis, „fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi“ (2, 17). Hinc non est revertendum ad Moysen, sed fide ac fiducia Christo inhaerendum; est enim Christus pontifex et Deo gratissimus et in nos misericordissimus. Natura porro huius pontificis est ut sit ex hominibus, officium ut offerat, affectus ut peccatoribus compatiatur, electio ut sit vocatus a Patre; obtulit vero orationes, passiones, obedientiam. Factus est Christus pontifex secundum ordinem Melchisedech, „semper vivens ad interpellandum pro nobis“. Qui Melchisedech Christi est figura, Christus vero et Melchisedech sacerdoti et sacerdotibus Leviticis praestantior, ita ut per Christum sacerdotem Leviticum sacerdotium ipsaque Lex sit abrogatum, Christi vero sacerdotium et aeternum sit et efficacissimum,

---

[1]) Christi sacerdotium praefigurabatur tum sacerdotio *Levitico* tum sacerdotio *Melchisedech.* „In sacerdotio Christi duo possunt considerari, scilicet ipsa oblatio Christi et participatio eius. Quantum ad ipsam oblationem, expressius figurabat sacerdotium Christi sacerdotium legale per sanguinis effusionem, quam sacerdotium Melchisedech, in quo sanguis non effundebatur. Sed quantum ad participationem huius sacrificii et eius effectum, in quo praecipue attenditur excellentia sacerdotii Christi ad sacerdotium legale, expressius praefigurabatur per sacerdotium Melchisedech, qui offerebat panem et vinum «significantia, ut Augustinus dicit, ecclesiasticam unionem, quam constituit participatio sacrificii Christi». Unde etiam in Nova Lege verum Christi sacrificium communicatur fidelibus sub specie panis et vini.“ (S. Th. 3 q. 22 a. 6 ad 2.)

quippe cuius uno sacrificio omnia totius mundi peccata sint expiata et gratia facta sit ad homines intrinsecus iustificandos. Quae quidem virtus inde est quod Christus sacerdos „per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa“ (9, 12). Christus igitur „ingrediens mundum“ (10, 5), i. e. a primo vitae instanti Dei sese voluntati consecrans mortemque ex obedientia acceptans nos per sui corporis sacrificium sanctificavit; „una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos“ (10, 14). Hinc demum omnia eousque dicta complexus Apostolus concludit: „Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi . . . et sacerdotem magnum . . . accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala“ (10, 19 sq.).

3. *Patres*, ad doctrinam Pauli de Christo sacerdote provocantes, cum maxime contra Nestorianos docent unum eundemque Christum, qui est aeternum Dei Verbum, esse sacerdotem, Christum munus et generatim mediationis et speciatim sacerdotii secundum naturam suam humanam exercuisse urgent. „Quando Deus factus est homo, etiam pontifex nuncupatus est, non ut sacrificium maiori Domino offerret, sed sibi et Patri et ut fidei nostrae confessionem procuraret. Si dixeris, non esse Deo dignum sacerdotio fungi, consentio et ego, at tum solum recte diceres, si Verbum tantummodo et absque carne esset; quando autem homo factum est, considera iam sacerdotio fungi ratione humanitatis, et in dignitatibus super creaturam esse ut Deum.“ [1]) „In quo passus est nisi in corpore? . . . In quo sacerdos nisi in eo, quod sacerdotali sumpsit ex genere? Sacerdos enim debet aliquid offerre . . . Idem ergo sacerdos, idem et hostia; et sacerdotium tamen et sacrificium humanae conditionis officium est: nam et agnus ad immolandum ductus est et sacerdos est secundum ordinem Melchisedech. Nemo igitur, ubi ordinem cernit humanae conditionis, ibi ius divinitatis asserat.“ [2]) „Ipse verus Deus et verus pontifex, qui pro nobis non in sanguine taurorum et hircorum, sed in sanguine suo semel introivit in sancta . . . idem sc. sacerdos et sacrificium, idem Deus et templum: sacerdos, per quem sumus reconciliati; sacrificium, quo reconciliati; templum, in quo reconciliati; Deus, cui reconciliati. Solus tamen sacerdos, sacrificium et templum, quia haec omnia Deus secundum formam servi; non autem solus Deus, quia hoc est cum Patre et Spiritu Sancto secundum formam Dei.“ [3])

4. *Theologi*, doctrinam Pauli de sacerdotio magis excolentes, Christum sacerdotem esse sic ostendunt: „Proprie officium sacer-

---

[1]) Cyrill. Alex. Apol. c. Orient.
[2]) Ambros. De fide 3, 86.
[3]) Fulgent. De fide ad Petrum 2, 22.

dotis est esse mediatorem inter Deum et populum, inquantum sc. divina populo tradit, unde dicitur sacerdos, quasi ‚sacra dans', secundum illud (Malach. 2, 7): «Legem requirent ex ore eius», sc. sacerdotis; et iterum inquantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit, unde Apostolus dicit (Hebr. 5, 1): «Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.» Hoc autem maxime convenit Christo; nam per ipsum divina dona hominibus sunt collata secundum illud (2 Petr. 1, 4): «Per quem, sc. Christum, maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini diviniae consortes naturae.» Ipse etiam humanum genus Deo reconciliavit secundum illud (Col. 1, 19): «In ipso, sc. Christo, complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia.» Unde Christo maxime convenit esse sacerdotem." [1])

Christum porro non tam sibi, quam *nobis* sacerdotem factum ipsumque *omnis sacerdotii auctorem* esse, sic demonstrat S. Thomas: „Sacerdos constituitur medius inter Deum et populum. Ille autem indiget medio ad Deum, qui per seipsum accedere ad Deum non potest; et talis sacerdotio subiicitur, effectum sacerdotii participans. Hoc autem Christo non competit; dicit enim Apostolus (Hebr. 7, 25): «Accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis.» Et ideo Christo non convenit effectum sacerdotii in se suscipere, sed potius ipsum aliis communicare. Primum enim agens in quolibet genere ita est influens, quod non est recipiens in in genere illo; sicut sol illuminat, sed non illuminatur, et ignis calefacit, sed non calefit. Christus autem est fons totius sacerdotii. Nam sacerdos legalis erat figura ipsius, sacerdos autem novae legis in persona ipsius operatur secundum illud (2 Cor. 2, 10): «Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.» Et ideo non competit Christo effectum sacerdotii recipere." [2])

2. Christus munere sacerdotali maxime functus est *in cruce seipsum sacrificium offerendo.*

1. In *Vetere Testamento* Isaias propheta Messiae mortem futuram sacrificium esse haud obscure significat. Sic de Christo, servo Dei, haec pronuntiat [3]): „Iste asperget gentes multas" (Is. 52, 15).

---

[1]) S. Th. 3 q. 22 a. 1.

[2]) S. Th. l. c. a. 4.

[3]) Sunt qui velint etiam illud (Is. 53, 7) „oblatus est, quia ipsa voluit" de sacrificio intelligendum esse. Verum nec textus hebraeus, nec Septuaginta versio, nec Hieronymus hunc hic habent conceptum. Legitur in textu hebraeo נִגַּשׂ vel נִגַּשׁ quod vertendum est: adductus, vel: afflictus est. Cf. Knabenbauer in h. l.

Verbum scilicet „asperget“ יַזֶּה in forma hiphil semper de aspersione sacra ac sacrificali adhibetur, quae per sacerdotem fiebat. Ergo Christus praedicitur futurus sacerdos qui sacrificio oblato sanguine sacrificali gentes expiat. Idem porro propheta pergit: „Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum“ vel secundum textum hebraeum: „Si posuerit anima eius אָשָׁם“ i. e. sacrificium pro peccato (Is. 53, 10). Iam vero his verbis Messias clare praedicitur seipsum seu vitam suam positivus sacrificium.

2. In *Novo Testamento* legitur: „Pascha nostrum immolatus est Christus“ (1 Cor. 5, 7). „Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum (i. e. sacrificium pro peccato) fecit“ (2 Cor. 5, 21). „Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam (προσφορὰν καὶ θυσίαν) Deo in odorem suavitatis“ (Eph. 5, 2). „Quem proposuit Deus propitiationem (ἱλαστήριον) per fidem in sanguine ipsius“ (Rom. 3, 25). — Clarissima est doctrina, quam Paulus hac de re tradit ad Hebraeos. Imprimis dignitatem ac valorem urget ipsius *hostiae* a Christo oblatae, qui est proprius eius *sanguis:* „Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, i. e. non huius creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa: si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?“ (Hebr. 9, 11 sq.) Hinc Apostolus, V. T. sacrificia ostendens typos fuisse unius sacrificii a Christo in cruce peracti, huius summam probat *efficaciam*: „Neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, nunc autem semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit . . . . Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata“ (Hebr. 9, 25 sq.). — Ergo morte Christi magnum N. T. sacrificium consummatum est.

3. *Patres* Pauli doctrinam amplexi Christi mortem veri nominis sacrificium habent. Barnabas Christum se in sacrificium obtulisse dicit, „ut typus factus in Isaac, qui oblatus est super altare, compleretur“. [1]) Ignatius docet Christum seipsum obtulisse „Deo oblationem et hostiam“. [2]) Iustinus docet animalia, quae die expiationis

---

[1]) Barnab. Epist. 7, 3.
[2]) Ignat. Ad Eph. 1.

offerebantur, typos fuisse Christi, „qui sacrificium erat omnibus poenitere volentibus“.[1] Tertullianus: „Christus oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tamquam ovis ad victimam ductus est.“[2] Augustinus: „Verus ille mediator, inquantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei et hominum, homo Christus Iesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturae: per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio.“[3]

4. *Theologi* et sacrificii cruenti veritatem probant et in quo eius essentia sit ac valor magis explicant. Docent enim ideo mortem Christi rationem habere sacrificii, quia mors illa *voluntaria* erat: „Christus fuit causa suae passionis et mortis. Poterat enim suam passionem et mortem impedire, primo quidem adversarios reprimendo, ut eum aut non vellent aut non possent interficere; secundo quia spiritus eius habebat potestatem conservandi naturam carnis suae, ne a quocunque laesivo inflicto opprimeretur; quod quidem habuit anima Christi, quia erat Verbo Dei coniuncta in unitate personae, ut Augustinus dicit. Quia ergo anima Christi non repulit a proprio corpore nocumentum illatum, sed voluit quod natura corporalis illi nocumento succumberet, dicitur animam suam posuisse vel voluntarie mortuus esse.“[4] Et re quidem vera: „Sacrificium proprie dicitur aliquid factum in honorem proprie Deo debitum ad eum placandum; et inde est quod Augustinus dicit: «Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum sc. ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus.» Christus autem, ut ibidem subditur, «seipsum obtulit in passione pro nobis», et hoc ipsum quod voluntarie passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex caritate maxima proveniens. Unde manifestum est, quod passio Christi fuerit verum sacrificium.“[5]

Quantopere porro *excellens* fuerit Christi in cruce oblatum sacrificium, sic declarat S. Thomas: „Est perfectissimum sacrificium. Primo quidem quia ex eo quod est humanae naturae caro, congrue pro hominibus offertur et ab eis sumitur sub sacramento. Secundo quia ex eo quod erat passibilis et mortalis, apta erat immolationi. Tertio quia per hoc quod erat sine peccato, efficax erat ad emundanda peccata.

---

[1] Iustin. Dial. c. Tryph. 40.
[2] Tertull. Adv. Iud. 13.
[3] Augustin. De civ. Dei 10, 20.
[4] S. Th. 3 q. 47 a. 1.
[5] S. Th. 3 q. 48 a. 3.

Quarto quia ex eo quod erat caro ipsius offerentis, erat Deo accepta propter ineffabilem caritatem suam carnem offerentis. Unde Augustinus dicit (De Trinit. 4): «Quid tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine contagione carnalis concupiscentiae caro nata in utero et ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri?»" [1])

Paulum denique secutus S. Thomas ostendit Christi sacrificium aliquo sensu *aeternum* esse, non quidem ac si in coelo illud formaliter continuatur, sed inquantum ibi est eius aliqua consummatio: „In officio sacerdotis duo possunt considerari: primo quidem ipsa oblatio sacrificii; secundo ipsa sacrificii consummatio, quae quidem consistit in hoc quod illi pro quibus sacrificium offertur, finem sacrificii consequuntur. Finis autem sacrificii, quod Christus obtulit, non fuerunt bona temporalia, sed aeterna, quae per eius mortem adipiscimur. Unde dicitur (Hebr. 9, 12) quod Christus est assistens Pontifex futurorum bonorum, ratione cuius Christi sacerdotium dicitur esse in aeternum. Et haec quidem consummatio sacrificii Christi praefigurabatur in hoc ipso quod pontifex legalis semel in anno cum sanguine hirci et vituli intrabat in sancta sanctorum, ut dicitur Lev. 16, cum tamen hircum et vitulum non immolaret in sanctis sanctorum, sed extra. Et similiter Christus in sancta sanctorum, id est, in ipsum coelum intravit, et nobis viam paravit intrandi per virtutem sanguinis sui, quem pro nobis in terra effudit." [2])

SCHOLION. Socinianorum est error, mortem Christi non fuisse nisi victimae quandam praeparationem ad sacrificium in coelo ferendum. Qui abunde refutati censeri possunt praecedentibus. *Catholici* aliqui recentiores, inter quos *Thalhofer*, concedentes Christi mortem verum fuisse sacrificium volunt etiam *coeleste* esse Christi proprie dictum sacrificium, sc. actionem illam qua Christus Patri mortem et opera iugiter offerat. [3]) At huiusmodi oblatio non respondet conceptui sacrificii, utpote quod sit in genere signi. Praeterea animadvertendum est: Paulus docet: a. Christum obtulisse sacrificium per actum transeuntem ἐφάπαξ (Hebr. 7, 27); b. distingui oblatum semel sacrificium a statu permanente Christi in coelo (10, 12 sq.); c. eo praesertim distingui Christum sacerdotem a veteribus sacerdotibus, quod ingressus sit ille tabernaculum coeleste non „ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno" (9, 25).

Quae quamvis ita sint, nihilominus etiam in coelo Christus manet sacerdos, non quidem sacrificium offerendo, sed *interpellatione sacerdotali*, qua sc.

---

[1]) S. Th. l. c. ad 1.

[2]) S. Th. 3 q. 22 a. 5.

[3]) Thalhofer, Das Opfer des A. und N. Bundes p. 201 sq.

intercedit pro nobis innisus sacrificio ab ipso oblato. „Iesus introivit . . . in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis“ (Hebr. 9, 24). „Hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis“ (Hebr. 7, 24 sq.). „Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris“ (1 Ioan. 2, 1 sq.). — „Vulnera suscepta pro nobis coelo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostrae pretia libertatis ostenderet.“ [1]) „Orat pro nobis ut sacerdos noster, orat in nobis ut caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster . . . Oramus ergo ad illum, per illum, in illo.“ [2]) — Oremus porro cum S. Bernardo hunc in modum:

„Respice, Domine sancte Pater, de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo et intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus Iesus, pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae.“ [3])


---

[1]) Ambros. In Luc. 10.
[2]) S. Augustin. In Ps. 85.
[3]) Bernard. Sermo de passione Domini.

Tractatu hoc de Iesu Servatore ad finem iam perducto Litterae Encyclicae Leonis PP. XIII opportune pervenerunt Iubilaeum magnum indicentis et ortus saeculi vicesimi occasione genus humanum Cordi Iesu sacratissimo devoventis ac consecrantis. Consecrationis formulam, ab ipso Summo Pontifice praescriptam, qua et haec de Christo tractatio et universa studia nostra Cordi Iesu dedicentur, hic conclusionis gratia transcribere placet:

Iesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi coniuncti firmius esse possimus, en hodie sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat. Te quidem multi novere numquam, Te spretis mandatis tuis multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu; atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum qui nullo tempore discessere a te, sed etiam prodigorum filiorum qui Te reliquerunt; fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis; perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus; ipsi gloria et honor in saecula. Amen.




Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 01020 3679